

P2-10479

PETRIMENE.


NII LUGDVNENSIS

Commentaria in P. Terentii
Andriam & Eu-
nuchum.

Ad D. Joannem *Sanctochamundo*
Archiepiscopum *Aquensem.*


Quibus accessit Libellus de fabularum origine &
earum differentia, de ludorum generibus ac ti-
biarum, quibus modis fiebant, quæ non sunt ha-
ctenus a quoquam vel amplius vel magis per-
spicue tractata.

De el. Al. de la Com. de S. de Panada.




LUGDVNI,
APVD IOAN. FORNAESIUM,
ET GVL. GAZEIVM,
M. DC. LII.

Divisione Inveniente
FRANCO
1797
27
1797
265



Handwritten notes and signatures in the upper right margin.

Handwritten signature 'Dionysius'.



P2-10479

PETRI MENE-

NII LVGDVNENSIS


Commentaria in P. Terentii
Andriam & Eu-
nuchum.

*Ad D. Ioannem à Sanctochamundo
Archiepiscopum Aquensem.*

*Quibus accessit Libellus de fabularum origine &
earum differentia, de ludorum generibus ac ti-
biarum, quibus modis fiebant, quae non sunt ha-
ctenus à quoquam vel amplius vel magis per-
spicue tractata.*

De el Col de la Comp de Jhs de Granada. B


205-10



J. van



Diog...



LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
ET GVL. GAZEIVM,
M. D. LII.



CLAVDII VALGELASII

Sanctochamundensis ad librum
tetrastichon.

I, liber in lucem, liquoris tutus edacis

*Iudice vel Nomo commoda multa feres,
Non tamen indocti spectes conuivia vulgi,
Quum placeas doctis, his placuisse sat est.*

IOANNIS MOTINI

Sanctochamundensis ad Pe-
trum Menenium.

*

*Cur tam nostra diu Petre exoptata moraris
Gaudia? fac coeptum progrediatur opus.
Pergratum eduxit sitientibus Elias imbrem:
Omnibus extiterit gratior iste labor.
Lambiſti ſatis, nec, properes ad cetera, toto
Adijcienda operi, nanque coronis erit:
Sic tibi debebit multum studiosa iuventus,
Sic tibi ſemper erit gloria, ſplendor, honos.*

Eiusdem ad bonæ indolis pueros.

*Raucum viſa chelys ſonare, neruis
Nunc aptata ſuis Terentiana
Demulcens teneras iuuabit aures:
In primis manibus viri periti
Si tractetur, habes vt hoc libello hunc
Qui præſtat breuibus, docetq; verbis,
Tentarunt alij quod antè multi.
Nam cunctis reſerata comicorum
Primum ſunt adyta, & per illum
Accèſſus facilisq; peruiusq;
Ad vatum veterum locos latentis,
Conſultum bene ſi puer tibi viſ,*

A 2

Tecum

*Tecum fac habeas, legas, colasq;
Nec dente Archilochi, nec hunc Theonis,
Rodas, ut solet invidus macrescens,
Qui nullis fidibus, licet canoris,
Surdescens, poterit lyræ moueri:
Hæc æquiq;, boniq; consulendo,
Autori potius foret precandum,
Longa ætate frui queat, labori
Suscepto colophonem ut addat.*

Eiusdem ad Terentium.

*Dulcisonis puro linguam sermone Terenti
Dum formas, nodos inseris arte modis:
Queis sudant multi soluendis, sed liber adsit
Hic, nil non reserans, iam labor omnis abest.
Hoc duce vel pueris gratos decerpere fructus,
Pascendo & mentes, ora polire licet.
Comica quid ferat ars, quid vis, quid verba, quid
usus,
Explicat, hinc facili tramite cuncta patent.*

ILLVST



ILLVSTRIS. ET

*humaniss. D. Ioanni à Sanctochamundo Ar-
chiepiscopo Aquensi, Patrono & Mecænati
suo Petrus Menenius S. P. D.*



VT ET IAE VNÀ CUM ESSEMUS, anno fermè ab hinc nono, illicq; à fratre tuo charissimo, Christophoro centuriæ equitum illustri duce, puerilis tuæ indoles mihi esset in disciplinam tradita, meministi opinor, quàm proprium præ cæteris rebus omnibus mihi studium fuerit, ut contempta excellentiæ & honorum trita vulgò via, ad speciem decoris & veræ laudis, studiaq; humanitatis conuerterem cogitationes ac voluntatem tuam. In primisq; ut doctrinæ literarum orationis elegantiam adiungeres. Videbam enim te nō solum virtutis eximiam significationem habere, sed etiam bonitatis ingenii ad eoquētiæ curriculum fœliciter persequendum, Qua nihil meherculè nobilium generi honestius esse potest. Ut enim optima vestis, sic etiam ornatissima oratio tui similes, & eos qui præfunt cæteris decet. Ac est profectò pulcherrima laus clariss. virorum, adeptam cognitionē rerum sermone ornare & illustrare posse. Quod qui non potest, tamen sapiens & multa humanitatis artium

A 3 scientia

scientia præstans, fit tamen vecordi & inerudito
similis. Quare primam instituendo te curam esse
oportere semper existimaui sapiētiae & cognitio-
nis, Quibus animus tuus propriis & veris diuitiis
compleretur. Alteram disertæ & facundæ oratio-
nis, quasi bonorū quæ nobis insunt interpretis,
& doctrinæ nostræ explicatricis. Ad hoc verò stu-
dium tua sponte currenti afferebā tibi adiumenta
quæcunq; possem, & quasi fœcūdum nactus agrū
omni arte & diligentia percolebā. Ac post prima
Grammaticæ præcepta non aliunde principium
aptius facturum me statuebam, quā ex fabulis Te-
rentianis, in quibus non solum mores nostros in
alienis effictos personis, imaginēq; vitæ quotidia-
næ expressā videres, sed etiā Latini sermonis pro-
prietatē tanquā ex fonte haurire posses. Sentiunt
enim doctissimorū pleriq; omnes Terentiū, Cæsa-
rē, Ciceronē si exceperis, qui propriē sit loquutus
vix ullum inueniri. Nec mediocrē sanē laudē me-
retur proprius sermo & vītatus, quē vt abiectū
cū multi fugiunt, incidunt in quandā insolentē,
peregrinā & penē prodigiosam orationis deformi-
tatē. Itaq; tibi, quæ intelligebam naturā idoneā ad
dicendi ratione habere, hunc scriptorē propone-
bam, ex quo verborū vsum, & quotidianæ linguæ
expeditā facultatem disceres. Et iam equidē sen-
tiebam nobis præclarissimæ rei fundamēta iacta
essē, & te plus cæteris æqualibus tuis profecisse,
pro temporis quidē angustia, quo illic versati su-
mus, cū ecce magna studiorum nostrorū iactura
imperio Domini à Gregniano qui per id tempus
oræ

oræ Massiliensis atq; aded Brachatæ Galliæ to-
tius, regius præfectus erat, Lutetiam Parisiorum
relinquere, Arelatum petere iussi sumus. Vbi qua
pressus sim inuidia, quā nullo meo merito ini-
quē sim acceptus memoria puto tenes. Siquidē in
his meis tam acerbis casibus, nullū vnquā studiū
in me tuū defuit. Et eo nomine permultū debere
me tibi profiteor. Nec vnquam meherculē animo
meo excidet (cū per ætatē autoritate tūc minus
posses) quā suauiter tuis elegātissimis literis, quas
adhuc studiosissimē custodio, contractū dolorem
abstergeres, quā iniquo animo discessū nostrū
ferres. Inde aduersariorū meorū insectatione co-
actus excedere ad Ioannē à Myolano, Capreriarū
forēsis prouinciæ Dominū me contuli, virū cōme-
morabili integritate ac virtute præditū apud quē
cōmentaria quædā in Terentii comœdias succi-
siuis horis confecimus, quo tēpore tu Romæ age-
res cum amplis. Cardinale à Turnone, qui eō ad
comitia summi Pontificis creandi profectus erat.
Iamq; absoluerā Andriam & Eunuchū, cū hīc
rumor dissiparetur te regis nostri liberalitate Ar-
chiepiscopum esse factū Aquarum Sextiarū, Qui
vt verus esse mihi innotuit, incredibilem lætitiā
concepi, is te aliquādo fortunis honoribusq; au-
ctum, quibus tui te generis splendor, & quā in te
omnes suspiciunt, rara quædam, ac diuinarū vir-
tutum omniū præstantia, iure ornari postulabat.
Quamobrem vt me tibi etiam ornamento esse si
qua possem, velle intelligeres, hoc quicquid est elu-
cubrationis amplissimo tuo nomini dedicare cō-

stitui. Sed me id facere summè cupientem deterrebant rationes validæ, & in illis duæ maximè: dignitatis tuæ suspicienda maiestas, & extrema tenuitas nostri libelli. Quid hoc inquã infimæ fortis homo, futurum putas ad Pontificem primaria nobilitate conspicuū, innocentia, pietate, liberalitate præstabilem? Quam te gratiam de tanto viro, hoc tam vili munere putas initurū? Equidem fateor istud ad tuam istam dignitatem nihil esse, sed tuæ humanitatis magnitudo & meum perpetuum de te iudiciū facit, vt credam te nihil aspernaturum quod ex musarū officina prodeat. Nec enim vile esse literarum pretium putandum est, quarum beneficio viuit quicquid est in rebus mortalium pulchrum atque diuturnum. Præterea cum tuo sumptu Lutetiæ ipse profecerim, cui potius studiorum meorum fructum mitterem, quam ei qui me ad eam fortunam & dignitatem euectus, in suam familiam recepit, sibi anagnostem esse voluit, meorum laborum in se olim docendo rationē habuit, spe fortunæ melioris erexit? Nec tamen sum vsque ad eò rerum inscius, vt quæ in puerorum gratiam conscripsi, petam vt vel à te cognoscantur vel legantur: Sed illa tuis auspiciis emitto, vt splendore dignitatis tuæ suis lectoribus ampliora, & commendatiora esse possint, Vtq; in animum tibi inducas omnia mea studia, cogitationem, mentem deniq; omnem, tuo nomini celebrando prorsus dicatam esse. Benè vale. Apud Sanctum chamundum VII. Cal. Nouemb. Anno M. D. LII.

D E

P E T R V S M E N E N I V S
C A N D I D O L E C T O -
R I S. D.

H R A N T in manibus candide Lector, hæc commentaria, cum audio Lutetiæ quæcunque extarent in hunc autorem interpretationes, vno libro coactas ac simul excusas fuisse. Quò factum est vt me mei, quem eadem in re suscepi laboris, taderet. Planeq; de persequendo opere consilium abiicissem, ni amicorum adhortationibus ad id fuissem confirmatus. Qui dicerent, non vnus generis merces omnes vno pretio licere. Scripta quidem in Terentium permulta, sed alia palam repudiari, alia nihil discentium studijs conferre, quædam perperam explicari. Donati interpretationem planè corruptam & deprauatam multis locis, ipso contextu Terentiano obscuriorē, adeò vt ipsis etiam ludi magistris negotium exhibeat: præterea dispositionem & œconomiam scenarum vsuq; artificij rhetorici (si Latomum & Willichium exceperis) qui explicet esse nēminem. Ab istis quidem attingi, non pertractari, ac multa prætermitti, non modo quæ ad priscos Atheniensium & Romanorum mores, ad quos sepe alludit Terentius, sed etiam quæ
A S ad

ad hellenismos, & figuratam Latine constructionis rationem pertineant. Quamobrem relinqui nobis alijsq; amplum scribendi locum. His ego rationibus adductus operis incepti specimen edidi, aut plures testes stultitiæ meæ domestico præconio (ut Ciceronis verbis utar) aut laudis collecturus. Si enim, non dicam aliquid in commune laborare, sed tantum alijs velle prodesse, laudandum est, amplector communem conditionem, speroq; vel hinc gratiam nonnullam nostro operi collectum iri. Ut cunque mihi cesserit, non diffido hunc nostrum laborem imperitis utile ac frugiferum fore, quibus omnis ferè destinatur interpretatio. Tu interim his utere si videbitur, & boni con-

sule, si tibi, quantum rationes nostræ ferunt, impertiamus.

Equidem breui in duas

sequentes fabulas,

quæ iam penè absolu-

ta ha-

beo

emittam, si sensero hæc

studiosis probari.

Benè vale.

DE

DE FABVLARVM ORIGINE.



LTSI de fabularum origine permulta apud interpretes poetarum legantur, in primisq; apud Donatum ipsius Terentij expositorem: Tamen ut discipulorum maxime quibus non multa librorum copia suppetit utilitati consulamus, & eorum etiam quibus suppetit, laborem quaerendi subleuemus, quæ de tota care mihi legere contigit, paucis complectar. Est enim hæc tractatio & voluptatis plena propter antiquitatis cognitionem, & permultum adiumenti allatura iuuenibus ad hunc poetam ceterosq; eiusmodi rectè intelligendos. Igitur satis constat, non fabularum modo, sed etiam poetica initium à rebus diuinis ductum fuisse. Nam Deorum laudes carmine descriptas, in ipsorum diebus festis circum aras gyrantes proferebant, canebantq;. Cantus enim rudium & agrestium animos admiratione demulcebat, & ad misteriorum contemplationem rapiēbat. Hinc ipsa etiam poetica musica dicta fuit, adeo ut idem olim musici, vates, & sapientes iudicarentur. Itaq; & à cantu carminum artifex ἀοιδός Grecis dicitur, & ἀοιδὸς, & ἄσμα cæcæ cæcæ cæcæ, ac ἀδελφὸν ἢ ἀείδων, sicut Latinis, canere. Ut etiam inquit Verg.

Poëticae initium.

Poëtica musica dicta.

Arma virumq; cano.

Quin & à cantu κωμῳδία ἢ τραγῳδία quoque nominantur. Cantui postea accessit tibia, deinde saltatio, & ea carmina, ad quæ chorus saltaret, ut fiebat in Delo, alijs chorum

chorum

DE FABVLARVM

chorum ducentibus, alijs ad tibiā, cytharamq; simul
 ὑπορχήματα. saltantibus, ὑπορχήματα vocabantur, sicut & ὑπο-
 χήματα ita saltare. Poëtis autem hymnos & odas de lau-
 dibus Deorum scribentibus, præmia dabantur, maxime
 ei qui ceteros elegantia carminis modo, & numero su-
 perasset. Sed ut in rudi principio, vile & agreste præ-
 mium satis magnum ducebatur. Nam hymnographo
 liberi patris honesta merces erat vter musto plenus, aut
 hircus. Vnde ἀπὸ τῆς τράγῃς tragœdiam dictam vo-
 lunt: quod indicare videtur Horatius in poëtica.

Carminē qui tragico vilem certauit ob hircum. Pin-
 darus τῷ θίω β. se gratuita opera κατ' ὄριον μέλ. & com-
 posuisse gloriatur. Deinde à ritu sacrorum rebusq; di-
 uinis ad prophana etiam poëtica est translata: cœperuntq;
 leges & sapientiæ præcepta versibus scribere. Orpheus,
 Empedocles, Arion, quem putant nonnulli Tragici car-
 minis inuentorem fuisse, chorūq; instituisse, & ceci-
 nisse carmen dithyrambicum. Fuit autem poëta & ci-
 tharædus insignis, ex Methymno Lesbi insulæ oppido,
 temporibus septem Græciæ sapientum. Nam Pimandro
 fuit charissimus. Tunc in pretio haberi ceperunt
 poëta, & magnam sapientiæ laudem consequi. Horat.

Fuit hæc sapientia quondam
 Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
 Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
 Oppida moliri, leges incidere ligno.
 Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atq;
 Carminibus venit.

Sed & deinde ducum gloriosa facta principum, & he-
 roum laudes decantandi mos successit, genere quodam
 versuum, qui propterea heroici sunt appellati. Idq; ma-
 xime

ORIGINE.

maximè in conuiujs, in quibus Athenienses etiam saltare,
 & ad Lyram, tibiāq; ὑπορχήματα consueuerant. Vt au-
 tor est Horat.

Musa dedit fidibus diuos, puerosq; Deorum,
 Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
 Et iuuenum curas, & libera vina referre.

Similiter flagitia & improborum malefacta profereban-
 tur, sed alio carminis genere, nimirum iambico: cuius
 Archilocum inuentorem ferunt, qui Lycambem Lace-
 demonium suis iambis ad suspendium adegit. Porro iam-
 bicum pedem fabularum scriptores postea elegerunt,
 quod is soluta orationi simillimus esset, & rebus agendis
 aptissimus. Vt scribit idem Horat.

Archilocum proprio rabies armauit iambo.
 Hunc socci capere pedem, grandesq; cothurni,
 Alternis aptum sermonibus, & populares
 Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

Itaque prisca poëta, aut heroici, aut iambici fuere. Cete-
 rum facta clarissimorum virorum, scelera malorum, &
 tyrannorum exitus, non solum cani, sed etiam spargi in
 personas ac coram populis actione representari, & quasi
 ob oculos spectanda proponi cœperunt: Primusq; omnium
 Theffis, genere Atheniensis, plaustro circum ciuitates
 Græciæ vectus, exhibuisse tragœdias fertur, actori-
 bus fecè vini, aut amurca vultum illitum habentibus.
 Quamobrem à fece, quam τρυγὰ Græci appellant, sunt
 qui tragœdiam appellatam esse velint, quasi τρυγῶδία.
 Horatius,

Ignotum tragiciæ genus inuenisse Camœnæ
 Dicitur, & plaustris vexisse poemata Theffis,
 Quæ canerent, agerentq;, peruncti fecibus ora.

Dorienses

DE FABVLARVM

Dorienses tamen eius ortum sibi ascripsere, teste Aristotele, qui refert tragœdiam sapius commutatam fuisse, priusquam dignitatem eam nacta esset, qua deinde ab Aeschilo est constituta. Fuit autem is poeta Atheniensis, qui maiestatis crimine damnatus, opera Aristea fratris, populi lapidationem euasit. Nam cum iam subiturus esset supplicium, eius frater exeruit brachium amputatum in pugna nauali aduersus Salamino, de quibus egregiam reportarat victoriam: ita precibus & lacrymis fratri vitam & ciuitatem impetrauit. Reperit autem ille personam: histriones vestibus heroum & heroinarum ornauit cothurnisq; tignis pulpita scenamq; construxit. Quare Horat.

Post hunc (inquit) persona, pallaq; repertor honesta
Aeschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,

Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

illum vixisse ferunt nonnulli, cum Romae seditio inter patres plebemq; orta est. Extremam deinde manum Euripides Tragœdia imposuit, & illustriorem reddidit. Is tanti ab Atheniensibus est factus, vt cum in Macedonia à canibus ab amulo immixtis laniatus esset, eius ossa per legatos ipsi postularent, quæ tamen se reddituros Macedones negarunt. sed hætenus de Tragœdia.

De ortu Comœdiæ.

TRAGœdiæ successit Vetus Comœdia, dicta à τῶν νῶμων, id est à vicis, pagisq;. Nam Atheniensibus per pagos adhuc dispersis, necdum in urbem à Theseo coactis, Agricola peractis sacris, tum viatores, tum vicinos, & eos qui sacrificio affuerant, magna dicacitate impetebant, risumq; excitabant spectatoribus. Vrbe verò constructa,

ORIGINE.

structa, solempni die, & stato tempore, Vetere more agricola in urbem planstris vecti veniebant, dictarijs tum rusticos, tum plerosque urbanorum incessentes, maxime si à quoquam essent iniuria affecti. Et hæc quidem Comœdia appellata ἐν τῇ ἐν ὁδοῖς ἐνώμαστον, quod in vijs lasciuirent, & petulanter luderent. At hic mos urbano populo gratus fuit. & eos qui dicendo valebant, ad eruditius carmen scribendum de eodem genere argumenti pretio promouerunt. Et ita sensim rustici sunt exclusi: qui antea sine vilo odio & inuidia mordebant. Urbani poeta primùm cum notassent paulo acrius ciuium facta, profuerunt quidem ciuitati, & sceleratos nominatim traducentes, metu retraherent permultos, à flagitijs. At ea Comœdia dicta est Vetus, hoc est ἀρχαία. In qua principes fuerunt Sufarion, Aristophanes, Eupolis, & Cratinus, autore Horatio in Sermonibus.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesq; poeta,
Atq; alij, quorum Comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Aut mœchus foret, aut siccarius, aut alioquin
Famosus, multa cum libertate notabant.

Quare Græcis etiamnum verbum κωμῶδες significat σὺδῶνται, id est incessere mordacibus dictis. Caterum poeta affectibus suis, vel amicorum seruietes, cæpère similitates asperè exercere, & stilis pro telis vti, adeo vt principes viros, interdum nihil commeritos, proscinderent, idq; nominatim: vt Periclem ipsum, qui à comicis incessebatur, quod capite esset oblongo. Idcirco semper galeatus pingebatur. Aristophanes genere Larissæus, cui palmam prisca Comœdia plurimi deferunt, in Nebulis turpissima dicit conuitia Socrati innocentissimo, &

etiam

DE FABVLARVM

etiam oraculo Apollinis sapientissimo, pecunia fortè accepta ab Anito & Melito ipsius inimicis. In fabula quam ἰππῆς id est equites dixit, similiter notauit Cleonem Byrsopolam Niciæ & Demosthenis inimicum. Sed in ea Comœdia cum Opifex Cleonis personam sustinere nollet, veritus eius potentiam, poeta fecibus ora histriorum liniuit, qui sibiliter in scenam prodire reformidarunt. Tandem Aristophanes (tanta rabie in Cleonem erat accensus) eius personam solus pertulit. Propter quod factum accusatus à Cleone, tantis quinque est multatus, ut ipse in Acharnensibus Comœdia queritur. Principum deniq; potentia hanc odiosam reprehendendi mordacitatem sustulit. Nam cum Eupolis Baptas fabulam dedisset, & in ea Alcibiadem taxasset, in mare est precipitatus, dicente Alcibiade, Tu me in scena sæpe merfisti, Eupoli, ego te in mari. Huius exemplo satis territis poetis, lata lex est, opera Alcibiadis, ne quem liceret in scena nominatim ledere. Horat.

Succesit vetus his Comœdia non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, & vim,
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusq;
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

Itaq; abolitum est illud Comœdiæ genus: Succesit media Comœdia, qua enigmatis & obliquis dictis perstringebantur multi tacitis nominibus. Et ea quidem in suspicionem venit nobilitati, quasi sua facta notarentur. Idcirco etiam sublata. Repertaq; est noua, qua argumenta plausibilia de mediocribus personis confictis nominibus ludit, in qua neminem ledi manifestum erat. Huius princeps fuit Menander, qui cum Alexandro Macedone vixit, & Philemon Græci. At vetus bellis Peloponnesi-

ORIGINE.

ponnesiacis vixit, ut scribit Viues. Ex quo tempore omnia sacrorum rituum decora, tibia, chorus, saltatio in fabularum actione sunt accepta, & quidē apud Græcos.

Roma verò cum anno ab Vrbe condita circiter 400. T. Sulpitio Potito, C. Licinio Stolone c o s s. & superiore anno pestilentia laboratum esset, eademq; laboraretur, ex libris Sybillinis ludi Scenici sunt voti, noua res in populo bellicoso. Ludiones ex Hetruria sunt asciti, qui nomine gentis histriones sunt appellati. Hi ad tibicinis cantum saltabant, motibus ut illa ætate, non omnino inconcinnis, neque tamen interim versum dicebant vllum. At rustici in Italia vetusto more Græciæ post messem, & frugum collectionem, hylariorum opere perfecto sacra Dijs faciebant gratias agentes de bono anni prouentu & sacris peractis, rusticana dicta in se inuicem iactabant ad risum mouendum, interim spurcis & obscœnis dictis non abstinentes, quandoque etiam mordacius mutuo se attingentes, idq; alterius versibus, qui à ciuitate quadam Hetruria dicebatur Fescennini. Hos Romani histriones imitari cœperunt, sed nominibus parcentes. Id enim iam antea xij. tabulis cautum erat, ne fieret. Fescennini deinde sensim ex scena abierunt, relictis nuptijs & triumphis. Et in eorum locum fabule sunt introductæ, quæ delectarent sine cuiusquam offensione, nimirum Comœdia noua, & Satyra, non illa, quæ vno carminis genere in hominum vitia inuehitur, qualem scripsere Horatius, Persius, & Iuuenalis: Huic nanque initium dedit Lucillius, Satyra poëma qui sub Scipione Æmiliano meruit Numantino bello. quando initium habuit. sed illa in quam introducebantur satyri spurci & contumeliosi tunicis villosis, motu graui incondito & rusti-

B cano

Scena Satyrorum. *cano Scena ipsorum erat frondibus, floribus, herbis, virentibus instructa in faciem montium, Sylvarum & spelun- carum. Ab istis Satyris vix uero Roma est adducta, quæ amores, nequitias, & flagitia tractat, reliquaq; huiusmodi, quæ in fabulam Menander induxit, ut Macedonibus suis ipsi rebus deditis placeret. Primusq; omnium fabulam Græco more exhibuit Linius Andronicus, Sannicini libertus, ut scribit Cicero in Bruto, anno ab Urbe condita 513. C. Claudio Cento Appij cæci filio, & M. Sempronio Tuditano C O S S. Anno verò sequenti, scilicet 514. natus est Ennius, ut ex eiusdem Ciceronis Bruto, Gellio, & Varrone colligitur. Anno 519. C. Næuius fabulas ad populum dedit. Biennio post, anno scilicet 521. natus est Pacuuius, quo etiam Cato Censorius. Anno 584. floruit Accius poeta. Post hunc Cecilius, qui Andriam à Menandro etiam traduxisse fertur ac etiam egisse. Nam Latini comici primum fabularum argumenta à Græcis mutuati sunt, deinde propria, & à seipsis inuenta ediderunt. Istis tandem Plautus & Terentius successerunt: cuius Andria edita est, anno 588. ut alibi scribimus, Hecyra secundo data, & explosa, anno 589. Acta Heautontimorumenos, anno 591. Et anno 593. edita Adelphi: sequenti verò anno 594. Eunuchus & Phormio. ut annotauit Xystus Betuleius in sua Chronologia.*

De fabularum generibus ac formis.

Palliata fabulæ. **D**uo sunt fabularum genera. Vnum Palliatarum, id est Græcarum, quæ à Græcis inuenta primum, ad Latinos sunt translata, quarum species quinque. Tragedia,

Comædia, Satyra, Ethologia, id est morum ludicra Ethologia expressio, & Mimus, qui facetiã habebat, & lasciuam Mimorum versuum recitationem, cum quadam turpi imitatione morum, sermonisq; alieni. In his Græcis fabulis personæ introducebantur pallijs vestitæ: vnde & Palliata appellantur. Alterum genus est Togatarum, quæ à Latinis inuenta sunt & excultæ, quarum tot sunt species, quot Palliatarum, & præter has tres propria. Prætextata in qua Senatorum, nobilium, ac patriciorum personæ inducuntur, quorum insigne erat vestis prætextata toga. Tabernaria, quam viles personæ agunt, quales ferè solent in tabernis, ganeisq; versari. Atellana à ciuitate Campaniæ nomen sortita, in qua primum actitari cœpta est. Hæc erat similis ferè Satyræ, argumentis & dictis iocularibus referta. Sed Satyra lasciuiores habebat Faunos & Sylvanos, qui iocis & salibus agrestibus delectabant, interim admixtis lacrymis. Et ut erant dii spurci & immundi, fœdiora dictu audituq; iactabant. Mimus Latinus similis Græco fuit, poema salibus tantum, & dicacitate gratum, libertate plenum & lasciuia, humillimi inter omnia Æpæmæi generis: cuiusmodi fragmentum extat, ni fallor, labery apud Macrobium. Est & Mimus histrio, qui in scena agit fabulas, à mimæxi, quasi imitator, qui gestus actusq; coram quos vult irridere, imitatur, tum etiam mores, & Ethologus ac Ethopeus nominatur. Pantomimi sunt rerum omnium imitatores & Archimimi præcipui & ceteri mimorum principes, qualis erat ille Fauo temporibus Vespasiani. Et hi ludi sunt scenici, quod in scena laterent personæ, donec in proscenium exirent, recitaturæ & acturæ.

Discrimen Tragœdiæ, & Comœdiæ, Cothurnorum etiam & Soccorum eorumque forma.

Tragica. Ceterum quadrifariam differunt Tragœdia & Comœdia. In Tragœdia res arduæ, ardentis affectus, atrocia scelera, & magna pericula tractantur. Hinc τραγωδιὰ sunt mira, miserabilia, incredibilia, grandia, & τραγωδία ac ἐπιτραγωδία, est tragice exaggerare, tragice loqui, id est magnificis verbis efferre. Et tragœdias excitare dixit Cicero in Miloniana. Nunc enim eiusdem (inquit) Appia nomen quantas tragœdius excitat? Rursum in tragœdia regum, principum, imperatorum ac diuitum personæ inducuntur: in comœdia mediocrium, priuatorum, urbanam & ciuilem vitam agentium. In tragœdia exitus sunt infœlices, in comœdia læti. Denique Tragœdi utuntur cothurnis, Comœdi soccis. Erat autem κόθορνός & calceamentum τετραγωνόν, καὶ ἀμφότεροδύξιον, id est quadrangulum, & vtriq; pedi conueniens dextro ac sinistro, & ad suras ligabatur. Verg. 1. Aeneid.
 Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram,
 Purpureoque altè suras vincire cothurno.
 Prouerbialiter itaque vocabant Græci hominem lubricæ fidei inconstantem, & ancipitis factionis, κόθορνός. Sic vocatus est Theramenes rhetor Atheniensis, Prodicti Chij discipulus; propterea quod duabus quasi sellis sedere videretur. Sic etiam autore Plutarcho Nicias dux est cognominatus ob morum vafriem. Ἐμβάδες, καὶ ἐβάται
Socci. sunt socci, hoc calceamentum erat commune populo acceptum à Thracibus differens à cothurnis humilitate tantum.

tum. Erant & κρηπέλια, ἀπὸ δὲ πέλις, & κρημαίθη, κρηπέλια, quod significat & offensionem, & sonum, præcipue quidem τῶν ἀλκμαίων, lignea calceamenta theatra, vt notat Camerarius in suis vtriusque linguæ commentarijs.

De Theatri forma eiusque partibus.

Theatrum a θεᾶδος, quod est spectare dicitur. Est autem Theatrum locus in quo Deorum immortalium diebus festis ludos spectabant sedentes cum coniugibus & liberis. De eius origine libuit Castiodori Variarum lib. 111. Verba ex epistola ad Symmachum hinc adscribere. Athenienses (inquit) primum agreste principium in urbanum spectaculum collegerunt, Theatrum Græco vocabulo visorium nominantes, quod eminens astantibus turba conueniens sine aliquo impedimento videatur. Aeschylus, vt diximus, opera Agitarchi Fabri Athenis primus scenam modicis tignis construxit, de qua idem Agitarchus commentarium reliquit: deinde Theatrum à Dionysio est inuentum. Fueruntque tam Græcis quam Latinis, theatra primum lignea, ac temporaria, ac etiam versatilia, cuiusmodi fabri Theatrum verisatule. M. Scauri.
 cavit M. Scaurus in funebri munere patris, huius meminit Plinius lib. xxxv. cap. xv. qui queritur populum gentium domitorem ludibrio se audaciæ commississe, vt machina pensili suspenderetur. Nam circum agebatur duobus cardinibus. Cum autem Valerius Messala, & Cassius Censores (vt autores sunt Liuius, lib. xlviii. & Valer. Max. de institutis antiquis) theatrum faciendum locassent, in quo populus Romanus sedens ludos spectaret: Naïca id ne fieret in Senatu obtinuit, tanquam publicis moribus nociturum. Itaque sc. totus ille theatricus apparatus

ratus destructus est, cautumq; eodem s. c. ne quis in urbe, aut propius mille passus, subsellia imponeret, sedens'ue ludos spectaret. Paulo autè Punicum bellum tertium populus Romanus per aliquot annos spectauit stans, usque ad deletam Corinthum, quo tempore L. Mumius ludis quos in triumpho fecit, theatrum erexit, sed temporarium. Primum mansurum theatrum Romæ Pompeius magnus extruxit lapide quadrato, autore Cornelio Tacito lib. xiiii. sumpto exemplari ab eo quod Mitylenis viderat bello Mithridatico. Fiebat autem hemicycli forma, eratq; pars circuli dimidia, & eo amplius, diametri quarta pars. Nam ex integra circuli circumferentia quartam partem dementes, quod reliquum erat, theatro dabant. Huiusmodi sanè rotunditas spectantibus erat percommoda, ut vox sine offensione, & resonantia perueniret ad imorum & summorum aures. Amphitheatra verò circulari integra forma construiebantur, aut ovali & oblonga, in quibus gladiatorij ludi, & conclusarum ferarum venationes exhibebantur. Eius area dicebatur cauea, & arena, quòd arena spargeretur, ut certantes sine offensione caderent, ut ex Suetonio liquet. Partes Theatri sunt Scena, Orchestra, Proscenium, & Pulpitum.

Quid sit Scena, Proscenium, & Pulpitum.

Apud Romanos, tam actores quàm reliqui artifices in scena dabant operam. Apud Græcos in Orchestra ludos peragebant artifices: sed soli Comici & Tragici in scena. Est autem scena frons Theatri, & ea pars quæ ab uno eius cornu ad alterum cum coopertura ducebatur, (fiebat enim theatrum in hemicycli formam ut diximus.)

Primum thea-
trum lapideū
Romæ.

Forma thea-
tri.

Amphithea-
trum.

Cauea, area, et
arena.

Scena quid.

mus.) Ea aut versatilis erat, scilicet cum machinis quibusdam subito vertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat. Aut ductilis, cum tractis tabulatis hac atq; illac, species picturæ interior nudabatur, ut annotauit Seruius lib. i. i. Georg. Propriè verò scena vocatur arborum in se incubantium concamerata condensatio, ut subterpositos ab aëris iniuria possit tegere. Gall. Une ramee, ou eschaffaut couuert. Nam priscis temporibus usum theatrorum sub frondibus & umbraculis agebant. Quare scena dicta est, inquit Cassiodorus, ab umbra luci densissima, ubi à pastoribus inchoante verno, diuersis sonis carmina cantabantur. Placidus Grammaticus scenam dicit esse cameram hinc inde compositam, quæ umbræ loco in theatro erat, in quo ludi agebantur. Scenæ autem longitudo ad orchestra diametron duplex fieri debet ut docet Vitruuius lib. v. cap. vii.

Proscenium locus erat ante scenam porrectus, in quo erat pulpitum, id est λογέιον seu θυμῶν, agentium & loquentium locus, le lieu ou estoit l'eschaffaut des ioueurs. In pulpitum enim actores prodibant, quod quidem ut Vitruuius sentit erat latius Latinis quàm Græcis. Eius autem altitudo Romanis erat non plus pedum quinque. At scena erat altior pulpito, Pulpitum altius proscenio, & orchestra. Ibi gesticulatione, cantu & saltatione, artifices personis in scena abditis populum retinebant.

De orchestra & generibus saltationum & auxilæis. Item quid sit Chorus.

Chorus multitudo erat canentium, & saltantium cum tibicine, primum quidem circa aras Deum, Vergil. v. i. Aeneid.

Verfatilis

Ductilis

Scenæ longi-
tudo.

Pulpiti latitudo.

DE FABVLARVM

illa chorum simulans ouantes Orgia circum
Ducebat Phrigias.

Quo in loco Seruius ait, chorum esse multitudinem in
sacra collectam, & in Georgicis.

Omnia quam chorus & socij comitantur ouantes.

Chorus. Chorus (inquit) proprie est coanorum cantus atq; saltatio.
Solebant enim aras liberi patris Deorumq; ceterorū gy-
rare canentes, atq; saltantes. Et primum ex choro subducta
est vna persona, qua respondēs alternis ipsi choro, amplia-
uit rem musicam, deinde altera, tum tertia, postmodum
quarta, tandem plures personae. Nam in choris numerus
personarum non est praefinitus: Omnes enim voce quasi
confusa loquentes, concentum in vnam personam forma-
bant. Constabat autem chorus tam viris quā mulieribus,
vt ex Troade Seneca apparet. Tamen id obseruari solitum
erat, vt si mas laudandus esset viris, si foemina, foemi-
nis chorus constaret. Praeterea quicquid canebatur, ad ar-
gumentum fabulae, maximè ad actum ipsum quem di-
stinguebat, oportebat pertinere, autore Horatio.

Actoris partes (inquit) chorus officiumq; virile

Defendat, neu quid medios intercinat actus,

Quod non proposito conducatur & hereat aptè.

Ceterum distinguebantur Graecis actus choro in orche-
stram ascendente, Latinis verò qui choro carebant, mimis
personisq; de proscenio in scenam redeuntibus.

Orchestra. Porro, vt scena erat actorum, ita orchestra chori, apud
Graecos quide, vt scribit Iullius Pollux lib. II. ca. XIX.
Secus apud Romanos, qui chorum non habentes, in orche-
stra senatorum loca designarant. Est autem orchestra di-
cta ab ὀρχήσασθαι, id est saltando, & gesticulando. Ibi enim
in medio theatri quod extruebatur, in actuum comuta-
tione

ORIGINE.

tione chorus, mimi, gesticulatores, canentes & saltantes
ludos suos peragebant, vt diximus. Nec olim vllum so-
lemne sacrum, non conuiuium, non ludus scenicus fiebat
sine tibicine, & saltatione. Quare Pollux lib. II. ca. I. do-
cet antiquis fuisse tria saltationum genera, ἐμμελεία, qua concinnitatis habet significationem, & ea quidem
Tragica erat, κόμωδία Comica & lasciuam, quam
Lucianus Silenium saltasse scribit, iocans in Icaromenip-
po. Tertia erat Satyrica σάτυρος dicta, ab agitatione &
motu. Hinc σάτυροι Satyros appellarunt, qui etiam
dicebantur ῥιχῆσθαι id est odiosè lumbos contorquere.

Erat & quoddam saltationis genus κῶμος id est, co-
messatio vocata, & τετρακῶμος bellatoria Herculi de-
dicata. κωμαστὴν qua cum praelio & ictibus fiebat. Et
Persica concitata, qua ab armatis peragebatur saltanti-
bus ad tibiam, & expeditè in altum salientibus, adhi-
bitis ensibus. De qua ceterisq; generibus meminit Ze-
nophon ἀναβάσεως lib. V. I. ἑπογύπτες saltabant cum
scipionibus senili specie & γύπτες ingredientes super
lignis pedibus. Saltatio dithyrambica τυρβασία nomi-
nata est. & μιμητικὴ imitatrix deprehensorum in furto
pridianarum partium. Sunt & saltationibus à genti-
bus nomina data, vt sunt Laconica, Τραχενιακα, Επιζε-
phyρια, Cretica, Mantiniaca, laudata ab Aristoxeno,
propter manuum gesticulationes, Ionica lasciuia, & c. de
quibus lege Pollucem, Zenophontem, & Camerarium in
suis commentarijs. Quare qui cantica scriberent, qua
saltarentur, poetas ὀρχηστῆρας appellarunt, qualis fuit
Thespis, Pratinus, Cratinus & Phrynichus. Et ὀρχηστῆρας
παῖσι ποίησας à varietate imitationis in Italia dixerunt,

Tria saltatio-
nam genera.

Tragica.
Comica.

Satyrica.

κῶμος.

τετρακῶμος.
κωμαστὴν.

Persica.

ἑπογύπτες.

Dithyrambi-
ca.

μιμητικὴ.

DE FABVLARVM

qui imitarentur ea quæ oratione enuntiarentur, Cuius imitationis artificem admirabilem fuisse saltatorem Neronis scribit Lucianus, *τὸ ἐξ ὀρχήσεως*, cuiusmodi & superioribus annis ipsi vidimus morionem quendam (Constantino erat nomen) in comitatu D. Iacobi Dalboni, qui vnus est ex quatuor Tribunis militaribus Francia, is saltando ad tibiam, omnium qui aderant mores ordine imitabatur.

Aulæa. Porro Aulæis sternebatur scena, et distinguebatur à pulpito. Erant autem *τὸ ἐξ ἀουλαῖς* seu *τὸ ἐξ ἀουλαῖς*, ita dicta ab aula Attali regis Asia, in qua primum sunt inuenta. Vnde Propertius,

Nobilis Aulæis porticus Attalicis.

Siparium. Loco aulæorum posterior ætas Siparia accepit. At Siparium erat veli genus minuti, quo scenam velabant. Cicero de prouincijs consularibus. Itaq; ille alter vt ipse est homo doctus, & à suis Græcis subtilius eruditus, quibuscum iam in orchestra helluatur, antea post Siparium solebat.

Quid actus, & quot in fabula. Item quid persona.

Actus est cum omnibus personis scena describitur, & interim chorus aut tibicen populum delectant, quod cum videmus, finitum esse actum cognoscimus. Debet autem omnis fabula non plus, nec minus quinque actibus continere, vt præcipit Horat.

Néue minor quinto, neu sit productior actu

Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

At singuli actus non habent scenas definitas, id est mutationes

ORIGINE.

tationes rerum aut personarum. Pluries enim vno actu personæ in scenam reduci possunt. Verùm præcipitur, ne plures tribus personæ vna scena agant in dramate, Quòd si quarta aut plures adfuerint, ne loquantur, nisi secum tacitè. Horat.

—Nec quarta loqui persona laboret.

Personam à personando Grammatici dictam volunt. Persona. Nam cum est caput & os personæ operimento tectum vndiq; vna tantum emittendæ vocis via aperta, vox non vaga, neque diffusa, sed coacta collectaq; vnum solum habens exitum, claros magis & canoros sonitus facit: vt scribit Gellius lib. v. cap. vii. Est autem persona, id quo histriones faciem suam in scena tegebant, & alienam præferbant, vt est apud Iuuenalem.

Personam thyrsūq; tenent, & sublegat acti.

Græci videntur appellare *προσωπεῖον* vel *μορμωδία* uel *μορμωδία* nomen ad terrorem incutiendum magis pertineat, neotericis laruam appellant. At cum olim ora histrionum fecibus perungerentur, personam reperit Aeschylus, vt dictum est, ne actores aliena vitia insectantes, agnoscerentur. Primus autem apud Romanos Roscius in scena vsus est persona, quòd strabo esset, & oculis peruersis. Tamen sine illa erat populo gratior, vt testatur Cicero lib. i. de oratore. Præterea non est hoc monitu alienum histriones coactos in scena personam ponere, præterquam in Atellanis fabulis, quas personati agebant. Antea non personis utebantur sed galeris, vt qualitas coloris iudicium ætatis faceret. Dicitur etiam persona, is qui personam sustinet κατὰ σκηνὴν *δοχίον* Gall, vn personnage d'vne farce.

De

DE FABVLARVM

De ludorum generibus, & ijs maximè quibus Terentianæ fabulæ sunt actæ, & primum de Megalensibus.

Quoniam diebus festis ludorum celebritates fiebant, ascribitur titulis fabularum quibus hæc fuerint actæ. Quare pauca de ludorū generibus trademus. Erant autem ludi, alij statim & solemnes, alij repentini & extraordinarij, qui ob inopinatum aliquem casum fiebant. Erant & privati, qui sumptu alicuius familiæ exhibebantur, cuiusmodi erant gentilitij ludi, & ij qui vel propter honorem petitionem, vel propter funeris celebritatem agebantur. Unde & munerarij, & funebres sunt appellati. Porro in genere ludi sunt duplexes. Scenici, & Gymnici. Scenici ingeniorum acumine, & actionis agilitate, seu arte constabant. Ut Comædia, Tragedia, &c. de quibus abundè diximus. Gymnici verò exercitio, habituq; corporis. Ita autem sunt appellati à nuditate, quòd ludentes corpora nudarent, aut saltem vestes exuerent, quò essent expeditiores, & agiliores ad certamina ludicra. De horum primarijs formis meminit Verg. Aeneid. v. & Homerus penultimo Iliad. Prima est pugna, cum pugnis, cestibus, gladijs, fustibus, hastis, pilis, similibusq; armis certabatur. Huc spectat & gladiatoria, cum gladiatores varijs modis dimicabant, interim pro gloria, interim pro vita: idq; spectante populo, ut iuventus cadum, sanguinis & vulnerum aspectu, assuescerent in bello minus ista timere. Huc quoque refertur pugna, & certamen cum bestijs: qualia multa scribit Martialis. Vtrunque horum omnino infame fuit ingenuis, & ferè per seruos, agebatur. Item lucta, cum alter

Ludorum duo genera. Scenici.

Pugna. Gladiatoria.

Certamen eum bestiis.

Lucta.

ORIGINE.

alter alterum in terram prosternere, tum vi, tum agilitate corporis nititur. Altera species est cursus, cum peragunt currendo certa stadia in campo, perueniuntq; ad metam destinatam. Tertia erat saltatio in equo campo, aut infernè ad locum superiorem & contrà, aut cum in equos, currus ue insiliebant, non tantum nudi, sed etiam armati & cataphracti. Quarta iaculatio discorum, sagittarum, pilarum, telorū omniumq; armorum cuiuscunq; generis, quæ longè projiciuntur. Et hi ludi sunt ferè pedestriū. Quinta species est decursio equestris qua exhibetur species pugne equestris, qualem describit Vergilius in v. Hanc nobiles imitantur, cum cataphracti concurrunt hastis, aut gladijs ex equo pugnant. Sexta est aurigatio, id est certamen bigarum, aut quadrigarum: cuius formam & schema videas apud Philandrum in annotationibus suis in Vitruvium. Septima est Naumachia, id est nauale certamen, cum in mari, fluuio, stagno, lacu, forma naualis pugne representatur, qualem fieri vidimus Lugduni super Ararim in aduentu inuictissimi regis nostri Henrici. His autem tam scenicis quam Gymnicis ludis varias appellationes indiderunt Romani, pro varia qualitate locorum, & circumstantiarum. Et ferè Gymnicos quinque modis nominarunt. Circenses à circo maximo. Magnos, quòd in honorem magnorum deorum duodecim celebrarentur, quorum sex sunt mares, Iupiter, Neptunus, Apollo, Mars, Vulcanus, liber pater: sex quoque femina: Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Venus, Diana. Item maximos à circo maximo. Erant enim alij circi minores, ut Flaminius, Apollinaris, Vaticanus. Romanos, quòd Romæ maximè fuerint solemnes. Plebeios quòd acti sint pro salute plebis. Megalenses, Megalesia, vel

Cursus.

Iaculatio.

Decursio equestris.

Aurigatio.

Naumachia.

Circenses.

Magni.

xii. magni Dii.

Maximi.

Romani.

Plebeii.

Megalenses.

DE FABVLARVM

Vel Gracos, eò quod post translata Cybelem ex Asia minore, Romani illam coluerint Graco ritu. Hæc ex Velcurione ad verbum ferè ascripsimus. Ceterum Donatus ludorum species ad quatuor redegit, Megalenses, Apollinæ, Plebeios, & funebres. Constat autem Terentianas Comædias, aut Megalensibus aut Romanis ludis, aut funebribus actas esse, vt ex earum titulis sit manifestum.

Megalenses
primi totius
anni ludi.

Megalenses in palatio ante adem magnæ matris Deum, fieri consueuisse indicat Cicero de responsis Aruspicum, erantq; primi ludi totius anni.

Illa Deos etenim peperit, cessere parenti

Principiumq; dati mater honoris habet.

Sic Ouid. lib. de Fastis IIII. In his histriones ad nouum opus aggredientes, mira lasciuia turpissima, & spurcissima quæq; in matrem Deum, & Atyn dieditabant. Alij etiam eo tempore honestissimi Romanorum cultu dissimulato, vt nosci non possent, licentiosissime per urbem vagabantur, nullis fœdis dictis factisq; parcentes, vt autor est Herodianus in Commodò. Fuere autem instituta Megalesia, secundo bello Punico. Cum enim ex libris Sibyllinis didicissent Romani, alienigenam hostem Italia pelli posse, si mater Idea Pessinunte vrbe Phrygiæ Romanam adueheretur, & à viro optimo exciperetur. Senatus iudicauit P. Scipionem Nasicam, virum in tota ciuitate optimum, qui dignus esset è nauis Deam accipere. Itaq; præcantes vt volens, propitiâq; urbem Romanam iniret, in adem victoriæ, quæ est in palatio, Deam pertulere pridie Idus Aprilis. Isq; dies festus fuit, & Megalesia ludi fuere. Quintus decimus is annus erat Punico belli, P. Cornelio Scipione (cui post Africano fuit cognomen)

Megalesia
quando insti-
tuta.

ORIGINE.

& P. Licinio COS S. Locauerunt adem faciendam ex s. M. Liuius, C. Claudius Censores. Tredecim annis postquam locata erat, M. Iunius Brutus eam dedicauit, ludiq; ob eius dedicationem facti Megalesia appellati, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est autor. Vt scribit Liuius decadis IIII. lib. VI. Eos primos fecerunt Aediles curules C. Attilius Serranus, L. Scribonius Libo, spectauitq; tum primum Senatus à populo secretus, cum ante ad quingentesimum octauum annum in promiscuo spectatum esset. quæ res ipsi Africano (quod Consul autor eius rei fuerat) magnam peperit inuidiam. Tunc certa loca spectandi patribus, equitibusq; diuisa sunt: cum interim plebs promiscuè spectaret de humiliori loco. Illi loci spectaculorum editiores, ordines sunt appellati: quorum quatuordecim proximi, multis post annis assignati sunt peculiariter ordini equestri à L. Roscio Tribuno Pleb. De qua lege Roscia theatri meminit Florus in Epitoma 99.

Quando dedi-
cata ædes ma-
tris Deum.

Qui ædiles
primi mega-
lenses ludos
fecerint.

Quando cer-
ta spectandi lo-
ca diuisa sunt.
Ordines.

De ludis Romanis & circo maximo.

Romani ludi idem sunt, qui & Circenses: quos primum fecisse Romulum, quarto mense ab vrbe condita, scribit Fabius Pictor, quo die Sabinas rapuit. Sed alij longius tempus tradunt, quod verius crediderim. Sacri fuerunt Conso, quem Græci Ἰννοσοειδῶνα, id est Neptunum equestrem appellant: Cuius templum ab Euandro fuit erectum in Latio, diesq; festus statutus, quem illi Ἰννοσοειδῶνα, Latini Consualia nominant. Equi & pugiles certabant. Circenses appellatos putat Seruius, quod ensibus circumdarentur certantes. Nam initio iuxta fluminis ripam fiebant, vno latere vrgente flumine, altero

Romani ludi
à Romulo pri-
mum facti.

Consus.
Neptunus
equestris.

Consualia.
Circenses vn-
de dicti.

altero positus gladijs, ut ignavis vtrique presens esset periculum. Postea à Tarquino Prisco rege locus est circo designatus, qui deinde maximus est dictus, à quo Verius Circenses nominatos credam. Fuit autem Circus maxi-

Vbi situs fuerit circus maximus.

Pauimentum circi quale.

Longitudo et latitudo circi & forma.

Sex puluina ria.

mus inter Palatium montem et Auentinum, non procul ab Herculis templo. Huius pauimentum erat ex Chrysocola materia omnium durissima, quæ nasci solet, postquam aurum est effusum. Cæsar illum deinde ampliauit. Longus enim fuit tria stadia cum dimidio, & latus quatuor iugera. Eius forma erat oblonga, instar arcus. Huius descriptionem habes apud Martianum lib. 1111. cap. x. Topographia. Post cladem ad Thrasymenum lacum celebrati sunt hi ludi magnis sumptibus, scilicet 333. millibus æris. Ioui sacrificatum bobus 300. multisq; alijs diuis bobus albis, atque cæteris hostijs. Curatum lectister-nium, & per triduum habitum. Puluinaria in conspectu fuere, Ioui & Iunoni vnum Alterum Neptuno & Minerva, Tertium Marti & Veneri, Quartum Apollini & Diana, Quintum Vulcano & Vesta, sextum Mercurio & Cereri. Vide Lium tertie Decadis lib. 11.

De ludis Apollinaribus.

Carmen Martii vatis.

Apollinares ex Martij vatis carminibus, quibus Can-nensis clades prædicta fuerat, sunt instituti. Carmen illud adscribit Lium Decad. 111. lib. v. Hostes Romani (inquit) si expellere vultis, Vomicamq; quæ gentium venit longè, Apollini vouendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant. Cum populus dederit ex publico partem, priuati vti conferant pro se, suisq; ijs ludis faciendis præerit Prætor is, qui ius populo plebiq; dabit

dabit summum. Decem viri Græco ritu hostijs sacra faciant. Hæc si rectè faxitis, gaudebitis semper, fietq; res vestra melior. Nam is dius extinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascit placidè. Ad id carmen explanandum diem vnum sumpserunt. Postero die sc. factum est, ut decem viri libros de ludis Apollini req; diuina faciendâ inspicerent. Ea cum inspecta relataq; ad senatum essent, censuerunt patres Apollini ludos vouendos, faciendosq;. Et quando ludi facti essent, duodecim milia æris prætori ad rem diuinam, & duas hostias maiores dandas. Alterum senatusconsultum factum est, ut decem viri sacra Græco ritu facerent, ijsq; hostijs, Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis: Latona boue fœmina aurata. Itaq; ludos Prætor in circo maximo cum factururus esset, edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret. Hæc est origo ludorum Apollinarium victoriæ non valetudinis ergo, ut pleriq; rentur, votorum. Hos populus coronatus spectauit, matronæ supplicauere. Vulgò apertis ianuis in propatulo epulati sunt, celeberrq; dies omni caremoniarum genere fuit. Hæc Lium. Porro hi ludi Q. Fulvio. App. Claudio o o s s. à P. Cornelio Sulla prætoris Urbis primum sunt facti. Inde omnes deinceps prætores Urbani fecerunt, sed in vnum annum vouebant, & incertâ die faciebant. Itaque cum pestilentia grauis per urbem grassaretur bello Punico, P. Licinius Varus prætor Urbis legem ad populum ferre iussus est, ut hi ludi in perpetuum ad diem statam vouerentur. Quare ipse primus ita vouit, fecitq;, ad 111. Nonas Quintiles. Quo die deinceps sunt celebrati.

Origo ludorum Apollinarium.

Quando celebrantur Apollinares.

De funebribus & Plebeijs.

IN funeribus patriciorum fiebant quoque ludi tam Gymnici quàm scenici. Illudq; in primis commendatione dignum, quod ijs qui plus gratia & dignitate valerent, quorum etiam magna in Remp. forent merita, magnificentius celebraretur funus, quandoque privato sumptu, quandoque publico, si facultates deessent aut in magistratu morerentur. Sicut fecit Populus Romanus Menenio Agrippa, & Q. Fabio Rutiliano. In his exhibebantur gladiatorum paria, & fabulae, continuabanturq; per quot dies vellet haeres defuncti. Et epulum plerunque, id est publicum conuiuium populo dabatur, aut visceratio, id est cruda carnis distributio, quandoque panis & vinum domum perferenda. In funere Pub. Licinij. Pontif. Max. visceratio data est, pugnaueruntq; 120 gladiatores, ludi funebres per triduum facti, & post ludos epulum. Cumq; toto foro strata essent triclinia, tempestas cum magnis procellis orta coegit plerosq; tabernacula statuere in foro.

Plebei vero ludi sunt qui post seditionem primam in sacro monte acti sunt, in gratiam plebis reconciliatae cum patribus. Deinde illi saepe pro salute populi sunt instaurati. Ut apparet ex Lilio. Non autem eosdem esse plebeios, & Romanos, ex eiusdem Lij verbis est manifestum. Qui Decad. III. lib. III. Aediles, inquit, curules C. Lectorius, & T. Sempronius Gracchus consul designatus, qui in Aedilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerunt, qui per triduum instaurati sunt. Plebei ludi à M. Aurelio Cotta & M. Claudio Marcello ter instaurati sunt. Ludi Romani singulis annis celebran-

Epulum.

Visceratio.

Funus P. Licinii.

Plebei ludi.

brabantur, suntq; magni, maximi, & Circenses variè dicti: Plebei non item. Praeterea ex ascriptis Lij verbis obseruasse mihi videor non ab eisdem adilibus curatos fuisse hos ludos. Suspicio equidem à Curulibus Romanos, Plebeios à Plebeijs fieri consueuisse.

De antiquis fabularum partibus, & generibus tibiarum, quibus fiebant modi.

PRiscis temporibus tria Comcediarum membra fuerunt. Canticum, quod vna persona, vnaq; aut duabus tibijs cantabatur, dum actus commutarentur. Chorus, qui incerto quidem numero personarum, sed omnium vocibus in vnum sonum confusus constabat. Et diuerbium, in quo trium aut quatuor ad summum persona loquuntur. Latini chorum ex Comcedijs excluserunt, Cantica nulla comica extant. Nihil iam in fabulis Terentianis habemus, praeter diuerbia. Et cum Chorus caneret, melodos, id est artifex modorum, tibijs choraulicis: in Canticis vero, tyraucis concinebat. Cantica ut scribit Donatus, temperabantur, modis factis non à poëta, sed à perito artis musices. Qui modi in eodem Cantico saepe mutabantur. Tibicines praecinentes indicabant actori, quam vocem in agendo sequi deberet: Iratam ne, an remissam, humilem, an elatam, & interim spectatores detinebat quandiu actores ab agendo cessarent. Hinc Plautus, dum concenturio (inquit) in corde sycophantias, tibicen vos interea hic delectauerit. Est autem modus mensura illa quam cantores inter canendum obseruare solent. Et etiamnum suis cantilenis ipsi figuram quandam preponunt, quæ modum indicat, & faciuntq; modum maiorem, minorem, perfectum, imperfectum, ta-

Membra Comcediarum. Canticum. Chorus.

Diuerbium.

Quibus tibijs vteretur artifex modorum.

Modus quid.

metſi inter noſtram & antiquorum muſicam permul-
tum intereſſe putem. At nonnunquam Comædi, adeo
muſices erant periti, vt modos, qui à tibicine canerentur,
ipſi componerent, quod Cicero primo, de Oratore indicat.

Rofcius. Solet inquit idem Roſcius dicere, ſe quo plus ætatis ſibi
accederet, eò tardiores tibicinis modos, & cantus remis-
ſiores eſſe facturum. Verùm olim in ludis, nuptijs, ſa-
cris funeribus opera tibicinum vtebantur, eſtq; ipſis ma-
gnus à Romanis honor exhibitus. Nam cum ab Appio

Tibicines
quando Ro-
mam reuocati
Claudio cæco cenſore, ipſis ius epulandi & decantandi
in publico ademptum eſſet, ob idq; irati Tibur conſeſſi-
ſent vno agmine omnes, ad eò vt nemo eſſet in vrbe, qui

ſacrificijs præcineret, per legatos ſunt repetiti: Hi cum
ſe redituros negaſſent, fraude à Tiburtinis circumuenti,
remiſſi ſunt, & ingenti lætitia à populo Romano excepti,
vt ſcribit Linius lib. x. Decadis primæ. Tibiarum au-
tem inuentionem Mineruæ nonnulli tribuunt, quibus

Minerua ti-
tibiæ in-
uentrix.
cum in Deorum conuiuio caneret, buccasq; eius tumentes
irriderent Diuones, ad Tritonem Paludem buccarum
ſuarum turpitudinem in aqua contemplata, tibias abie-
cit, quibus à Marſia repertis, ipſe doctior factus, Apollin-
em ad canendi certamen auſus eſt prouocare. Muſæ &

Marſias.
Minerua iudices certaminis, Marſiæ ſuperato pellem de-
traxerunt. lacerumq; viſceribus reliquerunt, vt ſcri-
bunt Apuleius libro primo Floridorum. Ouid lib. Meta.
v i. Quare ſunt qui ad Marſiam earum inuentionem
referunt. Nam & Romæ in eius templo, gemina ſerua-
bantur fiſtula, quæ ipſius aliquando fuiſſe dicebantur.

Tibiæ ab
Athenienſibus
reiectæ.
Ariſtoteles v i i. politicorum, reiectas ab Athenienſi-
bus fuiſſe ſcribit, non tantum propter oris deformitatem,
ſed quia nihil conferrent ad intelligendum. Præterea
per

per id tempus, vt etiam noſtro, malè audiebat tibicinum
genus, tanquam corruptum, & ad omnem voluptatem
proiectum, vini auidum, leue & vanum vt indicat
iocus & Epigramma in illos apud Athenæum lib. v i i i.

Ἄνδρες μὲν ἀλκίπτοι θεοὶ νόον δὲ ὑπέφουσαν,
Ἄλλ' ἅμα τῷ φουσῶν χ' ὦ νότ' ἐκπέταται.

Munere diuorum, nulla in tibicine mens eſt:

Dumq; frequens ſtatus ducitur, illa fugit.

Cur autem hoc hominum genus, vix vnquam bonæ fru-
gis eſſe conſueuerit, in Problematis idem Ariſtoteles du-
plicem reddit cauſam. Siue quod pueritiam omnem ſua
arti impendentes, nec literis, nec Philoſophiæ dant ope-
ram, quibus poſſint meliores euadere. Siue quod nuptias
& conuiuia ſectantes, aſidue in delitijs & voluptati-
bus vitæ agant, vide Gell. lib. x x. Sed vt ad rem redea-
mus, cum tibiæ eſſent reiectæ imperante Alcibiade, ha-
rum loco liram ſumpſit Attica Iuuentus.

Cur tibicines
corrupti eſſe
ſoleant.

Lira loco ti-
biarum acce-
pta.

Atqui Comædiæ tibijs paribus, aut imparibus, de-
xtris, aut ſiniſtris, aut Sarranis agebantur. De quibus
tametsi ſcripſerint multi, ipſarum formas non explicant,
nec puto quenquam noſtra ætate perfectè ſcire poſſe. Scri-
bit Donatus ſiniſtras & Sarranas acuminis leuitate io-
cos in fabula eſſe ſignificare. Ambæ dextræ grauitatem,
dextram & ſiniſtram, miſtum grauitate iocum. Sunt
qui pares tibias eſſe putent, cum duæ eiusdem craſſitu-
dinis & toni modulantur, ipſumq; cantum Synodium
appellant: Impares verò cum vna tantum canit, &
cantus ipſe Monodium dicitur. Sexto Pompeio dextræ
ſunt, quæ dextra tenentur, ſiniſtræ quæ leuæ. Donatus
videtur Sarranas & ſiniſtras eaſdem eſſe velle. Ser-
uius ſcribit Sarranas eſſe, quæ pares & æquales habent

Tibiarum ge-
nera.

Siniſtræ &
Sarranæ quid
ſignificarent.
Ambæ dex-
træ.

Dextra & ſini-
ſtra.
Pares tibiæ.
Synodium.
Impares.
Monodium.

Tibia comi-
ca.

cavernas (quas dextras putat ab eo intelligi Nanus, easdemq; Lydias à Donato appellari, ob grauitatem soni) Phrygias verò quæ impares. Equidem si meam sicut & alij diuinationem efferre audeo. Tibias (cum res comica Romæ floruit) tubarum nostrarum ex orichalco speciem retulisse existimo, quales sunt hæ quas Gall. appellamus hault bois, ou doulfanes, vt indicare videtur Horatius in poetica.

Tibia non vt nunc orichalco vincta tubæq;
Aemula, sed tenuis simplex foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis, atq;
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.

Significat initio tibicines vsos esse tibia simili fistula nostræ quæ mitem redderet sonum. Deinde crescente hominum luxuria, acceptam eam quæ proximè ad tubam accederet & clamorifera sonum instar illius haberet. Vinciuntur enim hæ quas dulcianas dicimus bractea seu fascia quadam ex orichalco ad ima foramina, duobus cornibus sursum versus prominentibus, & tremulis, ex eodem orichalco, quæ inter canendum minimo tanguntur digito. Instantur autem supernè lingulis ex canna eminentibus, velut pennis duabus, quæ ori imponuntur. In eam coniecturam ducor etiam Plinij testimonio, qui lib. xvi. cap. xxxvi. ait, eam canna partem, quæ radici proxima est, aptam esse ad tibias sinistras, quæ ad summum vergit cacumen, ad dextras. Sed cum Donatus asserat tibiam dextram grauiores sonos edere, acutiores sinistram, videtur hic locus non carere mendo. Vt etiam colligit Nanus. Propterea quod canna ad radicem, vt est capacior, ita grauioris soni & amplioris, quàm quæ vergit ad cacumen. Proinde, ea pars can-

na, quæ

na, quæ radici est contigua, aptior est ad dextras, quàm sinistras. Et fortasse transposita sunt Plinij verba. Equidem ex verbis Varronis primo de re rustica, quæ citat ipse Nanus miscellaneorum libro primo, existimo dextras esse, quibus inchoaretur canticum: sinistras, quæ dextris succederent, canticumq; perficerent. Nam ait Varro, vt dextra tibia alia quàm sinistra, ita tamen vt sit quodammodo coniuncta, quod altera est eiusdem carminis modorum incentiua, altera succentiua. Incentiuam vocat quæ incipit, inchoatq; modos, succentiuam quæ post illam canit. Et tametsi non exprimat, vtra præcinat succinatue, est tamen verisimilius dextram grauiorem fuisse præcentoriam. Quare arbitror dextras fuisse dictas, quod dextrà scenæ parte existens tibicen, ijs modum carminis ordiretur, caneretq; ad certam cantici partem: sinistras verò quod in sinistra scenæ parte, alij tibicines, vbi dextræ desissent, reliquum cantici percanerent. Erantq; sinistræ acutiores & tenuiores, quales sunt, quæ altum tonum habent in quadripartitis cantibus choraulium nostrorum, vnde desus de hault bois, ou vn cornet. Miscebantur quandoque dextræ sinistris, simulq; modulabantur, sicuti grauiores nostræ (quas dulcianas appellari diximus) stridulis illis & peracutis ex ligno stannone, quas corneta vulgus vocat, efficiuntq; gratiorem concentum. Nec ferè hoc tempore, grauioribus illis vtuntur sine tenuioribus, & streperis. Sarra-

Dextræ.

Sinistræ.

Sarranæ.

DE FABVLARVM.

tiquitus dicta fuit. Nam ostrum Sarranum pro Tyria purpura dicimus. Sunt enim multe tibia à gentibus nominatae vt Aegyptia, Gingria, Lyda, Phrygia, &c.

Quot esset foraminū tibia.

Porro tibia principio paucis foraminibus constabat, vt ex Horatij loco iam à me citato liquet. Varro ad Marcellum de lingua Latina quatuor foraminum fuisse apud antiquos scripsit. Et in Marsia templo huiusmodi se vidisse. Alij trium fuisse putant. Vtrique recte: Nam inferne foramina phthongos mutantia si spectes, tribus tantum constabit, cuiusmodi sunt fistulae tympanistarum nostrorum, si superius foramen quo inflantur, erunt quatuor. Nostra aetate quaedam septem vt Heluetia fistula, quaedam decem habent. Sed ex superioribus acutior ex inferioribus & longinquioribus grauior sonus emittitur. Causa est quod spiritus vbi incipit fortior est, vbi desinit remissior & languidior. Verum visum est mihi monitu non esse alienum in distinguendis actibus fabularum, non modo canere sed etiam saltare moris fuisse. Horat.

Sic prisca motumq; & luxuriam addidit arti

Tibicen, traxitq; vagus per pulpita vestem.

Varia aera in theatro. Symphoniarū differentia.

Nec etiam pratercundum duxi in theatris fuisse vasa aera ita conflata, vt tacta redderent symphoniarum differentias: diatessaron, diapente, diapason, diapason & diatessaron diapason & diapente, & dis diapason: Cuiusmodi sonos nota adium sacrarum imitantur. Peractis ludis posteaquam Plaudite dictum esset (id autem à cantore dici Horatius significat.

—Donec (inquit) cantor vos Plaudite dicat.)

Populus non tantum collisione manuum, sed etiam lapidibus in ea vasa coniectis maiorem edebat plausum. Claudius

ORIGINE

dius pulcher deinde instituit, vt tanta lapidum collectio inijceretur, vt sonus tonitru similitudinem referret. Vnde Claudiana tonitrua dicta.

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina	Versu	lege
1	13	ἐν παραδόξῃ
2	26	deest (narrat) post oportuit
eadem	27	deest (proemij) post totius
3	26	deest (invidus) post maledictis
eadem	27	lege ὀψοῦ
4	8	cruciat
eadem	26	ab
6	22	Menandri
7	17	inscitia
eadem	20	Utamur
10	5	iussa
eadem	16	ἀντιθεσίῳ
21	24	Vox est
23	5	hic
25	25	plantulas
30	26	facillime
39	penult.	quia cum
41	18	Nam
eadem	19	altero pro altero
50	2	foco
57	4	ironia
61	20	positivo
eadem	23	Versutia
63	29	ne obsecro
68	20	ἰσοδυναμίᾳ
70	5	pro
71	29	deest (significat) post in tempore fit
79	14	lege nihili

Pagina	Versu	lege
81	18	ipsum
82	16	tolerans
eadem	19	conquestionis
eadem	21	si, ni,
83	5	propositio
84	7	animum
86	15	deest (à) post argumentum
87	29	expunge (vt) post vides
89	2	expunge (animos)
90	19	lege eius
98	10	πλαγῆ
107	26	commutatio
109	9	promittentis
110	21	Hectoris
122	27	titubat
126	3	fuerat
128	21	lege (ac tu) separatim
132	14	μετάληψις
135	22	fuit
137	12	incautos
142	2	illinimus
144	2	gerundi
eadem	3	gerundi
eadem	24	commorationem
145	26	parasitos
170	11	insigne
175	11	commouet
197	23	conquerentes
200	4	et mora
220	7	imitatur

Pagina	Versu	lege
230	13	iudicatio
231	7	Isodynamia
eadem	20	nonnunquam
eadem	26	nonnunquam
235	14	huic verbo infinitum, &c.
243	26	obfuturum
244	15	contemptim
260	17	epithetis
266	8	ἐλλειψις
293	9	criminabantur
299	5	expetet
322	20	querendi
325	26	vult dicere
329	6	conquestionis
331	11	digni
333	3	iniuria
335	28	συλληπτικῶς
334	30	ἐκλεπτικά
344	27	fungitur
348	4	calculi
eadem	5	deest (à) vt sit à pedum, &c.
353	4	lege interseruntur
355	2	tertia
eadem	24	deest (triginta) vt sit, Senatorius tri- ginta trium millium
371	14	lege At
373	9	factus
383	16	deest (rē) vt sit vno verbo rē sine, &c.
388	10	deest (ergo) vt sit aut ἐρωτηνῶς est accipiendum ergo.

Pagina	Versu	lege
399	24	à ce que tu dis
eadem	ultimo	indicandam
402	penult.	completeretur
404	21	Isodynamia
405	22	indicant
412	23	comitabatur
415	11	gestire, ut sit, loco gestire legendum gestare
eadem	14	ac si diceret
420	penult.	dictum
423	6	nominatim
429	1	ob
431	19	ἀμφοί
438	15	Ne noram
eadem	22	sacrificus
440	14	ducendam
441	23	privatim
454	14	illices
456	6	mutatione
458	penult.	pro
462	15	διηκουέει
470	16	posuit
476	17	παρέλκει
481	7	submonet
eadem	11	deest (τὸ) ut sit, & τὸ etiam temporis significationem
504	27	lege bonis
507	7	Galli
eadem	8	imitantur
511	18	cum

Pagina	Versu	lege
515	16	solecophanes
520	9	inuenta
537	16	mundicie
538	2	deest (opponitur) post elegantia
eadem	5	lege sine vilo
eadem	21	familiarissimam
553	penult.	ἐυδαίσις

A N D R I A T E-
R E N T I I.

PROLOGVS. *Trimetri Iambici.*

Poëta cum primùm animū ad scribendū appulit,
Id sibi negotij credidit solū dari,
Populo vt placerent, quas fecisset fabulas.
Verūm aliter euenire multò intelligit.

Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui maleuoli
Veteris poëtæ maledictis respondeat.
Nunc quā rem vitio dent, quæso, animū aduertite.

Menander fecit Andriam, & Perinthiam.
Qui vtramuis rectè norit, ambas nouerit.
Non ita dissimili sunt argumento: sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ, ac stylo.

Quæ conuenere in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atq; vsum pro suis.
Id isti vituprant factum: atq; in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.

Faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant.
Qui cum hunc accusant, Neuium, Plautum, Ennium
Accusant: quos hic noster autores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam

Potius, quàm istorum obscuram diligentiam.
Dehinc vt quiescant, porro moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Faurete, adeste æquo animo, & rem cognoscite,

Vt pernoscat, quid spei sit reliquū,
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

PETRI MENE-
NII LVGDVNENSIS

Commentaria in P. Terentij Co-
mœdias, Andriam & Eu-
nuchum.

*



POËTA] Prologus est ἀναφο-
ρικός, poëtæ defensionem aduersus
maleuolorum obreclationes conti-
nens: Ideoq; ad genus δικάριον &
forense pertinet. Status Iuridicialis
absolutus: Nam de factò conuenit,
sed de facti qualitate queritur.
Obijciunt emuli Terentium alienas fabulas corruppe-
re, quòd ex Andria & Perynthia Menandri, vnicam
fecerit fabulam: id non negat actor, sed poëtæ factum
tuetur exemplo Neuij, Plauti & Ennij. Constat autem
exordio, narratione, propositione, refutatione, & epilogo.
Principium δὲ παράδοξον ductum, Nunquam futurum
credidisse poëtam (cum scriberet) rem sibi cum emulis
fore: ipsumq; purgat de pratermisso argumento, quod
alioqui in prologo narrari oportuit, & culpam in ad-
uersarios rejicit: quibus (quoad eius fieri potest) pleris
odium conciliat, & nouo poëtæ benevolentiam parat.
Poëta] Eum habet honorem Terentio, vt poëtam appel-
let. Qui quantopere fuerit olim à fabularum scriptori-
bus expetitus, indicio est thema illud rhetorum decla-
mationibus tritum de Accio, qui cum Mimo iniuria-

rum agit, quod proprio nomine in scena fuisset compellatus.

Appellere. Ad scribendū appulit] Translatio à re navali. Nam appellere dicuntur, qui ex alto mari in portum inuehuntur, cui contrarium est soluere.

Aediles. Dari] ab aedilibus, à quibus scribendi susceperat negotium. Hi enim ludos & spectacula publica curabant, fabulasq; à poetis emebant.

Populo ut placerent] captat benevolentiam à poëta studio, quod omnino ad populi delectationem conferre decreuerat, si per inuidos licuisset.

Quas fecisset fabulas] Antiptosis elegans, & oratoribus frequens.

Poëta unde dicitur. Fecisset] propriè dictum. Nam à faciendo poëta nomen habent. Ideo symbolum Nicenum Deum $\omega\omicron\iota\kappa\tau\iota\omega$ cali & terra vocat.

Verum aliter euenire &c.] Græcorum $\delta\iota\kappa\omicron\nu\omicron\mu\iota\lambda\alpha\upsilon$ in exordijs imitatur, qui primum sententiam aliquam proponunt, quam mox huius ratio sequitur: Deinde expolitio rationis, postremo conclusio. Itaque huius exordij hæc est πρότασις. Cupiebat poëta cum primū scriberet, quam gratissimas posset fabulas populo dare. Sequitur aduersatiua: Verum aliter euenire multò intelligit. deinde κατασκευή. Nam in prologis scribendis operam abutitur. Quarto $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\kappa\epsilon\upsilon\eta\varsigma$ expolitio. Non enim argumentum (ut oportuit) sed maleuolis respondere cogitur. Tandem ἀξιῶσις, & conclusio totius. Nunc quam rem vitio dent, queso animum aduertite.

Prooemium. Prologus. $\pi\acute{\rho}\omicron\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\omicron\upsilon$. In prologis scribendis] Aristoteles, I I I. Rhet. Prooemium (inquit) est orationis exordium. Id in poësi nuncupatur prologus. In tibiarum vero incensu πρόαυλιον.

Operam

Operam abutitur] Id est, non utitur. Ab enim interdum negandi vim obtinet, interdum abuti malè uti significat. Abuti.

Non qui argumentum] Expolit, & quodammodo interpretatur priorem sententiam. Est autem argumentum res ficta, quæ tamen fieri potuit, & quæ Comici ac Tragici operum suorum argumenta vocant, Rhetores themata: quæ totius orationis controversiam continent. Ea sunt aut facta aut ficta. Porro omnis ad scribendum proposita materia argumentum dicitur, Dialecticis verò est ratio probatione præstans. Vide Fab. libr. v. At, Non qui pro, qui non, ἀνα- non qui.

ἔροφην esse puto carminis causa, quod alioqui una syllaba esset longius, nisi postpositum esset negationi pro uocabulum, quod quia causam significat, subiunctiuo iungitur. Et in hac loquendi figura Quintilianus, alijq; huius ætatis scriptores relatiuo præponunt ut, ut pote, quippe. dicerentq; ad hunc modum, ut qui, utpote qui, quippe qui non narret argumentum. Linacer suspicatur τὸ qui pro qua auferendi casu poni, Donatus pro ut.

Sed qui maleuoli] φήσων & διαβολή, à cuius persona beneuolum reddit auditorem, illumq; trahit in odiū & contemptionem. Est enim maleuolentia, ut Cicero definit, voluptas ex malo alterius sine suo emolumento. Et ferè ex inuidia nascitur. At gaudet impense maledictis, Ideo à Pindaro verè dicitur, Inuidis obsonium esse maledicta. ὄφρον δὲ κακῆς οἰίας τοῖς φθονεροῖς.

Maleuoli] Vituperatio ab animi natura.

Veteris] Ab ætate in contemptionē adducit. Veteres enim Comici ante Plautum, Cæcilium, & Terentium horridi planè & inculti fuerunt.

4 2 Poët

Inuidiæ
causa.

Poëtæ] *studij circumstantia, qua obiter inuidiæ causam indicat. Nam, ut inquit Hesiodus, καὶ κρημεύς κρημεῖ νόρξεν, καὶ τέκτωνι τέκτων, καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ. Sed interim attende modestiam Poëtæ, qui parcit nomini aduersarij. Perstringit autem, ut quibusdam placet, L. Lauinium Terentij æmulum.*

L. Lauinius.

Poëtæ maledictis] *id est, poëtæ maledicenti, ἐτέρω-
οῖς honesta, ut cruciet huius animum vxoris impudici-
tia, & vxor impudica. De hac Erasmus primo de copia.*

Respondere.

Respondeat] *à causâ equitate beneuolentiam poëtæ conciliat. Nam qui respondet, lacepsitus est. Estq; respon-
dere verbum iuris, quod Græci ἀπολοῦσθαι dicunt, id est defendere, ac causam dicere. Cicero in Verrem.*

Appellare.

Citatus (inquit) M. Pacilius nescio quo casu, non respon-
dit. Id est, ut Gallicè dicâ, Il ha eu default, Il n'ha point
defendu. Sicuti contrâ, Appellare seu Vocare in ius di-
cimus, quod Græcis sonat ἐγκαλεῖν, id est, iudicium di-
ctare. Columella lib. 1. Nam vel optima nomina non ap-
pellando fieri mala, fœnerator Alphius dixisse seuerissi-
mè fertur. Id est, non interpellando.

Nunc quam rem, &c.] *Epilogus exordij, & præpa-
ratio ad narrationem, qua auditores reddit attentos.*

Vitio dent] *crimini. Nam hoc loco vitium pro vi-
tuperatione, & causâ pro effectû ponitur μετρουμικῶς,
ut apud Ciceronem de senectute. Est senectus (inquit)
natura loquacior, ne ac omnibus eam vitijs videar vin-
dicare, id est, vituperationibus.*

Menander fecit] *Narratio, quam multis inspergit
argumentis, adeo ut nulla ferè sit vox, quæ causâ proba-
tionem non præstet. Sic enim videtur colligere. Andria
& Perinthia ambæ sunt vnius eiusdemq; autoris: Item
simil*

similis argumenti, Quid igitur vetat coniungere? Præ-
terea quæ est mutuatus Poëta ex Perinthia, in Andriâ
conueniebant. Adde, quod nihil immutauit, aut adiecit
de suo: sed tantum interpretem egit. Ob id itaq; poëtam
accusare, magna est inscitia. Menander Comicus poëta Menander.
fuit, ad cuius studium sese composuit Terentius, qui ex
eo (si Q. Consentio credimus) centum & octo fabulas
conuertit. Hunc oratoribus maximè imitandum Fabius
proponit, ob incredibilem in eo inueniendi copiam, &
eloquendi facultatem. Ideoq; refert ipsum nomen omni-
bus Comicis abstulisse. Huius nihil extat, præter sena-
rios quosdam, qui à Plutarcho cæterisq; citantur.

Qui vtramuis rectè norit, ambas nouerit.] *Dia-
lecticorum est axioma, de similibus idem esse iudicium.
Itaq; ita licet ratiocinari. Similium vnum qui nouit, no-
uit & alterum: Andria & Perinthia sunt similes,
vnam igitur qui nouit, nouit & alteram. Est autem hoc
consequens enthymematis.*

Non ita dissimili sunt argumento] *Antecedens,
quod consequentis causam continet, ac variatur κατ'
ἰσοδυναμίαν contrariorum. Nam sunt simili argumen-
to, & non ita dissimili sunt argumento, sunt ἰσοδυνα-
μόντα.*

Sed tamen dissimili, &c.] *Est velut dicti correctio,
ne videatur notare Menandrum, quod eiusdem argu-
menti duas scripserit fabulas, ideoq; addit dissimili ora-
tione factas esse, quæ laus est vel maxima. Nam dissi- Dissimilitu-
militudo speciosam illam varietatem rerum plurima- do.
rum significat, quam in oratione verba, sententiæ, figu-
ra, & compositio efficiunt, que adhibentur secundum
discrimina sexuum, ætatum, fortunæ, temporis, studio-*

rum. Aliter enim puer loquitur, aliter adolescens, aliter vir, senex, matrona, virgo, seruus, liber, romanus, græcus, princeps, priuatus, doctus, illiteratus. Disputat apud Ciceronem Crassus de hac orationis dissimilitudine, quæ ex dissimilibus naturis existit efficitq; pulchritudinem in oratione laudabilem & iucundam, non aliter quam varij distinctiq; flores verno tempore pratis venustatem afferunt, hinc fit decorum illud, quod Græci

Ex dissimilitudine & varietate decorum.

το ὁμοειπία appellant, quod à Menandro mirè custoditum fuisse scribit Fabius.

Ac stylo] hîc stylum vocat orationis formam, figuram, & habitum, qui χαρακτήρ dicitur: cuius varietas tedium leuat, & iucunditatem affert. Nihil enim peius, quàm eandem omnibus in rebus tenere formam dicendi. At σῦλος Græcis columna dicitur, cuius similitudinem stylus refert. De huius forma & usu scribit Crinitus lib. xvii. de honesta disciplina. cap. iiii.

Stylus.

Fatetur transtulisse] Qui transfert nihil immutat, nihil de suo adijcit, quid igitur tantum mali poeta fecit?

Atque usum] Esse, Pro suis] ut ipse Menander, qui ex alijs quæ conueniebant, surripiebat: quare Latinus sex libros ædidi de Menandro furtis, ubi omnia quæ ab alijs acceperat, unum in locum dicitur congestisse, ut scribit Eusebius de præparatione Euangelica, capite i.

Latinus.

Aphranius. Aphranius poeta, ijs à quibus insimulabatur, quod permulta à Menandro accepisset, respondisse fertur: fateor, inquit, non ab illo modo, sed ab alijs quoq; accepisse, quæcumq; me non posse melius facere credidi.

Id isti vituperant factum, &c.] De vno locutus aduersario, iam numerum mutat inuidiæ causa. Atq; in eo disputant] Immorantur, & calumniantur. At di-

sputa

sputare est de re aliqua collatis opinionibus querere, siue Disputare. in iudicijs, siue extra iudicia. In eo] de eo, Apuleius. Omnes in me fabulantur.

Contaminari non decere fabulas] Propositio seu causa status, qui finis est narrationis. Nam autore Fabio lib. 3. cap. 2. eò expositionem produci oportet, vnde questio oritur. Id Ciceroni est admodum frequens. Est autem ante contaminari audiendum participium (dicentes) Dicens subauditum. quod sæpè alias desideratur. Cæsar de bello Gallico. Diuitiacus (inquit) multis cum lacrimis Cæsarem complexus, obsecrare cepit, ne quid grauius in fratrem statueret: scire se illa esse vera, nec quæquam ex eo plus quàm se, doloris capere. Præterea Contaminari pro actiuo positum videtur, ad vitandam cacophoniam.

Faciunt ne intelligendo, &c.] Initium refutationis, quam traducit à re ad personam aduersariorum, quos iustitiæ perstringit. Cæterum cum sit duplex soluenda argumentationis ratio, vna à re ipsa qua de agitur: altera à personâ, quam vulgus solutionem ad hominem appellat, hacq; posteriori vtimur, cum ex re parum speramus auxilij, aut maior retundendi aduersarij facultas datur. Quæ fit potissimum tribus modis, regerendo, eleuando, aut digrediendo. Hîc duobus prioribus usus est, & obliquo argumentandi ductu. Nam rectus esset, si ita ratiocinaretur: Næuius, Plautus & Ennius id fecerunt, idem itaq; Terentio facere licet. Sed odiosum planè foret, si nouum Poëtam viris illis magni nominis conferret, propterea immutat argumentandi ductum, & artificiosè nobilium Poëtarum personam interponit, quos populo gratos sciebat, iniuriamq; Poëte ad illos confert, & ita argumentatur. Qui hunc accusant, accusant quoque

Duplex soluenda argumentationis ratio.

eos quos est imitatus, Atqui imitatus est Nævium, Plautum, & Ennium: illos igitur accusant. Næv] affirmatio est à Græcis sumpta vā. Intelligendo] Observa repetitionem eorundem verborum, quasi inopia laborantis & deficientis orationis, quam ex industria affectasse videtur Terentius, ut paulo ante. Qui utramvis rectè norit, ambas nouerit. Cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium accusant: faciunt intelligendo, ut nihil intelligant. Id frequenter Cicero est imitatus, ut ad Curiōnem. Vidisse mihi multum videris. Idem. Itaq; nisi magnam spem haberem, C. Casari nos causam municipij comprobaturos, non erat causa &c. At cum subcontrarietas quadam in hac sententia videatur inesse, sic soluendam existimo. Intelligunt quidem ex duabus Menandri fabulis, vnicam à Poëta factam esse, sed non intelligunt id multo prius à Viris illis illustribus Nævio, Plauto, & Ennio fuisse factum, se q; (cum hunc accusant) illos quoque simul accusare. Socrates in Platonis Hippia, nullum inscitiae euidentius argumentum esse dicit, quam si quis à Viris doctis et sapientibus dissentiat. Cum itaq; à Poëtis illis id factum fuerit, in Terentio idem reprehendere, inscitia est maxima. Est itaq; purgatio ab exēplo.

Nævium, Plautum, Ennium accusant] Nævium primum ponit reliquorum antiquissimum, ut autor est Cicero in Bruto, qui ab hoc Ennium multa sublegisse testatur. Scripsit is fabulas maledicentia plenas, propterea vinculis ad palinodiam est coactus, & exilio multatus. Floruisse dicitur quinquennio post natum Ennium, & fabulas populo dedisse, anno ab Vrbe condita. 519: quarum quadam carmina à Cicerone citantur. Scripsit etiam de primo bello Punico, cui interfuit, & mortuus est

Repetitio eorundem verborum.

Inscitiae argumentum.

Nævius.

est vno & tricesimo anno post editas fabulas, anno ab Vrbe condita 551. quo magna matris Idolum aduectum est Romam. Huius vitam scripsit Crinitus. Plauti sub nomine ferebantur centum & triginta fabulae, sed Plautus Lælius tantum 25. eius esse putauit. Hunc Varro Latinis Comiciis ita pratulit, ut diceret, Musas (si latino sermone uterentur,) Plautino sermone locuturas. Is in piestrino fabulas scripsit, teste Gellio, & mortuus est, L. Portio Licinio, P. Claudio pulchro Cos. Catone censore, quo anno etiam mortuus est Annibal in Bythia.

Ennius artem Poëticā primus erudiuit, discipulus à Varrone musarum discipulus. Comes fuit M. Fulvio nobiliori in militia aduersus Aethios, cuius victoriā carminibus celebrauit. Scipionis quoque aethiici, Catonis (quem in Sardinia Græcis literis erudierat) M. Marcelli res gestas conscripsit. Perijt annos natus 70. morbo articulari, anno Urbis condita 585. & triennio post, edita est Terentij Andria, Anno 588, ut colligit Xistus Betuleius. De hoc sic Serenus scripsit.

Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua,
 Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Quos hic noster autores habet] Autor verbum iuris est, & dicitur is, à quo quis ius in re comparauit, aut aliās quæsuit. Vnde Cicero in Verrem, Emere à malo autore dixit, id est, ab eo, qui nihil in re vendita iuris habet. Acheret d'vn mauuais vendeur qui ny ha point de droict. Et laudare autorem pro citatim nominare, id est ad sui defensionem appellare. Sommer son garand. Denique autorem appellamus in quo vis est & potestas, qualis viri in coniugem, patroni in clientem, tutoris in pupillum, imperatoris in milites. Hi dicuntur autores rei

a s fieri

Plautus.

Ennius.

Andria quando edita.

Autor.

Emere à malo autore.

Laudare autorem.

Autorē fieri.

fieri, id est, probare, & ratum habere, quod à minoribus factum est. Gal. authoriser & ratifier. Linius. Maiores nostri nullam, ne priuatam quidem rem agere fœminas sine autore voluerunt. Itaque & autores dicuntur, quorum iussu, consilium, & voluntatem sequimur. Videtur autem deduci, non ab augeo, neque ab αὐξάνω, sed à Græco pronomine αὐτός, & à vulgari Pythagoreorum dicto αὐτὸς ἔφα. Verum quæ autoritatem faciunt, enumerat Cicero in Topicis. Autoritatem, inquit, aut tempus, aut natura adfert. Naturæ autoritas in virtute est maxima. In tempore autoritatem afferunt ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, vsus, necessitas. Nam ingeniosos, & opulentes, & ætatis spatio probatos, dignos quibus credatur putant &c.

Vnde dicatur autor.

Autoritatem quæ faciunt.

Quorum æmulari exoptat negligentiam, &c.] Amplificatio exempli per ἀντιπῶσις. quæ τῆς παρωνομασίας habet gratiam: verum hæc species contentionis proprie δίζουρον & appellatur, nimirum cum magna verbis minuuntur, & minima extolluntur. quæ etiam Cicero similiter in Tuscul. utitur. Errare, inquit, mehercule malo cum Platone (quem tu quanti facias scio, & quem ex tuo ore admiror) quam cum istis vera sentire. Et, ut inquit Fabius, Honestus est error magnos duces sequentibus.

Δίζουρον & quid.

Negligentia.

Negligentiam] vocat securitatem & incuriam in transferendo, cum securi verborum, in sententia perspicue reddenda tantum laboramus. Æmulari] Flavius Albinus dicitabat, fructum lectionis esse, quæ in alijs probes æmulari. Istorum] contemptum significat. Obscuram diligentiam] id est, anxiam, nimiam, & quasi supersticiosam curam in traducendo, & μετῶν μικῶς

Obscura diligentia.

μικῶς ab effectu obscuram vocat. quod superstitiosa illa interpretandi ratio, quæ tantum verba verbis reddere conatur, obscuram ferè & minus perspicuam efficiat sententiam. Aut obscuram, id est ignobilem & incelebrem, ut opponat æmulorum obscuritatem claritati & nobilitati poetarum, qui suis scriptis magnam sibi in populo famam pepererant.

Dehinc ut quiescant, &c.] Epilogus refutationis per κατὰ πληξίς. Ut quiescant] tanquam insolentes & inquieti. Ab honesto.

Et desinant maledicere] à iusto & equo. Et τὸ Et aduerbiū. & in Epexegeſi est positum, estq; aduerbium διασαφίσσεως, explanat enim quid per quiescere sibi velit. Malefacta ne noscant sua] ab utili id est, ne prodantur & pateſiant ipſorum malefacta, σὺν ὀνόματι. Nam sape relativorum alterum pro altero vsurpatur. Fauete, adeste.] Attentio ad fabulæ actionem. Fauete] nouo poeta: Adeste] inuidorum maledictis laceſſito, seu attendite, Aequo animo] æquis mentibus etiam dicit Cicero pro Cluentio, & lubentibus animis. Aliàs æquus animus dicitur moderatus & minimè querulus in aduersis. Ut pernoſcatis] alliteratio, cuius apud Plautum vsus est penè immodicus: quem imitatur Terentius. Quid ſpei ſic reliquūm] id est, pernoſcite ex hac, quam ſpem de reliquis concipere debeatis, hanc quaſi reliquarum quas edet ſpecimen accipite. Et est attentio ab augenda poetæ industria. Reliquūm] genitiuus est κατὰ τὴν ſυγκοπήν. Spectandæ] proprie. Nam ludi ſpectantur. An exigendæ] explodenda, eijcienda. Exigit qui petit: exigit opus & annos qui perficit: exigit fabulas, qui ſpernit.

Adeste. Aequus animus.

Exigere.

COMMENTARIA
ACTVS I. SCENA I.

SIMO *senex.* SOSIA *libertus.*



VOS isthæc intrò auferte: abite. *Sosia,*
Ades dum: paucis te volo. *sosia.* di-
ctum puta:
Nempe vt curentur recte hæc. *sosia.*
imo aliud. *sosia.* quid est
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
sosia. Nihil isthac opus est arte ad hanc rem quã paro:
Sed his, quas semper in te intellexi sitas,
Fide & taciturnitate. *sosia.* expecto quid velis.
sosia. Ego postquam te emi à paruulo, vt semper tibi
Apud me iusta, & clemens fuerit seruitus,
Scis. feci, è seruo vt esses libertus mihi,
Propterea quòd seruiebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolui tibi.
sosia. In memoria habeo. *sosia.* haud muto factum. *sosia.*
gaudeo
Si tibi quid feci, aut facio quod placet *Simo:* &
Id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc molestum est: nam isthæc cõmemoratio,
Quasi exprobratio est immemoris benefici.
Quin tu vno verbo dic, quid est quod me velis.
sosia. Ita faciam. hoc primum in hac re prædico tibi,
Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.
sosia. Cur simulas igitur? *sosia.* rem omnem à principio
audies,
Eo pacto & gnati vitam, & consilium meum
Cognosces, & quid facere in hac re te velim.
Nam is postquam excessit ex ephēbis *Sosia,*
Liberius

IN AND. TERENCE.

Liberius viuendi fuit potestas. nam autea
Qui scire posses, aut ingenium noscere;
Dum ætas, metus, magister prohibebant? *sosia.* ita est.
sosia. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli:
Vt animum ad aliquod studiũ adiungat, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos:
Horum ille nihil egregie, præter cætera,
Studebat: & tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. *sosia.* non iniuria: nam id arbitror
Ad prime in vita esse vtile, vt *NE QUID NIMIS.*
sosia. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati
Cum quibus erat, cumq; vna his sese dedere:
Eorum obsequi studijs: aduersus nemini:
Nunquam præponens se illis: ita vt facillimè
Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.
sosia. Sapienter vitam instituit, nanque hoc tempore
OBSEQVIUM amicos, veritas odium parit.
sosia. Interea mulier quædam abhinc triennium
Ex Andro commigrauit huic viciniae,
Inopia, & cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.
sosia. Hei, vereor ne quid Andria apportet mali.
sosia. Primum hæc pudicè vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quæritans.
Sed postquam amans accessit pretium pollicens,
Vnus & item alter (*ITA VT* ingenium est omnium
Hominum à labore proclive ad libidinem)
Acceptit conditionem: dein quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, forte (ita vt fit) filium
Perduxere illuc secum, vt vnà esset, meum.
Egomet continuo mecum: Certe captus est:
Habet.

Habet. Obseruabam mane illorum seruulos
 Venienteis, aut abeunteis, rogitabam, Hecus puer,
 Dic sodes: quis heri Chrysidem habuit? nā Andriæ
 Illi id erat nomē. s o. teneo. s i. Phædrū aut Cliniam
 Dicebant, aut Niceratum. Nam hi tres tum simul
 Amabant. Eho quid Pamphilus: quid: symbolum
 Dedit: cœnauit, gaudebam. Item alio die
 Quærebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
 Quidquam attinere. enim uero spectatum facis
 Putabam, & magnum exemplum continentiae.
 Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi,
 Neque commouetur animus in ea re tamen:
 Scias posse habere iam ipsum vitæ modum.
 Cū id mihi placebat, tum vno ore omnes omnia
 Bona dicere, & laudare fortunas meas,
 Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
 Quid verbis opus est: hac fama impulsus Chremes,
 Vltro ad me venit, vnicam gnatum suam
 Cum dote summa, filio vxorem vt daret:
 Placuit, despondi: hic nuptijs dictus est dies.
 s o. Quid obstat, cur non verè fiant: s i. audies.
 Ferè in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
 Chrysis vicina hæc moritur. s o. ô factum bene.
 Beasti, metui à Chryside. s i. ibi tum filius
 Cū illis qui amabāt Chrysidē, vnā aderat frequens,
 Curabat vnā funus. tristis interim,
 Nonnunquam conlacrumabat. placuit tum id mihi.
 Sic cogitabam, Hic paruæ consuetudinis
 Causa, mortem huius tam fert familiariter:
 Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?
 Hæc ego putabam esse omnia humani ingeni,

Mansue

Mansuetiq; animi officia: quid multis moror?
 Egomet quoque eius causa in funus prodeo,
 Nihil suspicans etiā mali. s o. bene quid est: s i. scies.
 Effertur, imus. Interea inter mulieres,
 Quæ ibi aderant, fortè vnā aspicio adolescentulam,
 Forma, s o. bona fortasse. s i. & vultu Sofia
 Adeò modesto, adeò venusto, vt nihil supra.
 Quæ tum mihi lamentari præter cæteras
 Visa est. & quia erat forma præter cæteras
 Honestæ & liberali, accedo ad pedisequas:
 Quæ sit, rogo: sororem esse aiunt Chrysidis.
 Percussit ilico animum, At at, hoc illud est:
 Hinc illæ lacrumæ: hæc illa est misericordia.
 s o. Quam timeo, quorsum euadas: si. funus interim
 Procedit: sequimur: ad sepulcrum venimus.
 In ignem posita est, fletur. Interea hæc soror,
 Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius
 Satis cum periculo. ibi tum exanimatus Pamphilus
 Bene dissimulatum amorem, & celatum indicat,
 Adcurrit, mediam mulierem complectitur.
 Mea Glyceriū (inquit) quid agis? cur te is perditū?
 Tum illa, vt consuetum, facile amorem cerneret,
 Reiecit se in eum flens quàm familiariter.
 s o. Quid ais? s i. redeo inde iratus, atq; egrè ferens.
 Nec satis ad obiurgandum causæ. diceret,
 Quid feci? quid commerui, aut peccaui pater?
 Quæ sese voluit in ignem iniicere, prohibuit:
 Seruauit honesta ratio est. s o. rectè putas.
 Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit:
 Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
 s i. Venit Chremes postridie ad me clamitans,
 Indignum

Indignum facinus comperisse, Pamphilum
 Pro vxore habere hanc peregrinam, ego illud sedulo
 Negare factum: ille, instat factum. denique
 Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
 Neget daturum. s o. non tu ibi gnatum? s i. ne hæc
 quidem

Satis vehemens causa ad obiurgandum. s o. qui cedo?
 s i. Tute ipse his rebus finem præscripsisti pater:
 Propè ad est, quum alieno more viuendum est mihi.
 Sine nunc meo me viuere interea modo.

s o. Quis igitur relictus est obiurgandi locus?
 s i. Si propter amorem vxorem nolit ducere,
 Ea primum ab illo est animaduertenda iniuria.

Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias,
 Vera obiurgandi causa sit, si deneget:
 Simul sceleratus Dauus, si quid consili
 Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.
 Què ego credo manibus pedibusque obnixè omnia
 Facturum, magis id aded, mihi ut incommodet,
 Quàm ut obsequatur gnato. s o. quapropter? s i.
 rogas?

Mala mens, malus animus. què quidè ego si sensero.
 Sed quid opus est verbis? sin eueniat (quod volo)
 In Pamphilo ut nihil sit moræ: restat Chremes,
 Qui mihi exorandus est: & spero confore.
 Nunc tuum est officium, has bene ut adsimiles nuptias:
 Perterrefacias Dauum: obserues filium,
 Quid agat, quid cum illo consili captet. s o. sat est:
 Curabo. eamus iam nunc intro. s i. i præsequar.

COMMENTARIA.

Actus. Actus partes fabularum dicuntur, qui in Gallicis
 fabulis

fabulis pausa: sed harum non est certus numerus, sicuti
 actuum, qui quinariū non excedunt. *Scena*] Latine inum- *Scena.*
 bratio dicitur, autore Seruio. Nam ante usum theatrorum
 sub umbraculis & frondibus agebantur fabulae: deinde
 tabulata in modum parietis theatra ceperunt fieri. *Tria* *Tria scenarum*
genera.
 scenarum genera Vitruuius tradit libr. 5. cap. 8. *Tragi-*
cum, Comicum, Satyricum. Tragica scena signis & orna-
 mentis regalibus instruebatur. Comica priuatorum ad-
 ficiorum speciem referebat. Satyrica arboribus, spelun-
 cis, & rebus agrestibus ornabatur. Porro sub umbra-
 culis latebant personae, quoad exeuntes inde in prosce-
 nium, recitarent & agerent.

Vos isthæc] *Sostæ* protatica personae per occasionem
 narratur argumentum, quod in prologo est prætermis-
 sum. At cum *Senectus* sit natura loquacior, ut in deco-
 ro senili maneat, longiorem argumenti narrationem seni
 tribuit: cui interpellatione alterius personae, & affectuum
 motione gratiam addit, ut res non narrari, sed agi vi-
 deatur. *Isthæc*] tradit *obsonia* aliaue, domum depor-
 tanda, ut seruulis abeundi occasionem præbeat.

Paucis te volo] duplex *ἐκλέψις*. nã verbis, & allo-
 qui desiderantur. *Dictum* puta] esse. Nempe] *supple, vis, Dum.*
dum, imperatiuis saepe additur, *dicendum, agendum, adendum,*

Quid est quod tibi &c.] *indicat se non ἐχθρὸν ἐπιωυ-* *Quid est*
μίας πολλὰς. Obseruet pueri (quid est quod) *πλεονάζειν,* *quod.*
 ut, quis est, qui dubitet, pro quis dubitet? Cicero *diuin. 2.*
 Quid est quod me adiument aruspices? Idè. quid est quod
 planum fieri testibus possit. *Hoc*] auferendi casus cum am-
 plius iunctum pro præterea sumitur, ut his amplius: qui-
 bus libenter vitur *Quintil.* Nihil istac] *respondet per*
ἀποδιώξειν cui mox subiungit τὸ ἐποκείμενον sequen-
 tis

tis orationis. Ad hanc rem] pro huic rei, ut vult Linac-
cer. Sed his quas] propositio petitionis, ad quam spectat
sequens beneficiorum commemoratio: nam ita colligit Se-
nex. Te enim à pueris, clementer & humanè tractavi,
deinde in libertatem asserui, mihi itaq; fidem, & taci-
turnitatem debes. Artem à nò & ageris per syncopam
deducit Donatus: alij, quod magis probo, ab arctando, id
enim videtur Cicero innuere 1. de oratore. Adhibita, in-
quit est igitur ars quadam ex alio genere, quod sibi totum
Philosophi assumunt, qua rem diuisam dissolutamq; con-
glutinaret, & ratione quadam constringeret. Præterea
idem hic facit antanaclasm quandam, ut scilicet, ars, præ-
mò artificium & functionem significet: deinde, cum re-
latiuo his, intellectum, pro opesais & virtutibus ponat-
ur. Omnino (his) mihi ut Linacro, videtur magis indi-
candi sequentia, quam priora repetendi significationem
habere, in hunc sensum: sed his nimirum fide & taci-
turnitate opus est, quod quidem pronomen, numero mul-
titudinis effertur, ob copulatum (fide & taciturnitate)
quod pluralis vicem obtinet, aut abundabit (his) ut sepe
solent pronomina. Cice. de offic. ludo & ioco, uti illis qui-
dem licet. Quas semper in te, &c.] laus ad beneuolen-
tiam parandam. Sitas] amplificatio verbi. & intellexi,
non credidi, nam intellectus certa apprehendit. Semper]
à temporis diuturnitate, quasi dicat, te hætenus fidum
& tacentem expertus sum, itaq; te quoq; talem mihi nunc
præstare debes, nam dedecori est, probum esse desinere. Fide
& taciturnitate] fide] in curandis mandatis. Taciturni-
rate] in celando, de nuptiarum simulatione consilio.
Ego postquam]. Oratio generis suasorij. Postulat enim à
seruo, ne suum de nuptijs consilium prodat, obseruetq;
Dauum

Ars unde dicitur.

His.

Pronominis pleonasmus. Credere & intelligere.

Fides. Taciturnitas.

Dauum & filium quid consilij capiant. Porro tota illa
anteacta Pamphili vita expositio, præterquam quod au-
ditores fabula argumentum docet, causas etiam reddit,
quibus ad dissimulandas nuptias senex fuerit impul-
sus, utq; iustior de filio immutato dolor esse videatur.
Partes sunt Exordium, propositio, partitio, deinde perpe-
tua expositio. Exordium à sua persona sumit, in quo à me-
ritis in sostrâ collatis beneuolentiam captat, & obiter ab
iusto & honesto colligit, fidem & taciturnitatē sibi de-
beri, ut iam diximus. Idq; artificiosè facit: frustra si qui-
dem seruo consilium suum committeret, nisi prius in fide
ipsum confirmasset. Quare hæc pars generis est suasorij. Ego.
Ego] Grauitatem addit initio hoc pronomen, seruumq; ali-
quid in oratione promittit. A paruulo] supple, puero. ora-
tionem integram extulit Plaut. in Stich. Propter, inquit,
paupertatem hoc adeo nomen reperio, quia iam inde à pu-
sillo puero ridiculus fui. Ab] usq; ab significat. Cicer. Sed
hæc à primo cogitauit. idem. Tuas epistolas à primo lego,
id est, usq; ab initio. Pro Quintio. Nam qui ab adolescen-
tulo sibi questum instituisset sine impendio. Iusta] æqua
in negotijs imperandis & opere exigendo. Et clemens]
in delictis puniendis. Nam clementia, teste Seneca, est le-
nitatis superioris in inferiorem: Mansuetudo est cuiuslibet
in vnumqueng. Feci è seruo, ut esses libertus mihi]
Exaggerat beneficium appositione contrariorum. & men-
tionem vilissimæ conditionis libertatis donum maius red-
dit. Ceterum seruitus non natura introducta est, sed in-
regentium. Naturali enim ratione æquales inter sese sunt
homines, sed culpæ seruitus est imposta, cum irrisus Noë
à filio, eum fratribus subiecit. Serui à seruando nomen ha-
bent, propterea quod bello capti, non interficerentur, sed
b 2 Viui

Ego.

A paruulo.

Ab.

Clementia.

Mansuetudo.

Seruitus.

Seruorum genera. *viui seruarentur. Idem & Mancipia dicuntur, quasi manu hostili capta. Atqui duobus modis fiebant serui, vno natura cum ex ancillis nascebantur, hi vernae appellati. Altero, iure gentium, & rursus bifariam, aut iure belli, aut iure civili, nimirum cum liber maior viginti-quinque annis ob pretium participandum se vendi patiebatur, ut auctor est Aristo. lib. 1. Polit. 2. Vt esses libertus] liberti sunt qui ex iusta seruitute manumittuntur, & libertate donantur. Porro triplex libertas esse dicitur, vna eius qui liber natus est: Altera eius qui heri beneficio, e seruo in libertatem asseritur. Tertia eius qui a patre, inuito domino, publica de causa liberatur, ut de Aesopo fabulatore refertur. Verum qui manumittebantur, ad Praetorem ibant raso capite, a quo in templo Feroniae pileum accipiebant, ter vindicta, id est, virga percussi, ipsosque hac verba ter proferente, Aio te liberum, & ter illos manu circumagente tenuisque festuca in caenum iniecta: sed de manumittendi ritu vide Polit. Miscell. 98. cap. Nunc autem Christiani hanc veterem seruitutem summouerunt omnino, nisi quod in paucis regionibus adhuc resident vestigia, ut Venetijs, & in Poesphalia, nonnullisque Germaniae partibus. Mihi] non filio, id dicit ne illum metuat: Aut, ut a spe morituri domini beneficium augeat. Nam mortuo patrono, manumissi libertinae erant conditionis & prorsus sui iuris. Propterea quod & c.] αἰτιολογία. qua benevolentiam renouat in commemoratione beneficiorum odiosa. Seruiebas liberaliter] more liberorum, qui non metu aut spe seruiunt, sed amore. Et imperfecto utitur, non sine emphasi, ad beneficij commendationem, quasi dicat, potuisses & adhuc seruire, sed nolui beneficium differre in extremam tuam senectutem.*

Quod

Quod habui summum pretium & c.] mitigat quoad eius fieri potest, quod sorsim auditu est iniucundum, ut debitum non munus, esse videatur, idque ad vitandam in benefacto inuidiam. Pretium a premio differt, Nam premium rerum est bonarum, pretium etiam malarum. Pretium & premium. Perfolui tibi] perstat in Metaphora ab eumentibus sumpta. In memoria habeo] id est, non sum immemor seu ingratus tanti beneficij. Haud muto factum] alludit ad ius Atheniensium, quo conuicti ingratitude erga patronos liberti, in pristinam seruitutem reuocabantur. Formula reuocationis liberti in seruitute. Huius reuocationis formulam Valer. Max. lib. 2. scripsit. Supersedeo, inquibat herus, te habere ciuem tanti muneris impium aestimatorem, nec adduci possum, ut credam tibi vtilem, quem domi scelestum cerno. Abi igitur, esto seruus, quoniam liber esse nescisti. Si tibi quid feci aut facio] indicat oblique non esse occasionem seni mutandae voluntatis, cum ipsi nunc seruiat sicuti ante libertatem. Aduersum] erga. Sed hoc mihi molestum est.] Cicero de amicitia. Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium, quae meminisse debet is potius, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. Nam istaec commemoratio] Ratio a destinatis per ὀπίσθου. Immemoris] & actiue & passiue potest significare. Immemor. Quin tu vno verbo, & c.] Quin vox ex increpantibus, pro sed vel age. Plautus. Quin tu eloquere quid faciemus? Vno verbo dic] hyperbole prouerbialis, id est, breuiter, qua nostrate lingua utimur, cum breuem postulamus responsionem. Dy en vn mot. Quid est quod me, & c.] figura per modos, pro quid sit. Nam quid infinitum subiunctum potentialem, vel subiunctiuum postulat. Tamen interim Graecorum more cum indicatio apud

b 3 Poetas

Poetas reperias, maxime post dico & quaro. Distinctione tamen potest defendi, si post imperatiuū dic haec fiat. Ita faciam] ὑπόθεσις ad attentionē. Quas credis esse has, &c.] Propositio consilij senilis. Cur simulas igitur?] interrogatio quae facit aditum ad argumenti narrationem. Rem omnem à principio] attentionis conciliatio. Eo pacto & gnati vitam] Partitio trimembris perspicue complectens quod sequenti expositione narratur. Verum, quanquam hoc ciuile orationis genus & familiare colloquium, liberum, & minimè Rhetorum praeceptis constrictum videatur, non tamen ita est solutum, ut arte careat. Quare hoc partitionis exemplum à Cicerone citatur in Veteri Rhetorica: qui ibidē Terentij exemplo, exponendum esse praecipit, eo ordine quo rem omnem partiti sumus. Nam is postquam] Narratio qua nati vitam exponit, honestam primum, deinde amatoriam, ut ex dolore immutationis filij, iustam habere nuptias simulandi causam videatur, ad iniuriam animaduertendam. Est autē haec narratio omnibus suis virtutibus ornata, & iucunda antecedentiū, & consequentium commemoratione, additis personarum dignitatibus, causis factorum, agendi facultatibus, locorum, & temporum oportunitatibus, ita ad verisimilitudinem composita, ut nulum tuendae veritatis colorem in ea desideres. Id ut fiat in expositione quae πιδανι dicitur, praecipit Horatij est, ficta (inquit) voluptatis causa sint proxima veris. τὸ Nam. Nam,] magis ingressum rei quam causam significat. Id postquam excessit ex ephēbis] Narrationem incipit. Unde oportet, nimirum à filij adolescentia, quod ad breuitatem facit. Excessit ex ephēbis] Ἐφῆβοι pubescentes Latinis dicuntur, & ἴσῃn pubes, pars corporis, quae

Duplex Pamphili vita.

πιδανι narratio.

Nam.

in adolescentibus pilis vestitur: quod accidit puellis anno 12. maribus 14. ἡγῆ tunc ἰβητιπρόβ, & ἰβηται, id est puberes appellantur, sicuti ἀνήβοι impuberes, & ἀπὸ τῆς ἔφῆβου annos pubertatis modo egressi, quos ex ephēbis excessisse hinc dicitur, ut Ciceroni pro Archia Poeta, ex pueris. Nam ut primum inquit, ex pueris excessit Archias, atq; ab his artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, &c. Tunc enim Romanorum ex ephēbi prae-texta posita, togam virilem in templo capitolini Iouis sumebant: Graecorum vero, ephēbicis pallijs passitis, ἰματίου ἀνδρείου induebant, sacris Herculi peractis, in cuius templo certa vini mensura sacrificio astantibus potum exhibebatur. Ideoq; ea sacra ἀνιζήσια dicta sunt. Hi capillitiū & barbam primam tondentes, fluminibus & Apollini ἠσπορῶσῳ dicabant: quae ritum ex Theseo Athenienses accepisse ferunt. Porro aetates sic solent gradatim Graeci distinguere, ut natus infans βρεφός dicitur huic septimo die nomen imponebant, ut scribit Aristoteles, propterea quod ante hanc diem plurimi moriuntur, & post hunc videntur victuri. Alij nono aut decimo die id agebant, cena propinquis data, & re divina rite facta. Unde δεκάτιω ἐσιᾶσαι, id est decimo die cenā praebere. Deinde τριάριον paruulus, mox ὅβινι cedere nitebatur πειλάριον dicebatur: hinc τριάριον cum discēdis liberalibus disciplinis aptus erat. Atq; haec aetas πειλάριον anno 14. finiebatur, ante quod tempus ἀνήβοι, & ἀπὸ τῆς ἔφῆβου, id est impuberes dicti sunt. Postea vengentem ad pubertatem τάλλανα, & βῆπαιδα, & ἄντιπαιδα, & μελλέφῆβου nominarunt: quam qui est assequutus, ἔφῆβος appellatur. At pubertatis vox Nonio Marco, gellulare est, γὰρ caprire, veteribus Latinis, hircutalli-

re, Aristoteli τρεπίσει, accidit enim pubescentibus vo-
cis mutatio, cum ipsorum vox similis est fidibus ener-
uatis & asperis. Eam aetatem ἐφῆβιαξ dixere, quæ desi-
nit in annum 21. Porro ἀφ' ἡβῆς annos in re militari nu-
merasse Lacedemonios in delectu agendo scripsit Came-
rarius in commentar. Vtriusque linguæ ex Zenophonte.
Deinde appellatur μέραξ & νεανίος, & νεανίας, mox
ἀνὴρ νέος, tum ἀνὴρ μέσος. Tandem γέρον atq; πρεσβύτης,
& ἑσχατογῆρος. Vide Calium in antiquis lect. & Ca-
merarium. Loca etiam exercendis ephēbis constructa ἐφῆ-
βια dicta sunt: quibus Romani caruerunt. Et pars quædā
theatri eisdē destinata, ἐφῆβιον vocabatur. Nunc autem
simili figura dicendi, excedere ex affeclis liberos nobi-
lium dicere licet Gallicè, sortir hors de page. Et ephēbos
honorarios, pages d'honneur. Liberius viuendi fuit po-
testas] Nam ante sub pedagogis erat, quorum custodia
& imperio coerceretur. Vergil. Aeneid. v.

At puer Aeneas nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemq; impubis Iuli
Epitidem vocat.

At ἀπὸ τῆς ἐφῆβιαξ liberiores erant, ideo hos ἀπεμύσας,
& πόρπωνας ἐφῆβιαξ dixere, quæ ætas togæ puræ, &
libera dicta fuit. Ouid. IIII. Tristi.

Liberior fratri sumpta mibiq; toga est.

Liberius] supple quam ante ἀνὰ τὰ πόδωλοσ. Nam an-
tea, &c.] Ratio per occupationem à disciplina, & aetate.
Qui scire posses] Enallage personæ, secunda pro quali-
bet. Dum ætas, merus, magister prohibebāt] Allu-
dit ad Græcorum institutum, cuius Plato meminit in
Lxioco. Vbi inquit, pubertas accessit, deterior metus, Ly-
ceum, Academia, Gymnasiarcha, Virgæ, nullus malo-

rum

rum modus. At pudor qui in ea aetate est, formido pœna,
& magistri metus obstant, quo minus statim sese pro-
ferat puerorum ingenium. Ipsi autem dabantur παιδα-
γωγοί qui à teneris, ut aiunt, vnguiculis, illos ad virtu-
tem instituerent, ut iam diximus: magistriq; non lite-
rarum modo, sed palestræ, musices, militiæ aliorumq; ho-
nestorum exercitiorum, ut indicat Verg. VII. Aeneid.

Hunc tibi præterea spes & solatia nostri
Pallanta adiungam, sub te tollerare magistro
Militiam, & graue Martis onus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

At nostro seculo Magistri nomen, ut optima quæque,
adeo vilescit, ut in contumeliâ cesserit. ut si quem stupa-
ditatis, inscitia, & inciuilitatis notare velint, magi-
strum appellent. Hinc fit, ut pauci docendi munus ve-
lint suscipere, & qui literis benè nati videntur, studia
deserentes, quoduis aliud honoratius, ac quæstui conue-
nientius institutum sequi malint. Vidimus sanè his tem-
poribus bonas literas floruisse. Dei beneficio: nunc magno
pere timendum, ne tanti muneris ingratitude offen-
sus, nos relabi sinat in pristinam illam barbariem, &
rerum omnium ignorationem. Quare pios bonarum lite-
rarum magistros obtestor, ne Cyclosum istorum vocibus
moueantur, sed ardentius, & maiore cura iuuentutem
doceant: ac sciant se Dei esse colonos & agricolas, qui plau-
tulas serunt, fructum ipsius Ecclesiæ ac Reipublicæ ali-
quando daturas: à quo sui laboris ac diligentia reporta-
bunt præmia amplissima.

Quod plerique, &c.] laus filij à studijs adolescen-
tiæ, & modestia. Est autē hîc duplex ratio autore Lina-
cro. Nam si σιωπεραμειδιον facias, erit Enallage nu-
b s meri,

Συνεπαμύνει-
vov fit duobus
modis.

meri, quod pro qua: Sin Epanalepsin, resumendum est diuersis verbis quod prius erat positum subaudito pronomine (illud) hoc modo: illud quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant, &c. horum ille nihil egregie, &c. At Synepammon duobus fit modis: vno, cum Relatiui sensus demonstratiuo pronomini praeponitur, ut hoc loco. Altero cum ipsum relatiuum sensui ad quem refertur, praeponitur, ut in illo Liuij quod bonum, faustum, felixq; sit, inquit, Quirites, regem create. Plerique] id est, praecipui quiq;, qua significatione visus est uti Cicero in Academicis quaestionibus. Aut equos alere] amplificatio per μερισμῶν, quae est prima locupletanda orationis ratio apud Erasmus secundo de copia commentario. Alere pro alendi Graecismus est Poëtis familiaris. At ἰπποβοσκία Atheniensibus maxima cura fuisse, inditio est Poëticum figmentum de Neptuno: quem ideo ἰπποβοσκίῳ appellant, quod percussa terra tridente, Athenis equum produxerit, cum de nomine vrbi imponendo cum Pallade contenderet. Verum datus est fabula locus, quod Attica gens τὴν ἰπποβουλίαν maximè exerceret: quam primus excogitasse Neptunus fertur. Est autem equitandi peritia non modo iucundissima, sed etiam utilissima: maximè in praelijs & certaminibus. Quare asseclis pueris nobilium feroces equi subinde committuntur, quos discant flectere promptè & expeditè in quamcunque velint partem, concitare ad cursum, sepes & scrobes transilire. Atque hoc solum rectè discere regum & principum liberos dicebat Carneades: (ut scribit Plutarchus) nam quotquot certant, luctantur & collidunt cum ipsis, se vinci patiuntur, ut gratiam ineant: Et equus

equus assentari nescius, ac securus quem vehat sessorem, rex ne sit an priuatus, princeps an rusticus, quemcunq; admiserit equitandi imperitum deiecit, & humi prosternit. Ceterum varia sunt equorum species, quae à loco, forma, colore, incessu, ornatu vsuq; sumuntur. Quidam enim sunt Hispani, Germani, Turcici, Britones, Thessali ex omni Graecia commendatissimi. Sunt & Agonistae & Stratiotici, id est, militares, grans cheuaux de lice. Hodaporici & Pompici, id est itinerarij, cheuaux de travail, & bons à voyager. Meritorij, de louage. Agminales & gregales, quos πορβάστας appellant Graeci, cheuaux de couple, & sommiers à porter bagage. Iugales, à ioug. Succussorij, qui sessorem deturbant, qui secouent & iettent par terre leur homme. Calcitrone, qui ruent. Refractarij, forts en bouche. Dorsuarij, portans en dor. Ehippiarij, cheuaux à selle. Ut Clitellarij, à bast. Quod verbum Gallicum à Graecis sumptum videtur qui baiulos βαγάρονας appellant. Canterij, cheuaux ongres & chastre. Ornamenta autem haec sunt. Ehippium, sellam interpretantur, la selle. Astrabe, larçon d'icelle. Lora ventralia, les sangles. Subsellares & stapeda, les étrieux. Antilena, le poitrail. Postilena, la croppiere. Frenum, vn mord de bride: vnde lupata frena appellant asperrima, quae equis refractarijs dantur, mords forts pour retenir vn cheual. Habena, les renes de la bride. Capistrum, vn licol. Prometopidia, la barde du front. Parotia, aut Pareia, celle des oreilles. Prosternidia, celle de la poitrine. Parapleuridia, les bardes des costes. Equitium l'escuierie. Longuri, les barres qu'on met entre deux cheuaux. Hipparchus equitij praefectus, escuier d'escuierie. Et Hippar

Agonistae.
Stratiotici.
Hodaporici.
Pompici.
Itinerarij.
Meritorij.
Agminales.
Gregales.
Iugales.
Succussorij.
Calcitrone.
Refractarij.
Dorsuarij.
Ehippiarij.
Clitellarij.
Canterij.
Ehippium.
Astrabe.
Lora ventralia.
Subsellares.
Antilena.
Postilena.
Frenum.
Habena.
Capistrum.
Prometopidia.
Parotia.
Pareia.
Prosternidia.
Parapleuridia.
Equitium.
Longurius.
Hipparchus.

Hipparchia magisterium equorum. Hic quoque non fuerit inutile si diligens praeceptor quæ ad equitandi rationem spectant formulas loquendi doceat ex optimis autoribus desumptas: ut, in equo esse, equum admittere, subdere equo calcaria, citare equum, retardare, ex equo defilire, ex eo in terram defluere, quas ex Lælio optimas, ex cæteris quoque historicis petat, licet.

Aut canes ad venandum] Horatius.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto

Gaudet equis canibusq; aprici gramine campi.

Est sanè venatio iucundissima, ac etiam utilissima, nam proximè ad militarem disciplinam accedit: maiores enim Canes quasi in excubias ducuntur: medij odorantur, ubi hostis lateat, & inuentum latratu produnt: ad cornu sonitum congregantur: ad eundem quasi dato receptui signo reducuntur: obdurefcunt niuib; æstu, frigore. Itaque corpus firmat, venatio otium propellit, & puerorum innocentiam conseruat. Quare Diana virginittatis præses venationi dedita fingitur. Alexander magnus, si quod vacuum à milita tempus daretur, venationi impendebat. Romanis quoque non parum fuit vsitata. Suppeditat (inquit Cicero) & campus noster studia venandi, & honesta exempla ludendi. Millus, vn collier. Stelmonia, vn iaques & harnois à chiens. Lorum, vne lesse.

Aut ad philosophos] Philosophiam, persona pro re ipsa.

Horum ille nihil egregiè, &c.] Id est, nulli horum, studiosius indulgebat quàm alteri. Gall. Il ne s'addo- noit point plus en l'vn qu'en l'autre. Aut significat, nul- li horum ita studuisse, ut à cæteris necessarijs actionibus

reuo

reuocaretur: id est, hos lusus præ cæteris honestis negotijs nunquam curasse. Sunt enim adolescentes, qui ijs lusb; honesta & seria postponunt. Gal. Il n'estoit point plus affectionné en cecy, qu'es autres choses, il ne s'y addo- noit point tant quil en mesprisat ses autres affaires.

Paraplenoi- dia. Equitium.

Mediocriter] moderate, par mesure. Cicero de fini- bus. In omnibus rebus videndum est quatenus. Est enim suus cuiq; modus & iuxta prouerbium μετφοραεισος.

Mediocritas.

Non iniuria] Cicero. Neque id iniuria factum est. Idem mirifica quadam res multitudini videtur, nec iniuria.

Nam id arbitror] Ratio ab utili, per γωμολογια.

Ut nequid nimis] μηδεν αγαρ tanti fecere Vete- res, ut ad autorem Apollinem referrent. Plato scribit & alterum γωθοι σ' αυτορ, septem sapientes inuenisse, ex communi consensu, & quasi sapientia sua primitias Deo dicasse, curasseq; inscribi templo Delphico. Signi- ficat hæc sententia mediocritatem esse seruandam. Nam & eleganter à Plinio dicitur. Perniciosissimum in omni vita quod nimium, præcipuè tamen corpori. Est enim Virtus inquit Cicero, ut Vetus Academia dixit, mediocritas, sine qua virtutem interire necesse est.

Ut ne] pro ne, ut Græcus ινα μη.

Sic vita erat] talis, ετερωσος per partis commuta- tionem. Est autem attentio ad sequentia. Gnatum lauda- uit ab externis, nunc ab his, quæ sunt animi.

Ut ne. Sic.

Facile omnes perferre] Enumeratio officiorum, quæ ad mansuetudinem morum, & facilitatem pertinent, quibus laus & benevolentia multitudinis maxime conciliari scribit Cicero de offic. 2. Verum hæc infinita pro imperfectis indicatiui sumuntur. hanc figuram histori-

cam

cam vocat Seruius.

Cum quibus erat cunctis] *ἰμεσις*, pro quibuscumq[ue].

His sese dedere] militari verbo ἐμπατικῶς facilitatem Pamphili exaggerat.

Moderatio
ornatus vitæ.

Ita vt sine inuidia, &c.] ἐπιφώνημα ab adiunctis.

Laudem] id est gloriam honesti nominis nulla inuidia contaminatam. Et rectè laudem, Nam τὸ ἀλοχῆς νόσμιον est moderatio, quam etiam Cicero ornatum vitæ appellat. Facillimè] At difficile est, inquit Salustius, inuidiam gloria vincere. Vt enim non potes in sole clarissimo versari sine umbra, ita non potes gloriam consequi nulla contaminatam inuidia. Nam rectè facta vltro sequitur gloria, gloriam comitatur inuidia. Vide Eras. in Philodoto.

Inuidia pro
obtrectatione

Sine inuidia] Obtrectatione. inuenire laudem sine inuidia. Gal. acquerir honneur sans reproche. Qua significatione vsus est vulgaris ille poëta cum inquit,

Inuidiæ esse.

Inuidiam nimio cultu vitare memento.

Et Salustius. Inuidia erat emere presidium. Ce estoit reprochable. Inuenias] pares acquiras. secunda persona pro qualibet, & rectè inuenias laudem, nam eleganter à Poëta dicitur,

Inuenire laudem.

Nobis quærendi nominis ardor inest.

Est autem exaggeratio à circumstantijs, vt inuenias, actus circumstantia. Quid? laudem. Qualem? sine inuidia. Quomodo? facillimè. Pares] magis equidem arbitror nomen esse quàm verbum. Nam hanc sententiam Ouid. videtur extulisse Tristi. lib. tertio Eleg. tertia.

Vive sine inuidia mollesq[ue] inglorius annos:

Exige amicitias, & tibi iunge pares.

Vitam instituire.

Vitam instituire] significat ex legibus patrijs moribusq[ue]

ribusq[ue], & honesta disciplina viuere. Nanque hoc, &c.] ἀντιλογία καὶ γνώμη, qua duplex est, vt scribit Fab. lib. octauo. & habet ἀντιθέσεως gratiam. Has gnomas ex contrarijs Græci rhetores enthymemata vocant.

Hoc tempore] ἐμπατικῶς, quasi dicat, hoc seculo corruptissimo. Obsequium amicos, &c.] hanc sententiam citat Cicero in Lelio. Porro obsequium primum dixisse Terentium putat Fab. lib. octauo cap. tertio. idq[ue] Ciceronem credidisse colligit ex libello de amicitia: in quo ait idem se libenter Terentiano verbo vti. sed ea coniectura quàm sit leuis & infirma, nemo non videt, vt annotauit Camerarius.

Enthymemata.

Obsequium
an primus dixerit Terent.

In Tuscul.

Interea mulier quædam] Ad amatoriam filij vitam transit. Nam vt scribit Quintilianus, cum narratio mixta est, id est partim pro nobis, partim contra nos, opportunum est ipsam diuidere, priusq[ue] his, quæ causam nostram adiuuant, expositis, aduersus reliqua vti remedijs. Itaque sic filij vitam diuisit, vt honestam primum, deinde amatoriam narret. Et quoniam gnati continentia, quam laudaturus est, obstare videbatur meretricis persona, altius petito principio, omnia emollit, & excusat: vt necessitatis, non voluntatis esse videatur, quod meretrix facta sit.

Ab hinc triennium] Duriosem per accusatiuum locutionem fecit: cum præsertim hic non significetur spatium temporis actionis continuæ, neque enim triennium consumpsit in migrando, sed triennium intercesserat inter relictam Andrum & aditas Athenas. Nam quod Cicero ait in Verrem. Horum pater ab hinc duos & viginti annos mortuus est. Mortuum esse, perpetuum est. Vide primum Eras. de cop. comment.

EX

Ex Andro] Comici meretrices ferè peregrinas faciunt, pudebat enim in patria inhonestè ac turpiter vivere. Utinam tantus pudor nostratibus esset meretricibus. Hic vides ut loci proprio nomini addat præpositionem, tametsi Quintilianus solæcismum putet. Sed ita Ciceronem locutum, cæterosq; magni nominis subindè reperias. Nec aliter locutum fuisse Augustum Cæsarem scribit Suetonius. Andrus] ex Cycladibus, quæ circa Delum sitæ sunt in orbem, una est. In ea fertur fontem esse in templo liberi patris nonis ianuarijs vini sapore fluentem ut scribit Plinius. In ea incolæ erant pauperrimi, ut non sit mirum si Chrysis egestate coacta commigrarit Athenas. Nam cum Themistocles Andrios adisset pecunias petens, duos inquit, ad vos affero Deos vim, & suasionem. Illi festinè responderunt apud se duos itidem esse, qui vetarent. Paupertatem, & (ut ita dicam) impossibilitatem.

Andrus.

Fons vini tempore mirabilis.

Themistocles.

Duo Græcismi

Huic viciniae] Duo hic sunt Græcismi, Triennium pro triennio, & huic viciniae pro ad hanc viciniam. Hunc dativum nonnulli Grammaticorū octavum casum dixerunt. Sed vide obsecro quam probabiliter narret. Potuit enim peregrina, iam triennium Athenis habitans & filio vicina, ab ipso cognosci, Mulier quaedam, persona. quid fecit? commigravit. quo? huic viciniae. Unde? ex Andro. quamdudum? ab hinc triennium. quomobrem? Inopia & cognatorum negligentia coacta. Circumstantijs & occasionibus omnibus illustrem reddis narrationem.

Amoris parentes.

Inopia & cognatorum negligentia coacta] Purgatio Chrysidis à necessitate, & εὐχαιρία impudicitiae illius. Socrates apud Platonem in conuiuio de amoris natalibus

talibus differens ex Diotimæ fatidica sententia, & ὄρα καὶ ἀπειρας filium facit, & Verè ab Horatio dictum est lib. III. car. ode XXIII.

Magnum pauperies opprobrium
Iubet quod vis & facere & pati,
Virtutisq; viam deserit ardua.

Cognatorum negligentia] Leges Attica iuebant Lex Attica. ex cognatis proximum & ditissimum inopem cognatam aut ducere aut ipsi dotem dare, quod etià olim legibus diuinis populo Iudaico cautum fuerat. Negligentia] contemptu, at Verius impietate. extenuatio seu ταπείνωσις.

Egregia forma] laus ab habitu corporis, & causa Formæ onus
προκαταλήκη & irritatrix ad pudicitiae oppugnationem. Quare non temere à Poëta dictum est. non honor.

Non honor est, sed onus species lasura ferentes:

Lis est cum forma magna pudicitiae.

Aetate integra] nubili, & matura viro. Magna profecto delicti excusatio est inopi & desertæ à cognatis, magnaq; peccandi facultas formosæ & nubili: & tamen inter hæc, vitam primum pudicè agebat.

Hei vereor] tam aptè contexit narrationem, ut ex prioribus, quidpiam sinistri consequuturum liceat suspicari. Est itaque metuentis exclamatio, qua obiter fabulae nomen indicatur. Apportet] ut ignoti solent. Translatio ab institoribus qui exoticas merces apportant.

Primum hæc] quasi dicat, inter hanc oppugnationem, tamen obstinato animo pudicitiam retinebat.

Pudicè, parcè ac duriter.] Tria hæc non sine emphasi coniunxit. Nam duriter ad improbum laborem, parcè ad egestatem & inopiam refertur. Et nihilominus, formosa & nubilis pudicè agebat vitam. Vides ut infamem
c perse

personam favorabilem reddat.

Lana ac tela] *studium meretrici conveniens: Nam alicubi scripsit Aristotel. lanificas olim ferè omnes pudicitia suspecta fuisse.*

Victum quæ-
rere.

Victum quæritans] *difficultatem frequentatio mi-
rè expressit. Vitam tolerare per inopiam, prorogare dixit
Cæsar & Verg. Tacitus & Terentius victum quærita-
re, Græci τοῦ βίου βίοντο.*

Sed postquam amans accessit] *ad Iuvenem, &
maturam viro, pretium pollicens inopi, & deserta ab
amicis & cognatis. Non vnus tantum sed item alter,
quasi dicat, non semel, sed sæpius sollicitata, tandem ex-
pugnata assensa est. Quod vltimum priusquam dicat,
magna cura mitigat & pramollit, culpamq; hanc o-
mnibus communem facit. Ut ingenium est, inquit, o-
mnium hominum.*

Vnus & alter.

Vnus & item alter] *id est, vnus & iterum vnus,
ut interpretatur Erasmus. Ita ut] sæpe coniungit Teren-
tius vbi, ut, satis esset. Est autem interpositio molliendi
criminis causa. Ingenium] inquit Nonius Marcellus,
veteres dixerunt sua sponte vel natura. ingenium loci
dixit Salust. Ingenium aruorum Verg. Ingenium palmæ
arboris Gellius Gall. le naturel.*

Ingenium.

Procliuè ad libidinē] *Quid labori cum libidine? Nā,
otia si tollas periere cupidinis arcus.
inquit Ouid. Et alibi:*

Res age tutus eris.

*Significat, qui post laborem otio fruuntur, ferè proclines
esse ad libidinem, apres le mesaise on prend le bon temps
& le plaisir en grè, id est, solent homines, post laborem*

Libido

*delicias ac mollitiem affectare. Libido est cupiditas
effrenis*

*effrenis aduersus rationem incitata vehementius, Pro-
cliuis ad libidinem, subiet à son plaisir.*

Acceptit conditionem] *oblatam non quæsitam. O-
mni qua potest ratione Chrysidè defendit, & verbis mi-
nus dedecorosis vitur. Supererat enim ut diceret proie-
cisse pudorem, sed rem verbis mitigat. Quod faciendum
in narratione qua contra nos est præcipit Fabius.*

Dehinc quæstum occipit] *Viden, ut gradatim ad
id quod vltimum est descenderit? Quæstus non tam hinc
significat lucrum nummarius, quam artem, seu artifi-
cium lucranda pecunia. Le mestier qu'on exerce pour
gagner. Cicero de Offic. Iam inquit, de artificijs &
quæstibus &c. Occipere, vetus est verbum, & fortè fa-
cere subaudiendum, Occipit quæstum facere, Gall. depuis
elle comença à faire le mestier. Quæ prius victum quæ-
ritabat, nunc quæstum facit.*

Quæstus.

Occipere.

Qui cum illam amabant] *Reuertitur ad Pamphili
vitam, quem ostendit non natura, sed consuetudine &
nimio obsequio amicorum fuisse corruptum. Hinc discas
quanti referat cum bonis consuescere.*

Fortè ita ut fit, &c.] *filij culpam eleuat à casu &
consuetudine, fortè id est fortuito, non sua sponte. Rursum,
ita ut, coniuncta vides. Ut fit] ut fieri solet. Nam
iuxta proverbium pares cum paribus facillimè congre-
gantur. Perduxere] & hoc ad Pamphili purgationem
spectat, Non iuit, sed eo ferè inuitus est pertractus. Nam
perduci dicuntur qui in ius aut carcerem rapiuntur, ac
si diceret, coactus est ab his quorum studijs obsequabatur,
ut dictum est supra.*

Ita ut.

Ut vnà esset] *Aut ut eos comitaretur, aut ut vnà
cibum sumeret, ut sit esset ab edendo. Gall. pour banque-*

Esset ab eden-
do.

ter auer eum. Nam Græci adolescentes conuiuia celebrabant amicitia & familiaritatis gratia.

Egomet continuo] *Prosopopœia* subito percussit, & deest cogitare cœpi, aut aliud.

Certè captus est] *Coniectura* à contingentibus, & *Metaphora* à re militari. Nam militiæ species amor est, inquit ille. Habet] *ictus* est à *Lanistis* *Metaphoram* dicit *Donatus*: qua etiam nostrate lingua utimur, il en ha. dy que tu en as. Potest etiam sine translatione dici: Habet *supple* *Chrysidem*.

Obseruabam manè] *diligentia* paterna in obseruando filio. *Obseruamus* quæ ueneramur. *Obseruamus* etiam cui parū fidimus. *Manè*] *oportunitas* inquirendi à tempore, id est, priusquam à dominis ceteris ue essent premoniti quid mihi responderent.

Mos senum percontandi. Rogitabam, heus puer] *Græcis* mos erat (autore *Plutarcho*.) *Adolescentes* & *seruos* à senioribus interrogari quo irent, & quid acturi: quibus non respondere probrosum erat & *fustuario* dignum. *Hæri*] quia mane interrogabat. *Habuit*] *honesto* verbo rem turpem contexit. *Ferè* enim hoc uerbum ad mulieres relatum in malum sonat. *Quid? &c.*] *Mimitica* repetitio, qua utimur cum rem nimis notam aut absurdā interrogari significamus.

Symbolum. Symbolum dedit] *Symbolum* Græcum est, à *συμβάλλω*, id est *confero*, ac multa significat. Interdum enim est *signum* quod *epistolis* imprimitur, ne resignentur, *vn cachet*. Aut *uasis* ne perdantur, aut ut cuius sint cognoscantur, *une marque*. Quandoq; *militare* signum est, quod ab *Imperatore* datur *militibus*, ut se mutuo & quarum sint partium internoscere possint, illudq; aut *vocale* est, *le mot du guet*: aut *mutum*, ut *cruce alba*, *Gal-*
lis

lis est *Symbolum*, *rubra Hispanis*. Est præterea scita *sententia*, qua principes ceteri ue nobiles sese insigniunt, qualis est *Regis nostri Henrici Luna crescens*, cum *hemistichio Virgiliano*, *Donec totum impleat orbem*. *Gall.* *Une devise*. Denique est *pignus* quod celebraturi conuiuium dant, seu pars qua confertur ab vno quoq; conuiuarum, *lescot*. *Adolescentes* enim ut scribit *Plutarchus*, *cibos domi furabantur*, aut ab *æconomo* impetrabant, ut inter se commessarentur. *Græci* etiam *συβολῶν* *collectam* uocant, seu *indictionem*. *Une taille*.

Coenauit] aptè præposuit causam in filij excusationem coenauit, quia *Symbolum* dederat, nec ipsi erat integrum se subducere.

Enimuero] *ἐπιφώνημα* *patheticum*. At hinc obserua, post minuta illa membra narrationi apta, ut nunc assurgat oratio. *Spectatum*] *Metaphora* ab *ementibus*, qui *Spectare*. *merces* undiquaq; circumspiciunt, ne quid insit vitij, quas probatas postea comparant: vel ab *argyrognomis* & *pecunia* probatoribus.

Putabam] *πᾶθ* est in uerbo, quasi dicat, *putabam*, sed falsus sum.

Et magnum exemplum continentia] *Gall.* *vn parangon de continence*. *Continentia* est *virtus* qua cupiditatem omnem consilij gubernatione regimus, & est *Temperantia* species. *Continentia*.

Nam qui cum ingenijs] *Ratio* *epiphonematis* per locum communem, sic enim argumentatur. *Qui intemperantium consortio non peruertitur, is uerè est continens*: At *filius incontinentium consuetudine non est factus corruptior*, igitur *is uerè est continens*. *Sumitur* hæc argumentatio à proprijs *continentia*. *Ad hunc modum*

colligit Plato lib. de legibus primo. Ex Atheniensibus qui probi essent, eos egregie probos esse oportere: quonia qui in male morata Republica boni sunt, eos insigniter esse bonos necesse est: nec enim probitatem fingere putandi sunt, nimirum inter eos, quorum similitudine morum poterant commendari.

Ingenium. Ingenijs] hominibus ουενδοχμω. Conflictatur] Metaphora à luctantibus, & pugnantibus. Est autem nobis magna cum voluptatibus pugna. Hac victoria longè omnium pulcherrima, suos affectus vincere; ac frenis iniectis cohibere, ut rationi obtemperent. Alludit itaq; ad conflictum superioris & inferioris rationis. Ideo hac vsus est translatione.

Animus. Animus] voluntas. Commouetur] perstat in luctantium Metaphora.

In ea re] id est, neque ad eam rem impellitur.

Scias] potentialis modus.

Habere suæ vitæ modum] id est, probè suæ vitæ moderari posse.

Id mihi placebat] Je y prenois grand plaisir.

Aspera compositio. Vno ore. Tum vno ore omnes omnia] aspera compositio & hians ex concursu vocalium. Vno ore & εὐὸς ὁμοῦσθαι, μίξ φωνῆ, id est summo consensu. Cicero ad Attic. Amici omnes modo vno ore omnes autores fuere.

Bona dicere. Omnia bona dicere] id est, benè precari, ac de filio bene ominari. Quod Græci vno verbo ἐφουσαῖν dicunt, ut annotauit Nanus.

Et laudare fortunas meas] felicitatis est gnatum habere, multo maioris tali ingenio præditum. Ideo εὐπραγίους fortunas dixit, quod nomen numero multitudinis non solum diuitias & facultates, sed prosperitates, & interd

interdum casus aduersos significat. Salust. Cum videret fortunas suas in extremo sitas esse.

Quid verbis opus est] prateritio ad attentionem renouandam.

Hac fama impulsus.] singula emphasim habent & vehementiam.

Vxorem vt daret] ut telicon eleganter interpositū. Vt.

Placuit, despondi, hic nuptijs, &c.] mira breuitas Breuitas. in longa narratione ordinem rerum seruans.

Despondere] fiancer, vnde Virgo, dicta: sponsa, pæta in contractibus matrimonij dicebatur, accordee fiancee & promise. Virgo dicta, sponsa pæta.

Hic nuptijs] supple, celebrandis.

Dictus est dies] constitutus, assignè. Diem dicere Diem dicere. etiam iuris est dicendi formula, adiourner à certain iour.

Quid igitur obstat cur non verè fiant.] Cum nihil dum de Pamphilo nisi honestum fuerit dictum, rectè rogat cur non verè fiant.

Ferè in diebus paucis] Linacer sine præpositione legisse videtur, atq; Terentium honestè accusatiuum per ablatiuum interpretatum fuisse. dicitur enim paucis diebus, vel intra paucos dies.

O factum bene] exultantis exclamatio, qua vtimur cum quid nobis desiderantibus obtigerit.

Metui à Chryside] Nam, aut similis intelligitur.

Nam intellectum.

Aderat vna frequens] Cicero pro Cluentio est imitatus Terentium familiarem suum. Aderat, inquit, frequens, aduocabat omni studio gratiaq; pugnabat. Frequens pro frequenter antimeria prima.

Antimeria.

Curabat vna funus] quia tu illis erat qui tum amabant Chrysidem. Causas factorū adfert ad probabilitatē.

Sic cogitabam] *διαλόγισμα* quo filij facta ad humanitatem refert.

Hic parvæ consuetudinis] *Exaggeratio humanitatis filij.*

Parvæ consuetudinis] *nimirum conuiuiorum tantum. Consuetudo non hîc patrium institutum, morem'ne introductum, & receptum significat, sed familiaritatem vsu partam. Gall. pour lanoir si peu hantee. Et consuescere, hanter.*

Quid si ipse amasset?] *Argumentum à maiori, quod ex interrogatione geminata & Epanalepsi vim habet.*

Hæc ego putabam, &c.] *Epiphonema patheticum, nam putabam est verbum ex ignorantia errantis.*

Humani ingeni] *φιλανθρώπιον. est enim humanitatis aliorum miseria commoueri. At humanitas significat aliàs φιλανθρώπιον, aliàs παιδείαν.*

Mansuetus animus.] *Μανυετικός] σιωπυμεία. Est autem hîc mansuetus animus, non qui ira moderatur & clementia indulget, sed qui assuesfactus est ad civilitatis officia, quiq;*

Ferus animus.] *est feritati contrarius, & crudelitati. Contra ferus animus qui nulla humanitate mouetur: Nam mansuetudo*

Animaliū duo genera.] *feritati opponitur. Et est translatio ab animantibus quarum quedam sunt ἡμέτερα, quedam ἄγρια.*

Officia] *τὰ δέοντα. Egomet quoque, &c.] Ad œconomiam pertinebat, ut funeri interesset senex, ad amoris proditorem. Nisi enim vidisset, nemini de filio credidisset.*

Nihil suspicans] *suspicionem iam de filio inicit.*

Hem quid est?] *exclamatio percussit & metuentis.*

Efferri.] *Effertur,] hoc verbum funebre est, sicuti Græcis*

ἐκφέρει

ἐκφέρεισθαι. Nam Solon lege prohibuit, ne in vrbe mortuorum corpora sepelirentur, quod Romani suis etiam legibus duodecim tabularum sanxerunt: hominem mortuum, inquit, in vrbe ne sepelito, ne'ue vrito. In agro quisque suo sepulcrum gentile habuit. Imus] βραχυλογία.

Vnam aspicio] *τὸ ἑνὴν πλεονάζει aut admirationem excitat.*

Adolescentulam] *laus ab ætate & forma, ut iustior filio sit excusatio de amore Glycerij, Natura enim desiderio pulchritudinis capitur. Ideo Plato in Symposio τὸ καλὸν amoris causam ponit. At forma est species, imago, & rei cuiusq; exemplar, ita dicta quod materiam suam informet ac figuret. Et quia μέσον est verbum, interrumpit hærî sermonem Sossia, inquit, bona fortasse.*

Bona fortasse] *id est venusta & eleganti. Idiotismus est philosophorum. Nam Platoni nihil est pulchrum, nisi idem sit bonum, ideoq; alterum pro altero translative utimur. Aut bona, bonitatem præ se ferente μεῖωσιν κῶς. Sicuti & nostra lingua dicimus. Vn bon visage. Id est, nullam malitiam significantem, sed sinceritatem quandam, & candorem. Homerus Odys. 1. 8 μὲν γὰρ τι κακῶ ἐὶς ὧπα ἔωκε. Id est, ex specie minime improbus ipse. Quare Plato in Phædro colligit fieri non posse, ut Aspasius bonus sit, qui esset deiformis. Et Euripides Ἴνους δὲ ἄρ' ὡς τὰ πολλὰ γ' ἀνθρώπων πῆρ, τὸ σχῆμα ἰδῶν, τίς ἐὶ πῆρκεν ἄγχις. Id est, si hominum formam contempleris, agnoscas ut plurimum quis sit bonæ indolis, & Græci appositè improbum dicunt*

Solonis lex de inhumatione cadauerum.

βραχυλογία.

Vnus redundans.

Forma vnde.

Vultus hominis index.

Homo mali commatis.

numus malè percussus et adulterinus, ex imagine enim quanti valeat agnoscitur. Gall. homme mal marqué, de mauuaise marque.

Fortasse. Fortasse] non sapit ἐρωτάειν sed ex Academicorum ἐπιτοχῆ locutus est. Irrepperat enim in vulgari sermone hæc consuetudo, vt etiam non dubitantes subinde ἴσως interponerent loquendo, senes maxime. Quod indicat Aristotel. in Rhetorica. ἴσως ἢ, inquit, ἔσδερ, ἢ ἀμφοτέρωθεν προσιδέασιν ἀεὶ τὸ ἴσως ἢ τὰ χα, id est, perinde ac si nihil sciant, dubitant, & semper adiungunt forsitan, fortasse.

Et vultu Sotia adeo modesto, &c.] Amplificatio per ἀνέξουσιν. & compellatione nominis admirationem excitat. Et vultum magis laudat, quam formam: propterea quod hæc ad corpus, ille ad animum & voluntatem pertinet, vnde etiam deducitur. Rursum fingitur vultus, & ad voluntatis affectum componitur, & subinde mutatur: forma verò immobilis est. Omnino formæ gratia in vultu est. Quot enim virgines reperias, formæ bonitate excellentes, quæ omni gratia destituuntur. Itaq; in Glycerio vtrunque laudat, quod pertinet ad œconomiam nuptiarum Pamphili.

Venustas & dignitas. Adeo venusto] propriè. Nam venustas mulierum est, dignitas virorum.

Vt nihil supra] deest esset, autore Linacro.

Quia tum mihi] duas causas affert, quibus adductus est, vt de Glycerio percontaretur, singularem pulchritudinem, & flatum præ cæteris maximum: vt hinc discas, quàm aptè causas rerum connectat.

Præter cæteras honesta] eleganti, pulchra. Rursum ex ἰδιωθισμῶ philosophorum locutus est, quibus

τὸ

τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἢ ὡρεποῖ idem significant. Quod Cicero colligit Tuscul. 5. Omne bonum, inquit latabile est, quod autem latabile, id prædicandum & præ se ferendum. Quod autem tale est, id etiam gloriosum. Si verò gloriosum, certè laudabile est. Quod autem laudabile profecto etiam honestum. Quod bonum igitur, id est honestum. Itaq; non mirum vnum pro alio poni.

Ac liberali] Color ater & fuscus seruis abiectissimis, quiq; in sole operantur est proprius. Ideo Cicero in Pisonem. Iam ne sentis, inquit, quæ sit hominum querela frontis tuæ? Nemo queritur Syrum nescio quem de grege nouitiorum factum esse consulem. Non enim nos color iste seruilis, non pilosa, genæ, non dentes putridi deceperunt, oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est. Hic in errorem homines impulit, hic eos quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit. Quintilianus de Domitio Afro. lib. v. Cum, inquit, Sulpitius Longus esset fædissimus eum contra quem in iudicio liberali aderat, ne faciem quidem habere liberi hominis dixit. Cui respondens Domitius Afer, Et tu, inquit, ex animi sententia longè, qui malam faciem habet liber non est, hinc puto lique-re, quæ sit forma liberalis, Gall. possumus dicere. Vn visage blanc frais & de beau teint.

Color libera-
lis & seruilis.Virtus sermo
mētis tacitus.

Accedo] pro accessi enallage temporum narrationi-
bus apta. Rogo] Heterosis figura. hæc omnia sunt præterito.
deuſiua.

Percussit illico animum] Metaphora ab eo qui ex improviso ictus est. Percello præteritum habet verum perculit. Verg.

Perculit & fulua moribundum extendit arena.

Perculi.

At

At hoc etiam usus est tacitus. Ingens rerum tumultus, inquit, perculsit ciuitates.

At ac] prosopopeia deprehendentis ex improviso, & hac iteratione similiter Gallicè utimur.

Hinc illæ lacrymæ pro- uerb.

Hinc illæ lacrymæ] Prouerbialis locutio cum causam doloris nobis prius ignotam tandem cognoscimus.

Hæc illa est misericordia] χλευασμὸς Ironia species exprobrationis causa.

Quorum euadas] Gall. ou tu veux cheoir. Euadit qui ascendit, & supergreditur: euadit qui elabatur.

Funus interim procedit] Funus, comitatum funeri astantem significat.

Procedit] marche, ut in pompis & supplicationibus fit.

Συνομία quid.

Sequimur] mira orationis συνομία, Atticis familiarissima. Est autem concisa oratio & pressa, ad docendum mirè utilis & expolitioni oratoria contraria.

Ritus funerū.

Sequimur] defuncti corpus comitantium turba olim sequebatur, ut etiamnum hodiè. Sed mulieris corpus albis vestibus induebatur, hæredesq; propinqui & cognati autore Plutarcho. Præcinebant tibicines lugubre carmen, harmonia Lydia complorationibus apta. Noctu funeralibus cereisq; accensis efferebantur cadauera, quibus cerea maiorum imagines, qui aliquando Rempub. aut re, aut opera inuerant, præferiebantur: Sequebantur mulieres conductæ ad lessum agendum. Deinde cætera turba. Hic ritus à Solonis legibus ad Romanos est translatus.

Sepulcrum.

Ad sepulcrum venimus] Id est ad locum sepulcro destinatum μετῶρυμνός. In huius vocis etymologia nugatur Donatus. Verum ut à fulciendo fulchrum, ab inuoluendo inuolucrum, ita à sepeliendo sepulcrum dici

dici videtur.

In ignem posita est] Olim cremabantur cadauera. Deinde cineres in Urna, humi, aut in arca lapidea condebantur. Antiquissimi tamen non amburebant, sed terra operiebant, ut docet Cicero libr. de Legibus secundo: ad cuius usque memoriam Gentem Corneliam eo ritu usam fuisse testatur. Porro exustioni hæc causa afferuntur. Quod id diuinum quod in nobis est, igneo quasi vehiculo ad superna subuectum, cælestibus inferi credebatur, remanente hinc quod terreum est. Alij expurgandi causa id fieri dicunt, quandoquidem ignis sit ἀγνιστικόν, id est, purgandi vim habens. Purgationes autem quas καθάρσις vocabant non fiebant sine igne. Quod innuit Euripides cum Clytemnestra corpus igni purgatum esse scribit. Hunc cremandi morem ab Hercule profectum quidam existimant exusto Argio Lycimini filio. Vide Cal. lib. 1. x. cap. XLIX.

Causæ exustionis cadauerum.

Fletur] tunc propinqui eiulatum attollebant maxime, ut solemus cum cadauer in scrobem demittitur, & terra operitur.

Accessit ad flammam] quia soror defunctæ credita, cuiq; præ cæteris mors Chrysidis dolebat.

Imprudenti] supple, quàm oportet. ἀναπρόδοτον aut pro absoluto est positum. Gal. sottement.

Satis cum periculo] Ideo imprudenti, quia periculose, & τὸ satis Epitaphin addit verbo, & intentionis est aduerbium.

Ibi tum examinatus Pamphilus] summam rei complectitur, sed cum amplificatione. Deinde explicat apertius, per ἐποτύπωσις, quæ ratio locupletandæ orationis ad ἐνέργειαν pertinet, de qua Eras. 1. de copia.

Exanima

Examīnatus] in hoc Epitheto causa est impulsiva.

Benè. Benè] valde.

Dissimulatum & cælatum] Auxesis cum Paronomasia, id est, quem tantopere simularat, & celauerat.

Indicat] Verbum in fine collocat non sine Vehementia. Et Dactylus ruentium vno impetu speciem refert. Est autem indicare proprie eius qui & ipse sceleris est conscius, quod $\mu\upsilon\nu\beta\epsilon\alpha\upsilon$ Graci dicunt, At amorem celare difficile est.

— Quis enim celauerit ignem

Lumine qui semper proditur ipse suo inquit ille.

Ibi] exaggeratio à loci circumstantia, quasi diceret, eo loco, quo tanta hominum turba conuenerat.

Tum] cum $\nu\omicron\mu\iota\zeta\omicron\mu\delta\nu\alpha$ & parentalia defunctæ celebrarentur.

Accurrit] Indicia quibus amorem prodidit. estq; amplificatio per ratiocinationem. Ex dictis enim colligitur Vehemens amantis effectus. Nam non accedit, sed accurrit, timens Glycerio, neque illam manu apprehendit, sed complectitur mediam, quod ipsum amoris quoque est. Hic obseruent pueri, pauca adiectiua, qualia sunt medius, primus, summus, postremus cum synonymis, melius per intransitiuam constructionem efferri, quam per transitiuam. Mediam mulierem, non medium mulieris. Cicero. Quibus in extremis, pro quarum in extremis, prima astate, pro prima aetatis parte. Verg.

— Medio ex hoste recepi.

Vide Linacrum.

Mea Glycerium] non factis modo, sed verbis quoque amorem indicat: & est apta occasio nominandæ Glycerij.

Tum illa vt consuetum, &c.] Et Glycerium etiam

mutuum

mutuum amorem testata est.

Vt consuetum amorem] Conclusio ex precedentibus signis per interpositionem. Consuetum, longa iam consuetudine firmatum.

Cerneret] potentialis modus, & personæ heterosis.

Quam familiariter] interrogatiue legit Linacer.

Quid ais?] interrogatio attoniti & admirantis.

Nec satis ad obiurgandum causæ] $\pi\rho\omicron\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\lambda\eta\mu\iota\varsigma$ ad filij excusationem. Vult dicere, Causa nonnihil erat, sed non satis idonea ad obiurgandum.

Diceret, quid feci, &c.] deest rationalis coniunctio, & est $\pi\rho\sigma\omega\pi\omicron\tau\omicron\iota\iota\alpha$ defendentis Pamphilum, & enthymema Rhetoricum à pugnantibus. Quæ sese in ignem voluit inycere, seruauit: nihil igitur peccaui. Sed consequens more oratorio præponit, exornatum Epanaphora, & Auxesi, non quidem à maioribus ad minora, vt vult Donatus, sed contrà à minoribus ad maiora. Nam facere, & commerere, $\mu\epsilon\sigma\alpha$ sunt, & culpa carere possunt: at qui peccat, ea non caret.

Pater] $\delta\epsilon\upsilon\omega\omicron\iota\varsigma$ est in hoc nomine: quasi dicat, tu qui præ cateris æquus mihi esse debes.

Aut peccaui] defensio per qualitatem absolutam.

Prohibui, seruauit] Auxesis, cui dissolutum addit Vehementiam.

Honesto oratio est] id est iusta ratio & æqua more Græcorum, quibus $\lambda\omicron\gamma\omicron$ & rationem, & locutionem significat. Nec enim aliud est oratio, quam ratio verbis expressa. Cicero hanc loquendi rationem imitatus est secundo de Offic. Itaque vulgò, inquit, loquuntur sese in beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam sequi, honesta oratio est.

Nam

Oratio pro
ratione.

Nam si illum obiurges] *Confirmatio à maiori, & expositio superioris argumenti, à contrarijs. Si qui dat malum, obiurgationem meretur, Ergo laudem, qui bene facit. Sed argumentandi ductum immutat vehementia causa. Sic Pisistratus apud Plutarchum, cum se vxor ad vindictam de Thrasibulo sumendam instigaret, quod eius filiam in via osculatus esset, hoc argumentandi ductu usus est. Si, inquit, beneuolis & nostri amantibus malum inferas, quid illis facias qui nos oderunt?*

Elegātia quot
in rebus sita.

Qui dederit damnum aut malum] *Elegantia ut Erāsmus docet, in tribus potissimum sita est, in verbis receptis ab idoneis autoribus, in accommodando, & in compositione. Secundi generis hūc vides exemplum. Nam damnum dare dicimus non facere, quæ verba quibus iungantur, quæ refugiant, in accommodando diligenter obseruent pueri, ut puram & Latinam orationem efficiant.*

Venit Chremes postridie] *Quæ antecesserunt negotium exposuit, nunc quæ consequuta sunt docet.*

Indignum facinus] *esse.*

Comperisse] *igitur & studiosè conquisiuisse. A consequentibus argumentum, ut non temere creditum, sed planè compertum sit.*

Pamphilum pro vxore habere hanc peregrinam] *summa accusationis cum amplificatione.*

Habere] *entretenir. non ciuem Atticam sed peregrinam, neque concubinae loco, sed vxoris, & matris familiaris: ergo indignum facinus.*

Habere. Habere] *sicut ἔχειν Græcis ad mulieres relatum ferè in malum sonat. Vnde Aristippus Laida meretricem*

cem cum amaret, & eo nomine ab amicis obiurgaretur ἔχω μὲν, inquit, λαίδρα, δὲ ἔχομαι πρὸς λαίδρα. Habeo, inquit, Laidem, sed illa me non habet.

Ego illud negare factum] *exprimit senilem concertationem, & subaudiri videtur esse. Ut qui] ab homine supplet Linacer, quod est frequentissimum, aut ut, pro utpote sumitur.*

Satis vehemens] *Idonea & aqua, quæ enim iusta sunt vehementius mouent. Tute] Rursum defendit Pamphilum à tempore per προσωποποιίαν: & ante Tute, audiendum est, diceret enim. His rebus] meus amoribus.*

Diceret enim,
subauditum.
Quum pro
quo.

Prope adest] *supple tempus, Quum] pro quo elegans enallage. Vide Linacr.*

Alieno more] *vxoris arbitrio.*

Sine nunc me, &c.] *postulatio ab æquo. meo more, meo modo, à non plaisir, à ma fantaisie.*

Quis igitur relictus est] *Preparatio ad secundum partitionis membrum.*

Locus] *ocasio, Nam inter circumstantias, tempus ac locus præcipuam rei gerendæ occasionem præstant, quare fit, ut utrunq; pro ipsa occasione sumatur.*

Si propter amorem] *Consilium suum de nuptijs celandis exponit, ad quod tota antegressa narratio spectat.*

Ritus vxoris
ducendæ.

Vxorem nolit ducere] *Ducebatur noctu vxor à tribus prætextatis patrimis, vnus facem ex spina alba præferibat, duo nubentem vtrunque tenebant: nonnunquam quinq; aut pluribus facibus prælucentibus ducebatur ad virum: ante cuius ianuam pellem substernebant, ostiumq; lana coronabant, Talasij nomine crebrò adito. Deinde à patrimis impellebatur ad ingrediendum ut inuita videretur virginitatem amittere. Tres asses*

d illa

illa deferebat, unū dabat sponſo, alterum quem in calceis gestabat, in foro adium quasi laribus dicans; ponebat: Tertium vicinītatī reſonabat. Viro itaq; domum ingreſſa dicebat, Vbi tu Caius, ego Caia.

Primū abundans.

Ea primū] τὸ primū hīc ſolum eſt poſitum & videtur abundare, aut pro quā primū ſumi. Apud Ciceronem ſape ſic poſitum legas. Pro Sex. Roſc. primū patere me eſſe curioſum.

Ab illo pro eius.

Iniuria ab illo, &c.] ab illo pro illius ἐναλλαγῆ πτοσεῖος. Genitiuum enim honeſtē nonnunquam per ablatiuum cum prepoſitione interpretamur, ad vitandam Amphibologiam. Vt idem in Eunūcho. Adſunt tibi dona à Phedria, pro Phedria, & amat Terentius ſubinde ab eo pro eius ponere, Vt ſcribit Linacer.

Animaduertenda] puniēda, arcēda verius quā captanda & obſeruanda.

Periſphraſes verborum illorum cōſtructionem ſeruant.

Et nunc id operam do] ſecundum partitionis membrum. Donatus ἐλλειπτικῶς ſubaudit, propter, ante id, videt enim verbo tribui geminum accuſatiuum præter Grammaticorum conſuetudinē. ſed obſeruandum eſt, quaſdam verborum periſphraſes habere cōſtructionem verborum quorum vicem obtinent. At cum dare operam pro laborare ac conari ponatur, verbi quoq; ſimplicis cōſtructionem retinet: quod niſi aduertatur, perplexam reperias ſape cōſtructionis rationem.

Verus pro iuſto.

Vera obiurgandi cauſa] ludit ex contrapoſito. Vera, iuſta. Horat.

Metiri ſe queng; ſuo modulo ac pede verum eſt.

Cicero in Saluſt. Ita egit, inquit, Vt nihil non æquum,

atq; verum duxerit, quod & facere collibuiffet.

Simul coniunctio.

Simul ſcleratus Dauus, &c.] ſimul, etiam, copulatiua

tiua coniunctio, non aduerbium congregationis. Eſt autem œconomia ad Dauī fallacias, & ad ipſius naturam indicandam.

Vt conſummat nunc] qu'il l'employe maintenant.

Quem credo] Amplificatio ab effectis doli. Eſt enim Dolus. Dolus, Vt definit Cicero III. de Nat. Deor. Verſuta, & fallax nocendi ratio. At ſingula voces ἐμφασις habent. Quem, inquit, non puto, ſed credo: quod certitudinis eſt verbum. Facturum] non quadam, ſed omnia.

Manibus pedibusq;] id eſt, totis viribus, omni ſua opera & labore.

Obnixè] toto conatu, ab obnitendo.

Obnixè,

Magis id adeo] Exaggeratio à deſtinatis per collationem contrariorum. Rurſum id, propter id Donat. interpretatur. ſed quaſi in epexegeſi poſitum videtur mihi, ea ratione qua dicimus, Alexander paruis copijs Dariū Regem ſuperavit, idq; in adoleſcentia.

Mala mens malus animus] Ratio ab animi natura, quam reddit vehementiorem geminatione epitheti. Rectè mentem & animum coniunxit, ſunt enim efficiētes cauſe actionum humanarū. Nam duæ vires in actionibus voluntarijs requiruntur. Vna à mente, nimirum deliberatio facta per notitiā obiecti. Altera à voluntate, ſcilicet electio libera, qua eligit & opere præſtat qua videntur commodiora, ſpernitq; contraria. Ceterum duplicem mentem ſtatuērunt Philoſophi: ſuperiorem, qua lumen eſt præſtantiffimum humana nature, qua dictat & præſcribit merè honeſta & Diuina. Hæc non eſt affectibus obnoxia, ſed tanquam Regina illis imperat, qua Græcis vīs dicitur. Alteram inferiorem, dictantem non honeſta & diuina, Vt ſuperior, ſed merè humana,

Mens duplex.

Voluntaria, & Utilia, quæq; appetitu sensitivo & fertur ad externum, quod videtur, bonum. Hæc mala esse potest, hic nequam est oculus, qui totum corpus reddit caliginosum. Hæc affectibus obsequitur. De hac loquitur hic Senex, quæ τῆ εὐνοίας contraria est, quam malam conscientiam vulgus appellat. At hoc loco animus pro voluntate accipitur: quod quàm sit frequens, indicant orationes hæc. In animo habere, In animo esse, Animus est mihi. Alludit autem ad Menandri sententiam γνώμης ἢ ἐσθλῶν ἔργα χρηστὰ γίνεται bonæ mentis bona sunt opera.

Animus pro voluntate.

Quem quidem ego si, &c.] ἐκπλαξίς per Ἀποσιόψιν.

Sed quid opus est verbis] Præteritio qua regreditur ad suum consilium, quod per complexionem colligit hoc modo. Si filius uxorem nolit ducere, corripienda est hæc iniuria, sin velit, exorandus est mihi Chremes, ut gnatam suam det filio uxorem. Estq; æconomia ad Epitafium fabula & ipsius summa.

Quod volo] ex duobus in complexione positus, posterius maualt, utpote filio magis utile.

Exorandus est] exorandus & participiale & merum participium esse potest, & τὸ mihi pro auferendi casu cum præpositione, Græcorum more est positum.

Confore. Confore] futurum esse, compositum simplicis loci.

Nunc tuum est officium] Tertium divisionis membrum quid Sositam facere velit, nempe hæc tria, nuptias simulare, perterrere Dauum, & Pamphilum observare quid ageret.

Officium nomen intellectum. Tuum est officium] vident ex hac oratione, defectivas esse meum, tuum, suum? illius est, & appellativum officium subintelligi.

Ad similes

Adsimules] ad, relationem habet interdum, ut hoc loco. Adsimulare. adsimules, id est ad meum consilium simules, adfingas, que tu feingnes à propos selon l'entreprinse.

Obserues filium quid agat] Antiptosis ad Græcum idioma efficta, pro obserues, filius quid agat, ut docet Linacer. Ἀντιπῶσις Græca.

Quid consili captet] Metaphora à ferarum venatu. Sat est] non radium, sed facturi consensum significat.

ACTVS I. SCENA II.

SIMO senex. DAVVS seruus.



On dudum est, quin uxorem nolit filius: Ita dauum modò timere sensi, vbi nuptias Futuras audiuit. sed ipse exit foras.

D A. Mirabar, hoc si sic abiret: & heri semper lenitas

Verebar quorsum euaderet.

Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,

Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægrè tulit.

S I. At nunc faciet, neque, ut opinor, sine tuo magno malo.

D A. Id voluit, nos sic nec opinanteis duci falso gaudio,

Speranteis iam amoto metu, interea oscitateis opprimi, Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.

Astute. S I. carnifex quæ loquitur? D A. herus est, neque præuideram.

S I. Daue. D A. hem, quid est? S I. eiodum ad me. D A. quid hic volt? S I. quid ais? D A. qua de re? S I. rogas?

Meum

Meum guatum rumor est amare. D A. id populus curat scilicet.

S I. Hoccine agis, an non? D A. ego verò istuc. S I. sed nunc ea me exquirere,

Iniqui patris est, nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet.

Dum tempus ad eam rem tulit, siui animum ut expleret suum:

Nunchæc dies aliã vitã adfert, alios mores postulat. Dehinc postulo, siue æquum est, te oro Daue, ut redeat iam in viam.

D A. Hoc quid sit. S I. omnes qui amant, grauius sibi dari vxorem ferunt.

D A. Ita aiunt. S I. tum si quis magistrũ cepit ad eam rem improbum,

Ipsam animum ægrotum ad deteriores partes plerumq; applicat.

D A. non hercle intelligo. S I. nõ: hem. D A. non: Dauus sum, non Oedipus.

S I. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loquitur. D A. sanè quidem.

S I. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis Fallaciæ conari, quò fiant minus:

Aut velle in ea re ostendere, quàm sis callidus:

Verberibus cæsum te in pistrinum, Daue dedam usq; ad necem,

Ea lege, atq; omine, ut si te inde exemerim, ego pro te molam.

Quid, hoc intellexit? an nondũ etiam ne hoc quidem? D A. imò callidè.

Ita aperte ipsam rem modò locutus, nil circuitione vsus

vsus es.

S I. Vbiuis facilius passus sim, quàm in hac re, me deludier.

D A. Bona verba quæso. S I. irrides? nihil me fallis: sed dico tibi,

Ne temere facias: neq; tu haud dicas tibi non prædictum, caue.

C O M M E N T A R I A.

Minatur Dauo Senex, si quid fallaciæ nuptiis struat.

Non dubium est,] Coniectura est à timore Dauis, qua conicit filium nolle vxorem. Et est enthymena à loco contingentium. Verùm hæc periphrasis plusculum significationis habet, quàm verbum dubito: significat enim senex, non tantum sibi, sed nec cuiquam dubiũ esse debere.

Ita Dauum modo &c.] ἀτιορ seu antecedens enthy mematis, Etenim aut alia rationalis audienda, & ita, valde significabit: aut supplendum (ut) post ita, ut sit ordo: ita ut Dauum modo timere sensi &c. non dubium est, quin vxorem nolit filius.

Enim subauditum.

Sed ipse exit foras] παρασχοὺν ad sequens colloquũ.

Mirabar hoc &c.] Dauus postquam de sofia nuptias futuras audiuit, ex adibus egrediens, hæc secum attonitus loquitur. Hinc conicias ignorasse priusquam cum sofia loqueretur simo. τὸ hoc indicat quod sequitur, Et quia obscure proposuit, ἐρηυνέειν subdit magis perspicuam.

Hoc demonstratiuũ rei sequentis.

Et heri semper lenitas] τὸ &, ἐπεξήγησις precedentium infert. Semper] perpetua, secunda Enallage, aut refertur ad Verebar.

Semper loco adiectum.

Quorsũ euaderet] metaphora ab his q alicubi itercepti

ε 4 exitum

Periphrasis exitum querunt. Non datum iri] *hæc futuri passivi infiniti passivi.* circuitio, immutato genere & numero effertur, Cetera futurorum periphrases mutantur pro ratione nominum quibus adherent.

Nunquam cuiquam] *solent permulti iracundiam suam in seruos immerentes exonerare.*

At. At nunc faciet] *At, nota est reprehensionis, ut compositum atqui, & tertia persona pro prima, secum hæc summisse loquitur.*

Nec sine tuo magno malo] *singula voces comminationi addunt gravitatem. faciet, sed malo (quod damno est gravius) eoq; non leui, sed magno & tuo.*

Id voluit] *interpretatur causas lenitatis simulata.*

Nec opinantes] *nihil huiusmodi suspicantes.*

Duci. Duci falso, &c.] *videtur esse generis Enallage duci & opprimi, pro ducere & opprimere. At duci simplicis est & incauti. Falso gaudio] hic ablatiuus explicat*

Falsus. Metaphoram. Falso] *fallaci participiale nomen, & actiue significans. Amoto metu] videtur ἀντιπώσις ablatiui pro accusatiuo ad vitandam cacophoniam. Aut τὸ sperantes nomen est securos significans, & ablatiuus absolute ponitur. Interea oscitantes] apta translatio à corpore ad animum, Oscitare est os aperire. Gall. bailler. At*

Oscitatio. Oscitatio negligentiam & securitatem arguit, itaque μετῶνικῶς signum pro re significata posuit. Oritur autem ex humiditate & spiritu vaporoso, & superfluitatibus, quæ in musculis coeunt, ideo à somno sæpe obuenit, & omnium maximè probatur, si à digestionem fiat: significatur enim expulsio superfluitatum. Interdum accidit ex frigore, poris cutis obstrusis, tunc enim fumidi vapores per oscitationem exhalant, & protenduntur.

Opprimi]

Opprimi] *Dactyli celeritas mirè significationi quadrat, & videtur translatio ab edificijs ruina incautos opprimentibus.*

Astute] *asseueratio magis quàm Ironiam.*

Carnifex quæ loquitur] *summisse hæc secum. & est tacita admiratio.*

Herus est neq; præuideram] *metuentis & percussæ verba.*

Quid hic volt?] *stupor ex metu, ne ab hero audita sint quæ de ipso loquutus est.*

Qua de re] *astute dissimulat Dauus, se scire de quo rogetur.*

Rogas?] *interrogatio quasi corripientis, quòd ignorare simulet, quod vulgatum est de nuptijs.*

Meum gnatum rumor] *Oratio generis est suasorijs. Postulat enim à Dauo ut Filius iam in viam redeat, utq; ipsi in amore adiutor esse desinat. Id autem agit & precibus & minis. Et statim à propositione incipit, nulla concilianda beneuolentiæ vsus ratione, quòd seruum terrere velit.*

Rumor est] *ac si diceret, cum fama sit eius rei vulgator, tu qui eius es intimus consilijs non potes non optimè omnium scire.*

Id populus curat scilicet] *ἀποδιώξις Ironica ad spectatores, qua eludit senis dictum, quasi colligere velit, falsum esse quod dixit herus. Id populus non curat, non igitur eius rei rumorem spargit. Et quia summisse hæc loquebatur, quasi indignatus ob moram respondendi, senex rogat hunc, audiat nec ne.*

Hoc cine agis an non] *id est, aduertis ne animum ad ea quæ rogo an non? Nam qui non attendit ad ea quæ dicuntur,*

Aliud agere. *dicuntur, aliud agere proverbiali figura dicitur, ut ali-*
bi à nobis dicitur. Gall. songer & penser ailleurs.

Ego verò istuc] *supple, ago.*

Sed nunc ea me exquirere iniqui patris est] *Cor-*
rectio ab iniquo, quasi dicat delicta filij praterita nunc
exquirere, iniqui patris est, id est plus nimio iusti, à ne-
godluais, & summo iure agentis. At Quærere iu-
dicum est & magistratum, exquirere & inquire-
re aliorum.

Quærere, ex-
quirere, & in-
quirere.

Nam quod antehac fecit nihil ad me attinet] *id*
est mea nihil refert, nihil curo. Je ne m'en soucie point.
μετάληψις. Nam quæ ad nos nihil attinent minime cu-
ramus, quasi dicat, quod praterijt non curo.

Dum tempus ad eam rem tulit] *Confirmatio à tem-*
porum differentia. Intelligit Donatus pronomen se: sed
verius illum aut simile subaudiri existimo, ut sit sensus:
Quandiu tempus, id est adolescentia tulit, rapuit, &
pertraxit filium ad eam rem, id est, amorem. Nam ado-
lescentes propter sanguinis calorem ad voluptates ferun-
tur. Itaq; ætatis vitium est potius quàm personæ, ideo
Cicero pro Rabirio. Affert (inquit) aliquam excusa-
tionem ætas.

Adolescentes
cur ad volu-
ptates procli-
ues.

Animum ut expleret suum] *aptè hoc verbo pater-*
nam exprimit indulgentiam, & est Metaphora à rebus
quas avidè capimus, quibusq; vasa nostra implemus.
Virgilius.

Explere.

Expleri mentem nequit.

Nunc hæc dies] *Altera pars contentionis.*

Hæc dies] *tempus. ουενδο χρόνος.*

Aliam vitam] *rationem viuendi.*

Alios mores, &c.] *Commoratio ad rei gravitatem,*
traduct

traductione, & disjunctione exornata.

Dehinc postulo] *Epilogus argumentationis per de-*
precationem, qui est scopus, & propositio præcipua huius
orationis. Postulat qui iure petit.

Postulare.

Siue æquum est] *ἰσοπέδων Ironica.*

Vt redeat iam in viam] *Metaphora ab ijs qui à re-*
cto itinere aberrarunt. At filius primo vitam pruden-
ter instituerat, rogat ut ad eam redeat.

Hoc quid sit] *dubitatio attoniti, & subauditur igno-*
ro. Perstat autem in dissimulatione Dauius.

Omnes qui amant, &c.] *Argumentatio à contin-*
gentibus, seu communiter accidentibus, cuius hæc ma-
ior est propositio. Omnes qui amant, à nuptijs abhorrent.
Filius amat, igitur à nuptijs abhorret.

Ita aiunt] *Responsio cunctanter confitentis.*

Tum siquis] *Dauius perstringit filij in amore ad-*
iutorem, & non sine Emphasi magistrum illius appellat.
Est autem aliud argumentum ab adiunctis. Magister
improbis discipulum sæpè impellit ad flagitia, Tu es fi-
lio magister, et improbus. Ipsum itaq; impellis ad flagitia.
sed maiores tantum propositiones apposuit, ex quibus in-
tegras ratiocinationes facile est connectere.

Animum ægrotum] *apta rei significanda Meta-*
phora, qua omnem corruptionis culpam in Dauium con-
fert, Nam facile est valenti, ægrotum, exhaustis viribus
imbecillum, nec valentem repugnare, propellere in ca-
sum, ad quamcunq; velit partem. Ægrotum pro agro
posuit κατάχρησιν. Nam ægrotudo animi est, ægrotati-
o corporis. Est autem ægrotatio, ut scribit Cicero III II.
Tuscul. morbus cum imbecillitate. Non] Repetita nega-
tio asseuerandi causa.

Ægrotudo.
Ægrotatio.

DAUIUS

Dauus sum non Oedipus] *Prouerbialis Allegoria*, qua astutiam & animi solertiam in enigmati solvendis deprecamur. Sumpta ab Oedipi & Sphingis fabula, quam Diodorus lib. v. & Boccatius de castis virorum illustrium perscribunt. Nam cum Iocasta Creontis filia, Laio Thebanorum regi nupsisset, essetq; ex eo grauida, profectus est Laeus Delphos, ut de prole nascitura Apollinem consuleret, à quo responsum tulit, uxorem filium quidem genituram, sed qui patrem aliquando necaret. Territus oraculo Laeus, natum infantem Phorbæ pastori suo interficiendū tradit. qui cum regis iussa facturus in syluam secessisset, infantis misertus traiecit gladio pedibus, hunc de arbore suspendit, vnde Oedipi nomen à tumore pedum sortitus est. Caterum viator quidam illac iter faciens, audita pueri vagientis voce, ad arborem, vnde pendeat, accedens, ipsum sustulit, & Corinthum portauit, & Meropæ Polybi Corinthiorum regis uxori liberis carenti dedit. A qua adultus Oedipus didicit, se quondam fuisse expositum: Quamobrem relicto Polybo, sciscitatum Phæbi oraculum de parentibus Delphos pergit, quo etiam Laeus eodem tempore de infante exposito consulturus, erat profectus. Itaque alter alteri in via cum occurrisset, iussit Laeus Oedipum sibi de via cedere, ignorans quidem suum esse filium. Quod cum facturum se negasset, exorta inter ipsos pugna, Oedipus patrem obtruncat, quo mortuo, monstrum quoddam Sphinx appellatum, Thebanos magno cæpit malo afficere. Nam Thebas proficiscentibus enigma proponebat, quod nequeunt solvere in mare præcipites dabat. Quare ut huic malo mederentur, soluenti enigma proposuerunt Thebanorum regnum, & Iocastæ conubium. Erat au-

tem

tem huiusmodi, quod esset animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperti tripes. Id cum soluisset Oedipus regno potitus est, & matrem uxorem duxit, ex qua ferunt quatuor illum filios sustulisse, Etheoclem, Polynicem, Antigonom, Ismenam.

Nempe ergo aperte vis, &c.] *citra interrogationem etiam legi potest.*

Sanè quidem] *Attica pleonasmos ad maiorem asseruationem.*

Si sensero] *Gravis comminatio, ideo attollit orationem, & hanc τὸ βίραρον τὸ βίραρον circumscribit, cuius principium, seu τὸ πρότασις ἰσοκωλίαν habet, pondus & grauitatem comminationi afferens. Finis verò seu ἐπίλοσις, μὲν πρῶτον, ut hac varietate fiat oratio iucundior. At omnia dicuntur cum Emphasi.*

Te conari] *conatum etiam sine effectu puniendum minatur.*

Quicquam] *quantulumcumq; sit.*

Quo fiant minus] *τὸ minus nec comparatiuè, nec propositiuè accipitur iunctum particulis sin, & quo: sed loco negationis, id est, ut non.*

Aut velle ostendere] *interpretatur causam fallendi, nempe, nõ ut proferat cuiquam, sed ut versutia sibi laudem parat. Nam sunt quedam distortæ naturæ, quæ laudem in malefactis captant.*

Verberibus cæsum te in pristinum Dauem dedam] *Verberibus cædebantur vltimo supplicio afficiendi, prius, verberarentur. Pistrinum à pistillando deducitur, quod significat frumentum pistillis tondere. Veteres enim ante usum molarum, in vasis lapideis concavis, quæ pilæ vocabantur, frumentum igne prius*

Verberibus cædebantur vltimo supplicio afficiendi. Pistrinum.

Pilæ.

prius

prius tostum terebant, ut scribit Servius in illud Vergilij carmen,

Et torrere parant flammis & frangere saxo.

Molæ trufatiles.
Molæ afinariæ.

Molæ postea reperta, quarum quadam asinorum, & iumentorum opera circumagebantur. Alia deteriorum mancipiorum opera, quas trufatiles appellabant, & id genus operis supplicium erat flagitiosorum seruorum: sicuti nostro tempore scelerati & perditii homines, perpetua nauium remigationi addicuntur. Itaque locus pinsendo frumento destinatus pistrinum est appellatus, Columel. Circa villam deinceps hæc esse oportebit, furnum, & pistrinum. Fuit etiam Romæ carcer sic dictus.

Dedam] destinabo ac deuonebo ἐμπατιῶς.

Ea lege atque omine] sancta, firma, & rata sunt quacunque legibus & auspicio, id est, dijs & hominibus comprobantibus fiunt. Nam quæ ita semel facta sunt, violare aut rescindere non licet. Itaque hæc duo ad comminationis vehementiam coniunxit significanter, ut indicet, quod Dauid decreuerat supplicium, inuiolandum, & fixum fore, perinde ac illa quæ legibus, & Augurum siue Aruspicum obnunciatione, id est, omine sunt instituta. Est autem Omen signum futuri euentus, ex sermone alicuius sumptum. Videtur itaque hæc loquendi forma ex antiquo illo agendi ritu ducta, qui in duodecim tabulis præcipitur. Omnes, inquit, magistratus auspiciū, iudiciūq; habent. Iudiciū lege fit, auspiciū ominis & signorum obseruatione.

Omen.

Auspiciū.

[Vsq̄ue ad necem] Cicero in Tuscul. I. I. Sparta Verò, inquit, pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus à visceribus sanguis exeat. Nonnunquam etiam, ut cum ibi essem audiebam, ad necem, & τὸ ὠσque ad necem,

necem, non temporis diuturnitatem indicat, ad mortis usque tempus: sed laboris grauitatem, & supplicij quo exercendus erat, ad interuentionem usque.

Ut si te inde exemerim, &c.] Metaphora à reis qui exempti dicuntur impetrata abeundi venia, id est, cum ut vulgò dicitur, congedium obtinuerant. Vnde noxa, pena, nota, supplicio eximere dicimus.

Exempti.
Notæ, pœnæ,
noxæ, suppli-
cio eximi.

Quid hoc intellexit? interrogatio insultantis post grauem comminationem. & quid, abundat.

An nondum etiam ne hoc quidem] negatio altera etiam superfluit, quod ferè contingit, cum quidpiã maius per secundam negationem affirmatur, ut alibi. Non eam ne nunc quidem cum accersor ultro? Et hic subaudiendum, intellexit, per figuram ἀπὸ κούσ.

Negatio abundans.

Imo callidè] intellexi. σὺλλήψις.

Ita apertè] ita, valdè.

Nihil circuitione vsus es] nullo ambitu, nullis ambagibus verborum. expolit rem additione contrarij. Nam apertè loqui, & circuitione uti, sunt aduersantia.

Facilius passus sim] Modi & temporis mutatio. pro patiar, Græco planè more loquendi. Linacer censet esse perfectum potentialis, id est, possum passus esse. Est autem amplificatio admonitionis per collationem ad rei grauitatem.

Deludier] Paragoge comicam vetustatem redolens.

Bona verba quæso] χαριότητος figura, quæ dicta duriter emollit, nec mihi videtur ἐρωεῖα: sed deprecatur potius fallacia suspicionem, quàm supplicium, quasi dicat, me obsecro suspiceris velle me tibi imponere. Gal. ne dites iamais cela ie vous prie. Phrasis est planè Hæbraea. Nam טובים טובים bona verba pro pollicitatione

Bona verba.

tione

tione comitatem quandam referente dicunt: sicut
 תעוים תברים mala verba pro minis.

Irrides] ex hoc verbo conijcit Donatus in bona verba Ironiam esse, sed hoc loco adulari significat, ut rectè annotavit Nanus. Nam cum per assentationem laudamur, hoc genere sermonis utimur, etiam idiomate Gallico.

Nihil me fallis] non ignoro me abs te irrideri, & adulari sed ea ratione nihil me fallis. Gall. Tu me flattes, mais pour ce ne me tromperas tu pas.

Tres negationes pro vna.

Neque tu haud dicas tibi non prædictum] hic tres negationes nihilo plus efficiunt quàm vna. Et sanè Atticis est familiare in asseueratione plures negationes pro vna ponere.

Tibi non prædictum] Domini est prius monere quàm animaduertere. Caue] hoc ultimo verbo facit ut superiora animo hareant.

ACTVS I. SCENA III.

DAVVS solus.



ENIMVERO Daue, nihil loci est
 segnitiae, neque socordiae,
 Quantum intellexi modò senis sententiam de nuptiis.

Quæ si non astu prouidentur, me, aut herum pesundabant.

Nec quid agam, certum est: Pamphilum he adiutem, an auscultem seni.

Si illum relinquo, eius vitæ timeo: sin opitulor, huius minas.

Cui verba dare difficile est. primùm iam de amore
 hoc

hoc comperit:

Me infensus seruat, ne quàm faciã in nuptiis fallaciã.
 Si senscrit, perij: aut si libitum fuerit, causam ceperit.
 Quo iure, quacq; iniuria præcipitem me in pristinum dabit.

Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam: hæc Andria,
 Siue ista vxor, siue amica est, grauida è Pãphilo est:
 Audireq; eorum est operæ pretium audaciam.

Nam inceptio est amentium, haud amantium.

Quicquid peperisset, decreuerunt tollere.

Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,

Ciuem Atticam esse hanc. fuit olim quidam senex

Mercator: nauem is fregit apud Andrum insulam:

Is obiit mortem: ibi tum hanc eiectam Chrysidis

Patrem recepisse orbam, paruum. fabulæ.

Mihi quidem hercle non sit verisimile: atqui ipsis
 commentum placet.

Sed Mysis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut

Conueniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

COMMENTARIA.

Enimvero Daue] Consultat apud se Dauus, Pamphilum ne adiutet, an potius seni auscultet. Et est iam preparatio ad epitasim fabule. Constat autem hæc consultatio, exordio, propositione, & confirmatione. In cuius sine partem argumenti à Simone prætermisam per occasionem explicat. Conclusio nulla est, quia incerta est deliberatio, necdum ipsi constitutum est, quid agere debeat. Exordium à tempore ducitur, & sese excitat Dauus ad
 e distur

disturbandas nuptias.

Enimvero] vox assueverantis in re non dubia, & gravitatem addit orationi, maxime cum sententia inchoat.

Daue,] appellatione sui sese excitat in hac difficultate consilij.

Locus pro tempore.

Nihil loci est] loci appellatio pro tempore sepiissime accipi videas, quasi dicat. nunc quidem non est tempus socordiae ac desidia indulgendi, me in hac re non decet socordē & desidiosum esse, Gall. il n'est pas temps maintenant que ie soye endormy & paresseux. Segnitia est desidia & torpor quidam animi in rebus gerendis. Nam segnis dicitur quasi sine igne, sine vi & impetu,

Se pro fine.

& se olim pro fine positam ex x i i. tabulis liquet. Si plus minusve secuerint, se fraude esto, ut citat Cic. in lib.

Socors.

de Legibus. Socors sine corde, id est sine mente ac prudentia similiter dicitur, mutata e in o ob euphoniā, quas vo-

Excors.

cales esse affines scribit Priscia. lib. i. Excors stolidus & imprudens. Ut cordatus intelligens, & ingenij acumine praeditus. Nam prudentiae locū in corde esse Plato voluit.

Quantum intellexi] quantū pro κατότι vel κατότοϋ.

Senis sententiam] rei qua de agitur mentionem facit, ut ex re ipsa ductum sit exordium. Quod ut fiat, praecipit Fabius lib. i i i. Senem herum appellat, per antonomasiam. Sententia Latinis est quicquid animo sentimus, sicut Graecis δικάωια.

Sententia.

Quae si non astu] Ratio à periculo, qua probat desidiae minimè indulgendum. Astu pro calliditate & astutia auferendi casu tantum legitur, si Grammaticis credimus.

Providentia.

Providentur] id est, nisi his calliditate & astutia occurratur, quod proprium est providentiae. Est enim providentia

videntia per quam futurum aliquid videtur, antequam fiat. Itaq; μετὰ τὴν πρῶτον προvidere, occurrere significat. Id quod praesit pro eo quod sequitur.

Me aut herum pessundabunt] aut pro & hic poni videtur. Herum] Pamphilum. Pessundare est calcare & opprimere. Pessum, id est, sub pedibus. Gallicè, fouller aux pieds. Metaphoricè vincere, superare.

Nec quid agam certum est] ἀπορία per quam fit aditus ad propositionem. Certum est quod manifestum & minimè dubium. Certum est etiam quod animo fixum est, deliberatum ac constitutum.

Pamphilum ne adiutem, an auscultem seni.] Propositio consultationis in utraque partem elata.

Si illum relinquo, &c.] dilemma seu complexio, qua utramque partem incommodam, & periculosam fore contendit. Sin opitulator] sed si ipsi Pamphilo opem fero.

Huius minas] verbera, id quod praecedit pro eo quod sequitur. Nam serè minae verbera solent praecedere. At quia lenius est periculum verborum quam vita, hanc partem tractat, & eius difficultatem probat.

Cui verba dare, &c.] Propositio huius confirmationis, quam probat ab adiunctis, per σὺν ἀπορίᾳ difficultatum. Dare verba est fallere, multa verbis polliceri, re vero nihil praestare, Metaphora à χειρολογίᾳ & do somibus.

Primū in de amore, &c.] primū scit Pamphilum amare, & difficile est rem omnem qui novit, fallere. Rursum primū solum est positum sine suis relationibus, & τὸ λανθάνει exaggerationem rei significat, de fia.

De amore hoc] significantius, quam amorem hunc.

Me in sensu servat,] Aliud difficultatis argumen-

tum à senis obseruatione, & epitheto rem auget, quasi dicat, Difficile est fallere animaduertentem, & maxime quòd qui alicui infensus est, ipsum diligentius obseruat.

Seruat pro obseruat] ἐρεπώσις figura.

Infensus. Infestus] iratus. Infensus & infestus actiue significant. Infestus molestus, & qui in alterum toto impetu fertur. Vnde infesta signa vocat Liuius. Infensus iratus, & qui alteri succenset. courroucé.

Ne quam faciam in nuptiis fallaciam] Cacophaton, & hætenus à difficili ratiocinatus est.

Si senserit perij] nunc à periculo. si senserit me, supple, in nuptiis fallaciam facere.

Aut si libitum fuerit] periculi exaggeratio ab heri potestate, quam necis & vitæ in seruum habebat.

Causam coeperit] à capiendo, id est, causam arripit, il trouuera occasion & moyen.

Quo iure quacq; iniuria] id est, quocunq; iure, & quacunq; iniuria, siue iure siue iniuria. ἀδικίως κ' ἀδίκως, per æqua & iniqua dixit Liuius. soit à droit ou à tort. & est pronunciatum infinitum per ἰσοδίκυιαν Variatum, quo prouerbij vice utimur: vide Eras. primo de copia comment. Præcipitem me in pristinum dabit] alludit ad situm Barathi carceris Athenarum quo præcipitabantur fontes. Ad hæc mala] aliud periculum ex persona Glycerij. Hoc mihi accedit] additur Metaphora à more iudiciorum. Nam accedere ad causam dicitur, qui aduersus reum accusatori subscribit, ac sese adiungit, & est attentio ad sequentem argumenti narrationem.

Opereprecium. Audireq; eorum est operæ pretium.] iucundum & voluptuosum. aliàs operæ pretium significat fructuosum, magnificandum ac utile, & sæpe inuertitur. Plinius.

nus. Id verò, inquit, audire pretium operæ sit.

Nam inceptio, &c.] inceptio, inceptum. l'entreprinse, & est ratio reprehensionis. Amentium haud amantium] ἀπαρνομασία. Quicquid peperisset] seu masculus, seu femina. Decreuerunt tollere] educare, id verbi obstetricum est proprium. Sed ad parentes transfertur. Nam priscorum mos fuit, ut editos infantes in terram statuerent, Opemq; deam inuocarent, ut nato opem ferret, sinu suo eum excipiens. Deinde ab obstetrice tollebatur nec infantibus vocem dari credebant priusquam terram attigissent. Quin & Deam qua tollendis de terra pueris præerat, Leuanam appellabant, ut autor est August. de Ciuita. Dei lib. 1111. Porro olim liberum erat natos aut tollere, aut exponere. Fingunt] verbum mendacis aptum.

Ciuem Atticam] ut hanc legibus patrijs cogatur uxorem ducere. Fuit olim] hac pars argumenti fuerat à Simone prætermissa, ideo hic narratur. est autem διοχοσία ad catastrophem. Mercator] studij circumstantia rem facit verisimilem, Mercatores enim regiones varias peragrant. Nauem is fregit] naufragium passus est. Hoc verbum simili figura effertur, cum ad corpus pertinet, ut fregit pedem, brachium, quod passum sui loco est positum, id est, fractum est brachium: sicut vulnerauit pedem, id est, vulneratus est, & est honesta Enallage.

Ibi tum hanc eiectam, &c.] scilicet è nauis in litus, id est, è naufragio saluam. Orbam] orphanam, amissæ parente. Nam Orbi tam parentes quam liberi dicuntur, vide Vallam.

Patrem recepisse] repetendum fingunt.

Fabulæ] supple, sunt. Gall. ce sont mensonges: & est Fabulæ. reiectionis formula prouerbialis.

Mihi quidem hercle non fit verisimile] *id est quod ad me attinet, non credo verum esse. & significanter fit. fit pro est, aut videtur. Cum enim causa rerum vere afferuntur, tunc res fit verisimilis.*

Atq; pro sed.
Commētum.

Atq; ipsi, &c.] *copulativa per aduersativa.*

Commētum] *figmentum à comminiscor.*

Sed Mysis, &c.] *παρὰ σκηνὴν ad sequentem scenam.*

Sed] *verum.* Ab ea] *Andria. Metonymia. de chelye.* Hinc me ad forum] *supple, confero.* De hac re] *pro huius rei imprudentem inscium, & ignorantem.*

ACTVS I. SCENA IIII.

MYSIS ancilla.



V D I V I Archillis iandudū, quod Lesbiam adduci iubes.

Sanè pol illa temulenta est mulier, & temeraria:

Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.

Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ,

Quia compotrix eius est. Dī date facultatem, obsecro,

Huic pariundi, atq; illi in alijs potius peccandi locū. Sed quidnam Pamphiltum exanimatum video? venerator quid fiet:

Opperiar, vt sciam, nunquidnam hæc turba tristitiæ adferat.

COMMENTARIA.

Audiui Archillis.] *Obstetrix accersitur ad Glycerium*

rium parturientem, vt hac occasione conueniatur Pamphilus à Myside. Est autem incunda sermocinatio ancillæ ad exhilarandum spectatorem, extra argumentum fabulae quasita.

Audiui Archillis] *egressa alloquitur Archillidena quæ intus erat cum Glycerio, vt de omnibus spectatorem doceat. Et est oratio inuitè euntis ad Lesbiam. τὸ iandudum ad quoduis horum verborum referri potest, tamen malo ad adduci, vt significet continuo, & quam primū: qua significatione omnibus modis & temporibus iungi posse scribit Linacer. Et quod idicon desideratur, quod iubes. Lesbiam] patrium nomen vinosæ conueniens. dicitur enim lesbos optimi vini ferax.*

Iandudum.

Quod idicon intellectum.

Sanè pol illa temulenta est mulier] *Enthymema ab adiacentibus. Mulier temulenta est, & temeraria, igitur indigna cui committatur parturiens maximè primo partu. Digna] idonea, apta.*

Dignus.

Committas] *committere debeas, potentialis modus.*

Primo partu] *qui est difficilis & periculosus neprudens & perita obstetrix affuerit. Committit qui alteri tradit, maximè rem charam: Committit qui ad contentionem producit.*

Committere.

Importunitatem spectate] *hæc secum abiens loquitur, & est variatio à persona ad rem ipsam, pro importunam spectate animum. Importunus dicitur qui nulla occasionis, loci & temporis ratione habita agit quæcumq; ipsi animus suggerit. Et importunitas aliàs ἀναξία, aliàs quod oneri est, & φορτίνον, quodq; nec in loco, nec in tempore fit. Cicero. Importunitas autè & inhumanitas omni ætati molesta est.*

Importunus.

Importunitas.

Aniculæ] *deformatio in vocem diminutiua con-*

§ 4

temptus

temptus causa, & vituperatio ab aetate. Sunt autem fere
annus bibosa & vino dedita.

Quia compotrix eius est] ἀποσιώπικος irata &
ratio ab adiunctis, intelligitur enim iubet adduci. Nam
similis gaudet simili.

Di date facultatem] δὲ χῆ & precatio ancilla he-
Nuptiales Dij ram amantis. At Deos nuptiales videtur implorare,
quinque.

Facultas. qui quinque esse perhibentur. Iupiter adultus, Hyme-
Facilitas. naus, Iuno adulta, Venus suadela, & imprimis Dia-
na autore Plutarcho. Facultas rerum est, facilitas mo-
rum.

Huic] Glycerio. Illi] obstetrici.

In alijs] mulieribus, disunctio rotunda & figu-
ra à communi. Attollit autem in voto orationem quia
Deos alloquitur.

Sed quidnam? ἐλλειπτικός est, quod subaudiendum.
Quidnam est quod Pamphilum, &c.

Examínatum] amplificatio verbi.

Vereor quid fiet] coniectura ex habitu corporis.

Turba] turbatio. Gallicè trouble.

ACTVS I. SCENA V.

PAMPHILVS adolescens. MYSIS ancilla.



HOC CINE est humanum factum, aut
incoeptum? hoc cine officium patris?

M Y. Quid illud est? P A M. pro Deum at-
que hominum fidem! quid est, si non

hæc contumelia est?

Vxorẽ decrerat dare sese mihi hodie: nõne oportuit

Præcisse

Præcisse me antè & non ne prius communicatum
oportuit?

M Y. Miseram me, quod verbum audio?

P A M. Quid Chremes, qui denegat se commissu-
rum mihi

Gnatam suam vxorem & id mutauit, quoniam me
immutatum videt.

Itane obstinatè operam dat, vt me à Glycerio mi-
serum abstrahat?

Quod si fit, pereo funditus.

Adeon' hominem esse inuenustum, aut infelicem
quenquam, ego vt sum?

Pro Deum atq; hominum fidem, nullõne ego

Chremetis pacto affinitatem effugere poterò? quot
modis

Contemptus, spretus & facta, transacta omnia: hem,
Repudiatus repetor. quamobrem? nisi si id est,
quod suspicor:

Aliquid monstri alunt. ea quoniam nemini obtru-
di potest.

Itur ad me. M. oratio hæc me miseram exanimauit
metu.

P A M. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah,

Tantamne rem tam negligenter agere? præteriens
modo

Mihi apud forum, Vxor tibi ducenda est Pamphi-
le hodie, inquit: para,

Abi domum. id mihi visus est dicere, abi cito, & su-
spende te

Obstupui. censent' vllum me verbum potuisse pro-
loqui?

e s Aut

Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam: obmutui.

Quod si ego rescissem id prius, quid facerem si quis nunc me roget:

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. sed nunc quid primum exequar?

Tot me impediunt curæ, quæ meum animum diuersè trahunt:

Amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitatio:

Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo vsque adhuc;

Quæ meo cunctis animo libitum est, facere: eime ego ut aduerser: hei mihi,

Incertum est quid agam. m. misera timeo, hoc incertum quorsum accidat.

Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa aduersum hunc loqui.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur,

p. Quis hic loquitur? Myfis salue. m. ô salue Pamphile. p. quid agis? m. rogas?

Laborat è dolore, atque ex hoc misera sollicita est, diem

Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ: tum autem hoc timet,

Ne deserat se. p. hem, ego ne istuc conari queam?

Ego propter me illam decipi miseram sinam?

Quæ mihi suum animum, atque omnem vitam credidit:

Quam ego animo egregiè charam pro vxore habuerim;

Bene

Bene & pudicè eius doctum, atque eductum sinam

Coactum egestate ingenium immutariet?

Non faciam. m. haud vereor, si in te solo sit situm:

Sed vim ut queas ferre. p. adeón' me ignauum putas?

Adeón' porrò ingratum, aut inhumanum, aut ferum,

Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor

Commoueat, neque commoneat, ut seruem fidem?

m. Vnum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.

p. Memor essem? ô Myfis, Myfis, etiam nunc mihi

Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis

De Glycerio iam ferme moriens tunc vocat:

Accessi, vos semotæ, nos soli, incipit:

Mi Pamphile, huius formam atque ætatem vides.

Nec clam te est, quam illi utræque res inutiles

Et ad pudicitiam, & ad rem tutandam sient.

Quod ego per hanc te dexteram oro, & geniū tuū,

Per tuam fidem, perque huius solitudinem

Te obtestor, ne abs te hanc segregeas, neu deseras.

Si te in germani fratris dilexi loco,

Sive hæc te solum semper fecit maximi,

Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus:

Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem:

Bona nostra hæc tibi committo, tuæ mando fidei.

Hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.

Accepi: acceptam seruabo. m. ita spero quidem.

p. Sed cur tu abis ab illa? m. obstetricem accerso,

p. propera.

Atque

Atque audin' verbum vnum caue de nuptiis,
Ne ad morbum hoc etiam, m. teneo.

COMMENTARIA.

Audito de nuptiis nuntio, Pamphilus de patre & Chremete conqueritur. Prior pars huius scenæ amantis affectum, & perturbationem continet: Posterior deliberationem, & obstinatum animum in tuendo Glycerij amore. Exorditur per exclamationem, quam ingeminat, & amplificat indignitatem à minori. Deinde subiicit propositionem iniuriæ, quam oppugnat ab iniusto, & crebras exclamations interserit. At hic totus indignitatis locus partim à re, partim à persona exaggeratur.

Humanum. Hocine est humanum factum] τὸ humanum pro humanè positum videtur, quasi velit dicere, non esse factum humaniter, id est tale quod ab homine humano & mansueti ingenij proficisci possit.

Hocine est officium patris?] nunc ad speciem descendit, videturque subesse argumentatio à minori, ac si diceret, hoc factum homine indignum esse, nedum patre.

Hocine. Hocine] Poëticum pronomen ex ne interrogationis particula, sed euphonia gratia I. vocalis interponitur. Flectitur autem per omnes casus tantum qui in litteram C. desinunt, præter datiuum, quem vix reperias. Huius ἀνάπορα ad δεινώσιρ facit, & est τὰ ἀπὸ τὴν à persona patris.

Quid illud est?] interrogatio attonitæ et admirantis.

Prò Deum atque hominum fidem] comica exclamatio. Linacer multiq; alij interiectioni præ aspirationem ascribunt, vt differat à præpositione.

Fidem

Fidem] auxilium. Deum] Deorum.

Fides.

Quid est si non hæc contumelia est?] *Propositio querela per interrogationis formam, qua utimur in manifestè veris, increpandi gratia.*

Vxorem] *Propositio iniuriæ per ἀντιπορορὰν, quæ ad priorem refertur.*

Præscisse me antè] *honestæ pleonasmus.*

Nonne prius communicatum oportuit?] *Expolitio per relatiua. Nam præscimus alio communicante, & τὸ communicatum pro communicare est, vel potius infinitiui præteriti periphrasis, subaudito esse, quæ non solum actio sed etiam perfectio significatur.*

Communicatum.

Infinitiui præteriti periphrasis.

Miseram me, quod verbum] *audito vxoris nomine, territa est Mysis.*

Quid Chremes?] *Amplificatio indignitatis à persona Chremetis.*

Qui denegarat] *scilicet petenti patri.*

Commisurum] *gravius quàm daturum.*

Id mutauit, quoniam me immuratum videt] *Concinnitas ex contrapositionis.*

Ita ne obstinatè, &c.] *pathos à sua & Glycerij persona, & exaggeratio à modi circumstantia.*

Abstrahat] *Metaphora à rebus consutis, & confixis, quæ nisi vi maxima diuelli nequeunt.*

Pereo funditus] *hyperbole pathetica. Funditus aduerbium est à fundo nomine, vt calitus, antiquitus, radicitus, & cætera huiusmodi quæ personalia dicuntur.*

Funditus.

Id est, à calo, antiquo, &c. Quæ idem significant quod aduerbia Græcorum in θεῖν. Est autem Metaphora ab edificijs, quæ ab imis fundamentis euertuntur.

Aduerbia personalia.

Adeon inuentum, &c.] *Id est, omni gratia & fauore*

Venustus. favore Veneris destitutum. Nam proprie venustus dicitur autore Budeo, qui pulchritudine & gratia simul, est præditus. qui ha bonne grace, & beauté ensemble. Olim venustum felicem appellabant, cuius genitura domina esset Venus. Tunc enim natos hac reddit amabiles, gratos, letos, amicitia incorrupta & omnino fortunatos, maxime si fuerit in geminis, aut in prosperos aliquos iouis radios inciderit. At in Leone, ariete, & Virgine, infelix esse perhibetur. maxime vero in duodecima cæli domo, quam cum occupat, qui tunc nascuntur, inuenisti sunt & infelices. Verum & prisca sacrorum mystæ Veneris nomine Deorum gratiam ἀλλυχοεικός significabant, in cuius templo cum ipsius simulacro apponebantur gratiarum simul tanquam eius pedissequarum imagines, & Mercurij: ut docerent, quantamcunq; felicitatem sine gratia & favore prodesse parum. Quare & Sylla in trophæis quos de victoria aduersus Archelaum Mithridatis legatum erexerat, Martis & Veneris imagines insculpi iussit, ut indicaret suam ipsius felicitatem non tam virtuti bellica, qua erat præditus, quam Deorum gratia & benignitati acceptam ferre. Et in suis ad Græcos rescriptis se ἐπαφρόδιτον inscribat, id est venustum. Romæ etiam felicitis cognomen sibi sumpsit, ut auctor est Plutarchus in eius vita, αὐτὸς γὰρ, inquit, τοῖς Ἕλλησι γράφω, καὶ χρηματίζω ἑαυτὸν, ἐπαφρόδιτον ἀνηρόβουσε καὶ πᾶρ ἡμῶν ἐν τοῖς τροπαιοῖς οὐτὸ ἀναγέγραπται, quamobrem hic Terentius inuenustum pro infortunato & infelici posuit. Ideo per σιωωνυμίας subdidit. Aut infelicem.

Vt ego sum] τὸ ὅτι, comparationem significat.

Nullone ego, &c.] Redit ad soceri personam, & ab effectis

effectis indignitatem exaggerat, ac si diceret, precipuam suæ infelicitatis partem esse, non posse Chremetis affinitatem effugere. Et in verbo est Emphasis. Est enim effugere, non in fugam se dare, sed fuga elabi. eschaper par fuite, & videtur translatum ab his, quos persequimur ad pœnam, qui fuga suæ saluti consulunt. Affines dicuntur qui matrimonij: sicut Cognati qui sanguinis coniunctione copulati sunt.

Effugere.

Affines.
Cognati.

Quot modis contemptus? &c.] Vehemens exaggeratio, dissoluto, mox ratiocinatione figurata.

Spretus] dicitur, qui recusat, etiamsi dignus aliqui recipi fuerit.

Spretus.

Contemptus] Verò ideò despectus, quod inutilis, & nihil esse putetur. Nam qui contemnitur, neque in bonorum neque in malorum vlllo numero habetur. Estq; ex eo tertio genere hominum quod tradit Hesiodus, quod nec sibi nec alijs est vtile. Vide Arist. 1. Rhet.

Contemptus.

Facta transacta omnia] Prouerbialis locutio, qua utimur, vbi nihil superesse significamus ad negotij absolutionem, translata à publico more eorum, qui contrahunt, & de aliquo paciscuntur. Omnino asperitas pronunciationis ex crebritate literæ a, indignitati est accommodata. Videtur autem subesse argumentatio ab effectis. Contemptus sum & spretus à Chremete. Nunc itaque ipsius reposcentis me generum affinitatem effugere debeo.

Hem repudiatus repeto] pathetica expositio ad indignitatem. Nam quia hæc est aduersus Chremetem præcipua Pamphili defensio, ideo Commoratione utitur, & quodammodo expolit antecedens iam dicta argumentationis. Repudiari dicitur sponsus sponsa uel ante nuptias,

nuptias, ideo proprie est loquutus, & παρανομοσία que-
rela addidit gravitatem.

Si abundans.

Quamobrem nisi si] subiectio acerrima per ratio-
cinationem, & ἐνδειξις irato conveniens. Nam audien-
dum est verbum, nescio, & τὸ si superfluit.

Monstrum a-
lere.

Aliquid monstri alunt] Proverbum, quo aliquid
vitij latere significamus, Metaphora à partibus monstro-
sis, qui clam aluntur. Monstra vocant Physici corpora
naturalia quæ non habent iustum situm membrorum,
& convenientem naturæ proportionem. significat itaque
in puella quidpiam esse vitij quod celetur, aut quidpiam
mali in ipsum adornari.

Relativum
quædo sine an-
tecedente.

Ea quoniam nemini] τὸ ea sine anteposito est, quod
tum fieri solet, aut cum nomen cuiuspiam odij causa no-
tum adere, aut cum rem putamus notissimam. Ut Iu-
no de Semele pellice loquens apud Verg. Inquit,
Ipsa petenda mihi, ipsam si maxima Iuno,
Rite vocor perdam.

Obtrudi.

Obtrudi] significanti verbo usus est ad invidiam.
Obtruduntur enim, quæ inuitis ingeruntur, & sunt
molesta. Et est indignatio à persona sponsæ, siquidem in-
dignum est eam ducere, quam omnes recusant.

Nam pro fed
feu autem.

Nam quid ego nunc dicam, &c.] regreditur ad pa-
tris iniuriam, cuius negligentiam incusat. Est autem
interrogatio per μεταβασιν, apte orationem connectens.
Et, Nam, hoc loco non causam reddit, sed pro autem vel
simili discretiua ponitur. Ut apud Ciceronem in Salust.
Nam quod in uxorem & filiam meam tam petulanter
inuectus es.

Tantamne rem tam negligenter agere] Repetitio
propositionis iniuriæ paternæ, sed variata, cui mox ad-
iungis

iungit παράγωγα] & ἐνδειξις ἢ] μίμησις. At in his pa-
theticis locutionibus desideratur decet vel oportet, ut
docet Valla & Linacer.

Præteriens modo mihi apud forum, &c.] Vide ut
circumstantijs rem exaggerat. Nam non constitit, ut di-
ceret: sed præteriens tantum inquit, nec paulò antè, sed
modo, neq; domi seorsum, sed apud forum.

Vxor tibi ducenda est, &c.] Hæc prosopopeia sæue-
rum patris imperium, & ducendi necessitatem indicat.

Id mihi vilis est dicere, abi citò, &c.] collatione
rem auget, quasi dicat. hoc perinde gratum mihi fuit,
ac si dixisset, suspende te, quod ab iratis dici solet. Ut
Abi in malam crucem, in malam rem, ἐς κόρανας. At
Plautinum id videtur esse. Nam adolescens impos animi
ex amore in Penulo ita loquitur: Domum abi & suspen-
de te, quia nunquam audibis verba tot tam suavia. Id
proverby loco poterimus usurpare, cum res alicuius in
extremo sitas esse intuentes, ipsam ad desperationem hor-
tamur, insultationis causa.

Suspende te] videtur reddi, adpara te.

Obstupui] à stupore hoc verbum declinari videtur,
non à stupa, ut vult Francis. Sylvius. Est autem stupor
imperfecta nervorum resolutio, quæ oritur ex nimia bra-
chiorum aut pedum compressione. Unde μεταφορικῶς di-
citur Animus obstupescere, cum subito malo percussus
& attonitus, suis viribus ac sensibus ita destituitur, ut
planè quid fieri debeat, meditari non possit.

Censen' vllum me verbum, &c.] amplificatio ex
effectibus subiti metus, quorum duos præcipuos coniun-
xit, ut & Verg.

Obstupui, steteruntq; coma, & vox faucibus hæsit.

f aut

Aut ullam causam] *Expolitio per incrementum cum articulo ad vehementiam.*

Causa. Causam] *defensionem & excusationem, oratorio more. unde causam dicere, Cicero. Qui aut tempus quid postulet non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibus cum est vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere, aut in-*

Ineptus. *concinuus, aut multus est, ineptus esse dicitur. Inepta causa, qui ne fait pas à propos, Quæ quia non tam improbat, quam quæ iniqua & falsa est, addit elattoticam vocem, quo sequentia magis increpant.*

Falsus. Falsam] *Donatus ætively interpretatur sicut & Val- la lib. 1. Sed quid si vera opponatur?*

Iniquus. Iniquam] *id est, querelæ & indignationis plenam, ut equus animus facilis, & omnia citra indignationem tollerans dicitur.*

Obmutui] *quæ latius descripsit, vno verbo breuiter comprehendit.*

Quod pro
verum.

Quod si ego rescissem, &c.] *Epilogus conquestionis & quod pro, at, seu verum est positum, quomodo ferè si, in nisi iungitur, vel est in sermonis continuatione quadam, & tò si optandi erit aduerbium pro vtinam, quasi dicat. Quod vtinam id rescissem prius, ut apud Verg.*

si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat,

Quid facerem si quis nunc me roget] *Ἐποφορὰ modesti adolescentis, qui acerbius quicquam in patrem dicere veretur, & ταυτολογία verbi facerem, plus esse in recessu significat, quàm audeat profiteri. Miror Donatum facerem per tacerem interpretari, aut non assequor quid velit, aut sensus erit absurdus, Qui est mea senten-
tia,*

tia facerem aliquid, ut ne facerem, hoc, id est, ut non uxorem ducerem.

Sed nunc quid primū exequar?] *μετάβασις ad alterā huius scenæ partē, quæ est deliberatiua, ut superior accusatoria, & simul præpositio huius per dubitationem.*

Tot me impediunt curæ] *Ratio per congeriem, & prius rem omnem vniuersim vna propositione completitur, deinde per μερίσμορ hanc distribuit. De qua locupletanda orationis ratione lege Eras. de copia commenta. secundum. Est sanè aptissima translatio ab animantibus, quæ compedibus irretita tenentur. Nam impedire est Impedire. vinculis pedes colligare, encoupler. cui contrarium est expedire decoupler.*

Quæ meum animum diuersè trahunt] *Voluntatē meam distrahunt, traducunt ut ait Cicero, id est, in diuersa rapiunt.*

Amor] *prima cura & hac potentissima à necessario.*

Misericordia huius] *ab honesto, la pitié & compassion d'elle. Est autē misericordia ægritudo cordis, ex miseria alterius iniuria laborantis. At hi omnes genitivi passiue significant, quos per ablatiuum cum præpositione de interpreteris licet, pudor de patre, sollicitudo de nuptijs, misericordia de hac, &c. Vide Linacrum.*

Nuptiarum sollicitatio] *quæ mihi à patre sollicitantur, les nopces qu'on me procure. ab vtili.*

Tum patris pudor] *id est, timor. Nam dicit Aristoteles pudorem esse φόβου διὰ τὴν ἰσχυρίαν id est, timorē iustæ criminationis. Et quia locum honestatis tractat à persona patris, qui locus alter est deliberationis, superiori oppositus, ideo lenitatem patris amplificat, quasi dicat. Priora quæ à persona Glycerij deducit, nimirum huius amorem*

Et misericordiam, et nuptias dissuadere. At patris pudorem et lenitatem contrarium suadere, et honestatem iubere, ut ipsi pareat.

Qui me tam leni passus est animo, &c.] lenis animus, qui omnia aequi boni consulit, et iniurias perfert ac dissimulat. Et hoc ad amplificationem. Sape enim non tam personam quam animam et opinionem eius qui fecerit estimamus. Usque adhuc] huc usque, hactenus.

Quæ meo cunctis] pro quacunque Imesis.

Ei ne ego ut aduerseris] supple decet vel oportet. Vi des in amplificatione inesse argumentationem, cuius hæc est conclusio. Nam singulae voces vim et pondus argumenti habent, hoc modo: Pater est, isque tam lenis et clemens, qui passus est, non quædam sed omnia, quæ animo meo libitum est facere, neque paruo tempore sed hactenus. Itaque ei non debeo aduersari. Sed variatur conclusio per interrogationem. Caterum amplificationem nonnunquam parum ab argumenoatione differre docet Rodolph. Agricola lib. 1. de Inuent. Dialect.

Amplificatio ab argumentatione parum differt.

Hei mihi incertum est quid agam.] Epilogus consultationis per repetitionem propositionis initio sumpta. Sed nunc quid primum exequar?

Misera timeo] intercedit Mysis et animum adolescentis in Glycerium opportunè confirmat.

Hoc incertum] de re sumitur, et causam præbet timoris ancilla et colloquij futuri.

Quorsum accidat] cadat. heterosis figura.

Sed nunc peropus est] Causa dialogi à necessario.

Dum in dubio est animus] id est, dum pendet animus. Verg.

Nec sum animi dubius.

Et est

Et est ratio ab opportuno per γνωμολογίαν.

Paulo momento] id est, paruo motu et impulsu.

Momen antiqui à mouendo dixere, ut Lucretius.

Momen.

Momine si à paruo possunt impulsu moueri.

Philosophis autem significat ἀτόμου et punctum, id est temporis partem breuissimam, quæ vix potest diuidi. Sed punctum momento breuius esse docet Valla. Videtur esse Metaphora à trutina.

Punctum.

Huc illuc] honestè coniunctio desideratur in pronomi nibus, hic, illic et aduerbijs inde declinatis. Martial.

Excipe hos illos et tota surgere cæna.

Cicero ad Attic. Ne fortè aut absim cum veniet, aut cur sem huc illuc via deterrima. Sic efferuntur hinc illinc, hac illac. Quid agit?] statim de Glycerio percontatur, suppresso nomine, quod amoris vehementiam indicat.

Rogas?] responsio reijcientis in manifesto periculo, et satis noto.

Laborat è dolore] Apta responsio ad comouendum Pamphilum à malis, quæ ipsius causa patitur, et callidè heræ misericordiam conciliat: quasi dicat, ad dolorem partus accedit sollicitudo, et timor, quibus malum ingrauescit. Et significanter laborat, sic etià Gall. dicimus, elle est au travail d'enfant. Laboro de hoc, id est sollicitus sum et anxius, et cum partibus corporis, vitium significat: è renibus, capite, pectore, pedibus laboro. Sed cum morborum formis præpositione caret, laborat quartana, veterno, dysenteria.

Laborare & eius constructio.

Ex hoc] de hoc, propter hoc. Ex, causam significat.

Diem quia olim in hunc sunt constitutæ] hyperbaton Poëticum.

Tum autem hoc timet] Tum præterquam quod
f 3 conne.

connectit, enumerationis & ordinis est aduerbium.

Ne deseras se] Quod maximè mouet ultimo loco posuit, ut animo adolescentis magis hæreat. Id faciendum esse præcipit Fabius.

Hem, ego ne istud.] Propositio per inficiationem, sed per habitum orationis variata, & in singulis verbis est emphasis. Conari] nedum facere. ac si diceret, non possem istud conari, multò minus facere.

Ego propter me illam, &c.] Confirmat ab honesto, quod sumitur à meritis, & qualitate persona, & totus locus est mirè patheticus.

Miseram] non sua culpa sed propter me.

Pro vxore habuerim] honestè rem turpem extulit.

Benè & pudicè eius doctum, &c.] Commendatio ab educatione, & argumentum futuro periculo, Benè ad mores: pudicè ad honestatem refertur. Pudicitia enim circa oscula, tactus, & signa venerea ferè versatur. At hîc obseruare licet hic & is, pronomina eleganter post prouocabuli sensum locari. Salust. Quem res tanta atque tam atrox non permouet, eum oratio accendet?

Pudicitia.

Hic & is fitus.

Eductum] educatum vetuste.

Coactum ægestate] grauitè, Nam miserior est egestas paupertate, & quia vehementissimum est argumentum, ultimo loco posuit. Quot enim virgines his temporibus videmus ab amatoribus stupratas, quæ postea deserte ab illis, coguntur suo corpore quæstum facere. Videtur autem ad Chrysidem spectasse, quæ necessitate coacta corpus suum vulgavit, tametsi initio pudicam vitam egisset. Id ne accidat Glycerio veretur, nec se passurum esse affirmat. Itaq; reuertitur ad propositionem quam per assueurationem effert, loco conclusionis. Non faciam.

Haud

Haud vereor si in te, &c.] Occupatio per concessionem.

Sed vim ut queas ferre.] Repetendum Vereor. Et ut perfectiua (sicuti cum alijs verbis metuendi significationem habentibus) ne non significat. Prudenter autem patris nomen obtulit, ne huius mentione ad id inclinet adolescens. At videtur Metaphora à nimium oneratis qui oneri succumbunt.

Ut perfectiua

Adeon' porrò ingratum aut inhumanum:] Refellit obiectionem ab honesto, & ad affectus vehementiam virtutis comprehensione, quæ τὸν δὲ μα dicitur à Rhetoribus. Hæc tria ingratum, inhumanum, ferum, tribus sequentibus opponuntur, ingratum, consuetudini, inhumanum amori, ferum pudori: tametsi non ignoro Donatum aliter apodixisse facere. Sed videtur hæc mihi aptior. Est enim ingrati fidem frangere ei quæ animo tibi & corpore obsequitur, quo merito nullum à scemina proficisci maius potest, id consuetudinem appellat honesto verbo. At inhumanitatis est amore non comoueri, id est amantem non redamare, sed deserere. Feritatis cuiusdam nullo ignominia & opprobrii timore duci, qui pudor proprie appellatur. In quod sanè dedecus incurrit, qui fidem datam non seruat, & simplicem puellam decipit. Ignauus & ad rem & ad personam refertur, ut enim ignauum hominem, ita & ignauam disciplinam dicimus. Est autem qui animo fracto est & remisso in rebus agendis, maximè in periculis. Gall. coward & lasche.

Pudor.

Commoueat neq; commoneat] ταραύμοιορ, Commouet affectus. Commonet officium. Comouere & commonere.

Ut seruem fidem] Vides ut post longam orationis moram, quæ grauitatem orationi addidit, ut scite deuolueretur ad id, quod est potentissimum, & totius argumentationis

f 4 tationis

tationis robur? Est enim fides sanctissimum societatis humanae vinculum, iustitia, & omnis officij ac honestatis fundamentum. Caterum pulcherrimum habes amplificationis exemplum per ἀύξισιν, & collationem, qua auget confirmationem: quasi velit dicere, fidem seruandam esse, maximè amanti, & qua pudicitiam suam ipsi commiserit, & cum qua magna sibi intercedit consuetudo.

Vt memor esses sui] id est, vt te gratum erga illam prabeas. Astute à meritis excitat adolescentem, **Gratis.** & est periphrasis grati per definitionem. Est enim gratus, qui memor est accepti beneficij, quasi velit dicere, tanta est magnitudo illius erga te meritorum, vt præter officium viri boni sis facturus, si te ingratum & immemorem prabueris. Grauißima est præmonitio ad confirmandum Pamphilum.

Memor essem?] Conduplicatio, commotionem ex ancilla dictis maximam præ se ferens.

O mysis mysis] ἀυαδίπλοοις ad energiam, & amplificatio à persona Chrysidis, cuius verba per προσωποποιίαν repetuntur, & simul merita Glycerij, quæ à circumstantijs augentur, qui locus mirè est τωαδνητικός.

Scripta illa] pronomen indicationem habet excellentie.

Scripta] amplificatio verbi: scripta enim longissimo tempore perdurant.

Animo meo] explicat Metaphoram.

De Glycerio] de, τωελ. materiam significat.

Iam fermè] Narratiuncula aditum facit ad sequentem διαλόγισμον, cui maius testimonium conciliat à mortis illius tempore, quo hæc protulit, siquidem nescio
quæ

quo pacto verba morientium nouissima firmitus hærens animo, ac magis animos mouere solent.

Me vocat] Vocauit, quæ ἐτερώοις vsitata est, cum rem quasi sub oculos ponere studemus, ita vt geri videatur. Vnde energia Grammaticis dicitur, vt alibi, accedo ad pedisequas. quæ sit rogo.

Vos semotæ] sunt Chrysidis verba ancillas alloquentis, vt se subducant: aut Pamphili, ac si dicat, vos semota eratis.

Nos soli] mansimus. Sine arbitris res transacta est, ne qua ad patrem permaneret. Est autem Attica ουντομία Terentio familiaris.

Incipit] hoc verbo attentionem parat ad sequentia.

Mi Pamphile] Oratio generis suasoriij. Petit enim Glycerium ne deserat. Principium à persona Glycerij sumptum, cui misericordiam statim conciliat, & tractat locum necessitatis, mox subiiciens propositionem petitionis per obtestationem: huic confirmatio additur à meritis suis. Et vt decorum in agrotante seruet, breuem ipsi tribuit orationem. At proprij nominis appellatione, & blandientis pronomine benevolentiam sibi conciliat.

Huius formam atque ætatem vides] Necessitatem tractat per disunctionem, ad hunc modum: forma inutilis est ad pudicitiam seruandam, ætas iuuenilis ad rem tutandam: Itaque ipsi viro peropus est. Sed tamen interim est obliqua commendatio formæ & ætatis, quæ duo in vxoribus deligendis sunt potentissima.

Nec clam te es] periphrasis verbi ignoro, & τὸ te, accusandi & auferendi casus esse potest: Vtrique enim hæc præpositio translatitiæ additur. Cicero. Timens ne fa-

f s cinora

cinora eius clam vos essent. Idem Attico. Quin etiam paulo clam ijs eam vidi. Pudicitiam à pudore dictam volunt, quæ potissimum circa amoris gradus seu lineas versatur. Castitas verò circa veneream consuetudinem. Verum tutamur quæ iam penes nos & in nostra potestate sunt.

Quod ego per hanc te dextram] Epilogus necessitatis, quæ est propositio & status huius orationis. Sed per δεισιμ & repetitionem cum amplificatione variatur. Quæ σχήματα ad παρομοίαν pertinent, τὸ quod pro itaque vel quare positum censet Linacer. Per, iurjurando adhiberi solet, Verg.

Per. Per ego has lacrymas dextramq; tuam te, &c.

Dextra. Dextra fidei consecratur, ut auris Memoria, frons Genio, digiti Minervæ, genua Misericordiæ. Sed & Romæ in templo Numæ flamines manibus complicatis iunctisq; dextris fidei sacra faciebant. Aut à more supplicantium sumptum est, qui caput, dextram, et genua huius cui supplicabant, contingebat. Caput, quia in eo est naturalis potentia: dextram, quia in ea est agendi facultas: Genua, quia motus actionis & progressus est necessarius. Hæc tria συμβολικῶς consensum, actionem, & progressum significant. Videtur itaq; tum Chrysis, cum hæc diceret, Pamphilum dextra apprehendisse; quod signum fuit fidei & benevolentia. Ideo dicebat Pythagoras μή παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν, id est, dextram non esse cuius porrigendam. Atqui imitatus est Plautum Terentius qui ait,

Nunc obsecro te Milpho hanc per dextram, &c.

Genius. Et genium tuum] Genius deus est, in cuius tutela vivimus, à gignendo dictus, quod statim nos genitos suscipias

scipiat & tueatur. Eundem cum lare fuisse credidit superstitiosa antiquitas. Præterea unicuiq; binos esse genios: Alterum bonum, bona omnia nato procurantem: Alterum malum, quem ἀλάστωρα appellabant, perniciem & mala omnia molientem. Erat autem Genius connubij præses, quod nisi genijs coniugum consentientibus, nullum stabile fore crederent. Unde genialis lectus, duabus culcitræ ad ipsius honorem parabatur. Videtur itaque Chrysis ad connubij fœdera respexisse.

Per tuam fidem] explanatio prioris dicti, per quod fidem coniugalem intellexit.

Perq; huius solitudinē] redit ad Glycerij personam, & commiserationem movet.

Te obtestor] cum ius nostrum & officium postulamus ab his quorum interest, obtestari dicimur, id est si secus fecerint, adversus hos Deos hominesq; testari. Ex auxesi itaq; variata est oratio.

Ne abs te hanc segreges] ἀπόδοσις altera. Nam τὸ segreges ad fidem connubij, deseras ad solitudinem spectat, quasi dicat. Ne segreges tibi iunctam, neu deseras solam & orphanam. Solitudo enim hic orphanitatem significat. Segreges, repudies, Metaphora à pastoribus, qui ex grege quod est vitiosum & morbo infectum summovent.

Si te in germani fratris] Confirmatio à meritis suis, deinde Glycerij, cum amplificatione. & τὸ si redditiva est rationis, cuius repetitio facit ad affectum. Cicero. Si illustrantur, si erumpunt omnia.

Germani fratris] collatione & Epitheto rem auget.

Te solum semper fecit maximi] Id est, te ceteris in amore prætulit, οὐwendολογικῶς. Nam eum diligimus quem

quem magni facimus.

Morigera fuit in rebus omnibus] *significat obsequium Venereum. Et quia maximum est hoc ipsius meritum, commemoratio usus est. Te solum semper fecit maximi, Causa est, Tibi morigera fuit in rebus omnibus. Effectus.*

Te isti virum do] *Conclusio orationis per incrementum, articulo exornata ad vehementiam.*

Vir.

Amicus.

Tutor.

Pater.

Virum] *maritum. Amicum] formosa.*

Tutorem] *adolescens. Patrem] orba. Aut ad ius vxorium respexit, de quo paulo post: amicus ad formam, tutor ad aetatem, pater ad solitudinem referuntur: quae supra apposuit.*

Bona nostra haec tibi committo, &c.] *Alludit ad fidei commissum de quo multa apud Iurisconsultos. Nam cum omnia sua bona doti Glycerio dedisset, ipsa iusta & legitima est haeres. Pamphilus fiduciarius, seu fidei commissarius.*

In manum dare.

Hanc mihi in manum dat] *id est, sit mihi vxor & materfamiliâs. Altera allusio ad ius civile. Nam Cicero matremfamiliâs definit, quae in manum conuenerit, id est quae in manu mancipioq; mariti est. Caterum auctore Boëtio secundo Topic. comment. tribus modis habetur vxor. Vsu, Farre, & Emptione. Farreatio sola est pontificum. Quae Vsu fiunt, sunt pellices, & concubinae. sed quae coemptione fiebant, matresfamiliâs vocabantur. Est enim Coemptio certa solennitas ita dicta, quod in coniugio alter alteram videtur coemere, intercedit enim dos tanquam pretium. Inuicem itaque interrogabant. Vir mulierem, vellet ne sibi esse materfamiliâs. Illa velle respondebat. Virum pariter rogabat ipsa, velle ne sibi esse*

Coemptio.

esse paterfamiliâs, qui cum velle se respondisset, tum mulier viri conueniebat in manum. Eratq; (inquit Boëtius) materfamiliâs viro loco filia. Huc itaque potes conijcere allusum fuisse supra, cum diceret, Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem. Vide Buda. in Pandect.

Mors continuo ipsam] *ideo haec rata esse debent, quoniam haec vltima fuit morientis voluntas.*

Accepi] *datam à Chryside, consensum suum indicat, quo solo constat connubium.*

Acceptam seruabo] *His duabus vocibus enthymema comprehendit. Accepta est à me, igitur hanc seruare debeo: sed consequentis verbum in promissuum modum commutat, ut animi sui electionem & constantem voluntatem indicet.*

Ita spero quidem] *lenta assensio, & ἐλλειπίως fore aut aliud infiniti futurum est audiendum.*

Sed cur tu abis ab illa?] *interrogatio quasi corripientis.*

Obstetricem accerso] *abitionis causam reddit. Obstetricem ex ope & praterito antiquo tetulit compositum volunt, & Euphonia causa p. in b. mutatur ante duas consonantes ex Analogia Grammatices, ante quas vix unquam p. reperias.*

Obstetrix.

Atque audin'] *reuocat abeuntem.*

Verbum vnum caue de nuptiis] *supple facias. amatorie.*

Ne ad morbum hoc] *ratio à periculo, & τὸ etiam significationem verbi suppressi intendit.*

Actus

COMMENTARIA
ACTVS II. SCENA I.

CHARINVS *adolescens.* BIRRIA *seruus.*
PAMPHILVS.



VID ais Birria?

Datur'ne illa hodie Pamphilo

Nuptum? B. sic est. C. qui scis? B. apud
forum modo

De Dauo audiui. C. vae misero mihi, vt animus in
Spe, atque in timore vsque antehac attentus fuit:
Ita postquam adempta spes est, lassus, cura confe-
ctus stupet.

B. Quæso ædepol Charine, quoniam id fieri, quod
vis, non potest, velis id,

Quod possit. C. nihil aliud nisi Philumenam volo.

P. Ah quanto satius est, te id operam dare,

Qui istum amorem ex animo moueas tuo: quam
id loqui,

Quo magis libido frustra incendatur tua.

C. Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægro-
tis damus:

Tu si hinc sis, aliter sentias. B. age, age, vt lubet. C. sed
Pamphilum

Video: omnia experiri certum est prius, quam per-
eo. B. quid hic agit?

C. Ipsum hunc orabo, huic supplicabo, amorem huic
narrabo meum:

Credo impetrabo, vt aliquot saltem nuptijs pro-
trahat dies:

Interea fiet aliquid, spero. B. id aliquid nihil est. C.
Birria,

Quid

Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. quid nix' fini-
hil impetres,

Vt te arbitretur sibi paratum moechum, si illam
duxerit.

C. Abi hinc in malam rem cum suspitione istac, scelus.

P. Charinum video, salue. C. o salue Pamphile.

Ad te venio, spem, salutem, auxilium, consilium
expetens.

P. Neque pol consilij locum habeo, neque auxiliij
copiam.

Sed istuc quidnam est? C. hodie vxorem ducis? P.
aiunt. C. Pamphile,

Id si facis, hodie postremum me vides. P. quid ita?
C. heu mihi,

Vereor dicere: huic dic, quæso, Birria. B. ego di-
cam. P. quid est?

B. Sponsam hic tuam amat. P. næ iste haud mecum
sentit. e hodium dic mihi,

Nunquidnam amplius tibi cum illa fuit Charine?
C. ah Pamphile,

Nihil. P. quam vellem. C. nunc te per amicitiam &
per amorem obsecro,

Principio vt ne ducas. P. dabo equidem operam.
C. sed si id non potes,

Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. P. cordi? C. saltem
aliquot dies

Profer: dum proficiscor aliquò, ne videam. P. audi
nunc iam:

Ego, Charine, ne utiquam officium esse liberi puto,

Cum is nihil promereat, postulare id gratiæ appo-
ni sibi.

Nuptias

Nuptias effugere ego istas malo, quàm tu adipiscier.

c. Reddidisti animum. p. nunc si quid potes aut tu, aut hic Birria,

Facite, fingite, inuenite, efficite, quàm detur tibi:

Ego id agam, mihi quàm ne detur. c. sat habeo. p. Da-uum optumè

Video, cuius consilio fretus sum. c. at tu hercle haud quicquam mihi,

Nisi ea, quæ nihil opus sunt scire, fugin' hinc? v. ego verò ac lubens.

COMMENTARIA.

sollicitus est Charinus, qui Chremetis filiã deperibat, ob rumorem nuptiarum Pamphili. Et est altera pars τῷ ποταμῷ & extra principale argumentum. Est enim duplicis argumenti hæc fabula. Nam personæ geminae sunt, duo senes, duo amatores, duæ amicae, duo serui: hanc partem addidit Terentius ex Perynthia Menãdri Andria, ob eam causam dicebatur ab inuidis fabulas corrumpere, sed comœdia quò est τῷ οὐλοπρῶσσω πῶτ ὅρ & , eò est iucundior.

Quid ais Birria?] Exorditur ex abrupto, & per interrogationem subito nuntio percussit.

Datur'ne illa hodie?] suppressit antecedens in re nota, quod facit ad pathopeiam. & τὸ hodie rem auget.

Quàm scis?] Quæ ad nos ingrata perferuntur, inuiti credimus, adeò cupimus falsa esse quæ nunciantur, ideo rogat, quàm scis?

Apud forum modo; &c.] Confirmatio nuntij à testimonio per circumstantias.

Ve

Ve misero mihi] *Execratio sui ipsius in magno mœrore, & collatione rem auget: ac si diceret, ut antea metuebam, ita etiam spe aliqua sustentabar, nunc spe posita, mœrore oblangueo. & aptè mœsto tardam tribuit orationem. Tractior enim & languidior, qualis est hæc, miserationi conuenit.*

Ut animus] *mens, Fuit attentus] detentus, compositum pro composito. Gal. detenu.* Attentus pro detento.

In spe atq; timore] *qui omnino contrarij sunt affectus. spes enim excitat, timor animum deijcit.*

Antehac] *ante hoc tempus. parcy deuant.*

V[er]o] *assidue, semper, toujours, & est temporis aduerbium, quod ad quandiu redditur.*

Ita postquam] *altera pars collationis.*

Lassus] *amisso robore, quod est spes.*

Confectus] *consumptus.*

Cura] *timore. Metaphora à gladiatoribus & certantibus, qui amisso vigore, non valentes resistere conficiuntur, & interimuntur. Est enim conficere consauciando trucidare, Gal. meurtrir.* Conficere.

Stupet] *ita est attonitus ut sui sensum amiserit.*

Quæso ædepol Charine] *suasio ab necessario.*

Nihil aliud nisi Philumenam volo] *dictum plus nimio amantis, & stupidi adolescentis, ut videas magnam morum dissimilitudinem Pamphili & Charini, utq; sit occasio nominanda Chremetis filia.*

Ah quanto] *Reprehensio ab utili per collationem.*

Istum amorem] *hoc contemptum.*

Quo magis libido frustra incendatur] *Metaphora amoris propria. Nam & amor ignis dicitur, cui etiam poeta faces tribuunt. Verg.*

g

vulnus

vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

Frustra. Frustra] *hæc vox inutilitatem auget, & dicta est, ut docet Rodol. Agricola, quasi frustra: sicuti defrado pro defraudo, & cludo pro claudo inuenitur. Quia quod frustra fit, fraudat desiderium eius qui id facit.*

Omnes cum valemus] *Eludit consilium à difficultate per γωμολογίαν à simili. Facile sani ea præscribunt aegrotantibus, quæ vix ipsi facerent, si loco aegrotantium essent.*

Tu si hic sis] *Accommodatio sententiæ ἀπὸ τῆς πλάγης, per ἀνακρίνωσις, quasi dicat, tibi minimè amanti facile est rectum mihi dare consilium, at si meo loco esses, sentiret quàm sit difficile illud exequi. Gall. si vous esties en mon lieu, ou comme moy vous series d'autre aduis. Vides post si continuatiuam eleganter tempora commutari, sis & sentias, pro esses, & sentiret.*

Age age ut lubet] *ironica permissio, qua utimur, cum quempiam de sententiâ deducere non possumus, & repetitio tacitam habet euentus communicationem, Gall. bien bien comme il vous plaira. Si τὸ age hortatiuum feceris, subauditur verbum facito, aut aliud ad sententiæ absolutionem. Sin verbum, nihil desideratur.*

Sed Pamphilum video] *παρὰ σκὸν ad colloquium sequens.*

Omnia experiri, &c.] *summa suæ sententiæ qua sui amoris vehementiam prodit. Et attende hos adolescentes moribus dissimiles esse, Pamphilum modestum & cordatum, Charinum stultum, & nimia amoris impotentia extra se positum. Est autem Metaphorâ à obstinatis litigatoribus, qui ad extremum usque ius suum persequuntur. qui poursuivent leur droit iusques à fin d'arest.*

Certum

Certum est] *stat sententiâ.*

Priusquam pereo] *non peream. id enim iam certum esse putat. At sæpe indicatiuo hanc vocem iunctam reperias. Cicero. Priusquam de republica dicere incipio. Priusquam.*

Quid hic agitur] *interrogatio dehortantis, vehementior quidem per mutationem personæ. Est enim tertia pro secunda.*

Ipsam hunc orabo] *Non ad interrogationem serui respondet, sed orationem suam continuat. est ἡ παρασκευασίς, id est, diuisio & informatio ad Pamphilum habende orationis, & amplificatio totius in partes. Explicat enim quæ ipse velit experiri priusquam pereat.*

Huic supplicabo] *Expolitio synonymiæ per auxesin.*

Aliquot dies] *pars pro toto, ad rei quæ petitur extenuationem.*

Protrahat] *differat, producat.*

Fiet aliquid spero] *Causa est cur nuptiarum tempus protrahi velit, & intelligitur quod siue ut.*

Quod siue ut intellectum.

Id aliquid nihil est] *Irrisio κατ' ἀντιπαράσει.*

Quid tibi videtur?] *Vide quò amoris impetus hunc ducat, consulit eum cuius consilio parere nolit.*

Quidni?] *Confirmationis aduerbium, in quo tamen est ironia.*

Si nihil impetres, &c.] *sarcasms dissuasionem habens à duplici incommodo, quasi dicat, nihil impetrabis, & te huic mæchum vxoris futurum profiteberis. μολχῶ, Hebraicè מַלְכָּה, adulterum significat.*

Paratum] *significantius quàm futurum. Gallicè à fin que tu lui donnes à penser que tu t'apprestes pour le faire coquer.*

Abi hinc in malam crucem] *imprecatio irati. Crux servorum tantum fuit supplicium, quam ex infœlici arbore fieri solitam indicat Cicero in oratione pro C. Rabirio.*

Ad te venio, &c.] *Exorditur per implorationem.*

Spem, salutem, &c.] *peruersa auxesis, qua ideo utitur, ut si non maiora, at minora obtineat. At in singulis vocibus, inclusa sunt partes generis suaserij. Dare spem anxio & ob sollicitudinem perplexo, honestum est: salutem periclitanti, necessarium; auxilium in aduersis, iustum & æquum: consilium imprudenti, facile.*

Nec pol consilij locum, &c.] *Ex quatuor iam proximis, duo priora ex duobus posterioribus consequuntur, nimirum spes ex consilio: salus ex auxilio. Itaque Pamphilus ad duo posteriora respondet, qua sunt causæ effectrices priorum. Nec mihi inquit, consilij, nec auxilij est facultas, quando nec meis rebus ipse consulere, nec mihi periclitanti opem ferre possum.*

Sed istud quidnam est?] *supple, in quo tibi auxiliari possum.*

Hodie vxorem ducis.] *Per ambages rem ducit, quam pudet eloqui.*

Aiunt] *cunctanter asseuerantis, ut solemus in his qua non certò ipsi, sed ex fama tantum nouimus.*

Pamphile] *hic vocatiuus præterquam quod in re magna attentionem captat, ad pathos quoq; facit.*

Postremum me vides] *dissuasio à suo interitu, id est moriar, sed illud multò grauius, ouerodoxinòs quod consequitur pro eo quod præcedit. Mortuus enim postea nunquam apparet, & mirè periculum auget. Ut Gallicè*

Gallicè dicitur. *Si tu le fais, tu ne me verras iamais plus. τὸ postremum migrat in aduerbium, ut æternum. & est hellenismus, τὸ ὕστατον.*

Quid ita?] *interrogatio admirantis & causam desiderantis.*

Hei mihi] *pro causa gemitum interponit.*

Vereor dicere] *veretur dicere quod dictu improbum est, & iniquum, maxime ingenuo adolescenti. Itaq; seruum id iubet efferre.*

Quid est?] *quò differtur magis, eò magis scire desiderat Pamphilus.*

Sponsam hic amat tuam.] *Propositio vice narrationis, ex qua cætera qua vult Charinus, facile est colligere. Sed attende Birriæ ingenium, qui nihil dissimulare nouit, sed rem apertè profert.*

Sponsam] *non vxorem, nondum enim duxerat.*

Næ iste haud mecum sentit] *Graviter, id est non consentit mecum, non eiusdem sensus mecum est & mentis, il n'est pas de mon vouloir.*

Ehodum dic mihi] *suspicio aptissima ad pudicitie virginis commendationem.*

Ah] *reiectio indignantis.*

Quàm vellem] *Pamphili responsum fiduciam audacter petendi Charino præbet.*

Nunc te per amicitiam, &c.] *Petitio aperta per obtestationem, in qua à maioribus ad minora labitur, ut hæc (si minus illa) obtineat.*

Per amicitiam] *qua inter nos est.*

Per amorem] *Philumena.*

Ut ne] *Attica pleonasmus.*

Dabo equidem operam] *festinat respondere Pamphilus, & plus quam petitur, concedit.*

Sunt cordi] *placent, delectant.*

Cordis] *repetitio stomachantis.*

Profer] *protrahere, differ.*

Aliquo] *incertitudinem desperantis indicat.*

Audi nunc iam] *dicturus sua de nuptijs sententiam, attentionem captat.*

Ego] *ingressum rei seria significat hoc pronomen, & est exordium à loco communi, quo gratiam beneficij extenuat, quod quia longius est petitum, statim aptè ad causam accommodat. & propositionem addit, per collationem contrariorum. Deinde concludit per concessionem.*

Neutiquam officium esse liberi puto, &c.] *Maior est propositio ex qua argumentationem sic colligas, Qui nihil promeretur, nullam sibi gratiam haberi postulare debet. At nihil promereor, nullam itaque gratiam abs te haberi mihi debeo postulare. Nisi enim animo benefaciendi officium conferatur, nullam meretur gratiam, Atqui Pamphilus Philumenam recusat, magis sua ipsius causa, quam ut Charino commodet. Nullam itaque sibi gratiam deberi postulare debet.*

Promereor.
Commereor.
Demereor.

Cum is nihil promereat] *antiquè dictum, nunc promereatur. At promeremur bona aut laudem. Commereor mala aut pœnam. Demeremur quem nobis beneficio reddimus obnoxium.*

Id gratiæ apponi sibi] *id est ascribi sibi in gratiam & meritum. τὸ gratiæ dativus est. Gallicè il ne doit point demander, qu'on lui en sache gre, puis qu'il*
ne le

ne le merite pas.

Nuptias ego istas.] *Confirmatio minoris syllogismi, & propositio orationis Pamphili præcipua per collationem contrariorum. Non tam facio, inquit, ut assequaris quod optas, quam ut has nuptias effugiam.*

Reddidisti animum.] *Metaphora à consternatis animo, & qui animi deliquium patiuntur, qui aspersi frigida aut aceto ad se redeunt. Hac proverbiale figura utimur cum desperatio in spem est conversa.*

Nunc si quid potes.] *Epilogus orationis.*

Aut tu aut hic Birria facite] *Prolepsis Grammatica, & permissio per congeriem dissoluto exornatam, exprimens vehementiam recusantis.*

Facite] *apertè.*

Fingite] *occultè, per fallaciam.*

Inuenite] *prudenter.*

Efficite] *hoc postremum ceterorum est potentissimum Nam rei absolutionem significat.*

Ego id agam, mihi qui ne detur] *Amplificatio conclusionis à contrario per ἑμὸς χεῖρ.*

Qui ne] *ut non, Comica enallage & antiqua.*

At tu hercle] *Gaudens se à Pamphilo impetrasse quod cupiebat præter Birria sententiam, hunc obiurgat.*

Haud quicquam mihi] *supple dicis.*

Opus sunt] *opus pro necessario aptoton est adiectivum.*

Ego verò] *fugio.*

Ac lubens] *antimeria primi generis.*

g 4

ACTVS.

ACTVS II. SCENA II.

DAVVS. CHARINVS.

PAMPHILVS.



Si boni, boni quid porto: sed vbi inueniam Phamphilium,

Vt metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?

c. Lætus est, nescio quid. P. A. nihil est: nondum hæc rescivit mala.

D. A. Quem ego nunc credo, si iam audierit sibi paratas nuptias?

C. A. Audin' tu illum? D. toto me oppido exanimatum quærere.

Sed vbi quæram? aut quod nunc primum intendam?

C. A. cessas alloqui?

D. A. Beo. P. Daue ades, resiste. D. quis homo est qui me? O Pamphile,

Te ipsum quæro: euge O Charine: ambo opportunè: vos volo.

P. Daue, perij. D. quin tu hoc audis. P. interij. D. quid timeas, scio.

C. Mea quidem hercle in dubio vita est. D. & tu quid, scio.

P. nuptiæ mihi. D. & id scio. P. hodie. D. obtundis, tamen si intelligo.

Id paues, ne ducas tu illam: tu autem, vt ducas. C. rem tenes.

P. istuc ipsum. D. atque isthuc ipsum, nihil periculi est: me vide.

P. Obsecro te quàm primum hoc me libera miserum

rum metu. D. hem,

Libero: vxorem tibi iam non dat Chremes. P. quæ scis? D. scio.

Tuus pater modò meprehendit: ait tibi vxorem dare se

Hodie; item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.

Continuò ad te properans percurro ad forum, vt dicam tibi hoc.

Vbi te non inuenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum:

Circumspicio: nusquam, fortè ibi huius video Birriam;

Rogo: negat vidisse: mihi molestum: quid agam, cogito.

Redeuntì intereà ex ipsa re mihi incidit suspicio: hem,

Paululum obsoni, ipse tristis, de improviso, nuptiæ Non cohærent. P. quorsum nam istuc? D. egomet continuò ad Chremem.

Cum illò aduenio, solitudo ante ostium: iam id gaudeo.

C. Rectè dicis. P. perge. D. maneo: intereà introire neminem

Video, exire neminem: matronā nullam: in ædibus Nihil ornati, nihil tumulti: accessi intro: aspexi. P. scio:

Magnum signum. D. num videntur conuenire hæc nuptiæ?

P. Non opinor Daue. D. opinor, narras? non rectè accipis.

Certa res est, etiam puerum inde abiens conuenit

Chremis,

Holera & pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni.

c. Liberatus sum, Daue, hodie tua opera. d. at nullus quidem.

c. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. d. ridiculum caput:

Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. c. benemones.

Ibo, etsi hercle saepe iam me spes haec frustrata est, vale.

COMMENTARIA

Comperta nuptiarum simulatione Dauius exultat, & Pamphilo narrat quibus coniecturis signisq; eam deprehenderit. Et est aditus ad Epithasin.

Di boni, boni quid portoc? Exultantis exclamatio vice exordij. Di non dij vbiq; scribendum esse contendit Rodolphus Agricola, & hanc rationem affert, quod olim i, longum per ei diphthongum veteres scripserint, ut dico, scrabo, marata, pro dico, scribo, mariti. Quod hodie etiamnum in vetustissimis sepulcrorum inscriptionibus apparet. Haec deinde diphthongus Latinis exoleuit, pro qua i, longum posuerunt. Ita pro eisdem isdem, & idem pro eidem, & hi pro hei, di pro dei. Quod autem non possit per duos, scribi, manifestum est ex hoc, quod di vna est syllaba, at duae vocales vna syllabam facere non possunt, nisi vel fiat diphthongus ex eis, vel altera trans

Di non dij
vbiq; scribendum.

transeat in vim consonantis, ex duobus i, nullam diphthongum Latinam constare certum est, transire autem in vim consonantis precedente muta non potest: ergo scribendum est di non dij.

Boni] repetitio vim exclamationi addit. Nam quò maior fuit ex herili comminatione terror, eò maior est letitia nuptiarum simulatione deprehensa.

Vt metum in quo nunc est] in metu esse honesta periphrasis, & hic metus pro tristitia videtur sumi, causa pro effectu. In metu esse.

Atque animum, &c.] expolitio à contrario, & Metaphora à vasis sumpta, qua nouo liquore replentur nunquam, nisi priori eiecto. dicit Donatus, hunc ordine locutum esse, qui seruari in laude etiam solet: Nam tunc qua laudi obstare videntur, prius sunt diluenda, quam accedat ad eam. Vt praecipunt rhetores.

Nescio quid] supple sit aut est.

Nihil est] hinc rursus vides dissimile adolescentium ingenium, Pamphilus desperat, Charinus omnia sperat.

Quem ego nunc credo] continuatio verborum Daui, qua separato duorum adolescentum colloquio interrupta sunt.

Paratas nuptias] parari heterosis per partis commutationem.

Quo nunc primum intendam?] contendam. commutatio compositi.

Quis homo est qui me?] viso Pamphilo interrumpit orationem. supple alloquitur?

Ambo opportunè] adestis.

Vos volo] alloqui.

Daue

Dæue perij] exorditur conquestionem Charinus, hunc similiter Pamphilus sequitur. Sed hos interpellat Dæuus præ minio de nuptiarum falsitate desiderio nunciandi. Quæ interpellatio faceta est, Dæui impotentem lætitiã indicans.

Quin tu hoc audi] Quin increpantis est particula.

Mea quidem hercle, &c.] Certe Pamphilus posterior conqueritur, & ad rei asseuerationem iurandi & affirmandi aduerbia cõiunxit, quorum vnum satis fuisse: vt cognoscas Charinum ardentiorẽ & ad omnia ingenio concitatori, qui conspecto Dæuo, vrgebat Pamphilum ad ipsum alloquendum (cessas, inquit, alloqui?) cumq; plus quàm vellet id facere cunctaretur, ille præuertit. Dæue, inquiens, perij: & statim post: interij. Sed sedatius dixit. Pamphilus: Mea quidem hercle, &c.

In dubio est vita] in periculo, vnde res dubie aduersæ dicuntur.

Nuptiæ mihi] supple parantur. Propositio periculi.

Hodiè] pathos à tempore.

Obtundis tamen, &c.] Oratio fastidientis, & Metaphora à fabris.

Id paues, &c.] Rotunda oratione vtriusq; timoris causam profert contrariam.

Ne ducas tu illam] huiusmodi est ista locutio, vt vix dicas affirmatiua nec ne sit, propterea quòd quedam sunt verba, quæ idem cum negatione & sine negatione polleant. Sed quia id Pamphilo dicit, affirmatiuè resoluenda est, ac si dicat, vereris ne cogaris illam ducere.

Tu autem, vt ducas] hoc Charino dicit. Vbi nonnulli existimarent deesse negationem cum nihil desit. Cicero ad Articum. Qui cum impudentissimè postulauerit,

rit, tamen conceditur, & tamen Vereor vt ipsis contentus sit. Id est, vt non sit contentus. Terentius alibi. Dies mihi hic satis sit Vereor ad agendum: id est, vt non sufficiat. Ita, tu autem paues vt ducas. id est, ne non, seu vt non ducere queas.

Atque ituc ipsum nihil periculi, &c.] Propositio nuntij per μίμνησιν.

Me vide] asseueratio promittendis, quasi dicat, mihi fide: aut oratio est dicturi causas, ideoq; attentionem captantis, quo genere sermonis etiam Gallicè vtimur cum quippiam, aut non credenti, aut non intelligenti persuadere, aut demonstrare cupimus.

Obsecro te quamprimum, &c.] Precatio festinantis, & moram molestè ferentis.

Miserum] in Epitheto causa est precationis, & cur quamprimum liberari velit.

Vxorem tibi iam non dat] Repetitio est seu expolitio propositionis. Vxorem non dat, ad id quod Pamphilus dixerat, Nuptiæ mihi. Iam, ad hodie reddidit.

Qui scis] Preparatio ad narrationem, qua collegit nuptiarum falsitatem.

Tuus pater modo me] Narratio ad coniecturam, quam altius paulò incipit: vt adolescentes in expectatione detineat. & primum errorem suum de nuptijs narrat, deinde quibus rationibus eas falsas esse deprehenderit.

Item alia multa] Præteritio festinantis ad id quod est precipuum. Et vt otiosè singula narret, tamen incunda breuitate tedium audientium leuat.

Quæ nunc non est narrandi locus] tempus. Nam loci appellatio sæpe legitur pro tempore, intelligit autem

simonis minas & querelam de moribus filij, aliaq; multa quae cum Dauo paulo ante loquutus est.

Continuo ad te] diligentiam suam Pamphilo commendat. At quia percurrere, nonnunquam peragere & circumire significat, etiam sine cursu, ut apud Horatium:

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Ideo addit properans, ut significet cursu continuo ad forum peruenisse. Nam proprie percurrere significat currere sans s'arrestes, & eleganter circumstantias miscet ad rei energiam, Percurro, quomodo? properans, quando? continuo, quo? ad forum. quare? ut dicam tibi haec.

Ibi ascendo] ibi in foro.

Nusquam] supple appares, aut video.

Huius video Birriam] Quam apte omnia ad verisimilitudinem narrat. Nam initio superioris scenae dixerat Birria, de Dauo modo apud forum audiu.

Huius] scilicet seruum: Eclipsis à Græcis accepta. Quo genere si Seruio Grammatico credimus, circa patres & maritos duntaxat utimur, ut Deiphobe Glauci, Hæctoris Andromachæ: sed hic de seruis quoque dici vides.

Rogo] pro composito interrogo, & ἔλλατ' ἰκῶς num viderit audiendum.

Negat vidisse] rustice & impolite dicunt pueri, dixit mihi quod non vidit.

Redeunti interea] Coniecturae ex precedentibus & adiunctis.

Hem] deprehendentis, & tandem intelligentis.

Paululum obsonij] coniectura ex apparatu.

Ipsus] simo. Tristis] ex habitu senis coniectura.

De

De improviso nuptiæ] à tempore, quasi dicat cum ipsis nihil sit adhuc prouisum, nuptiæ, supple, fient?

Non coherent] Conclusio ex præmissis.

Quorsum?] interrogatio prouerbialis citim aliena ab instituto dicuntur. Gall. à quel propos cela?

Ego me continuo, ad Chremem] supple confero, & Chremem Latinus est accusatiuus: nam χρέμντα Græci dicunt.

Illo aduenio] pro adueni.

Solitudo ante ostium] σιωπῆς ὀσμὸς suspitionum, & supplendum est, vel apparet.

Recte dicis perge] amatorie, approbat quod cupit verum esse.

Matronem nullam] Matrona significat uxorem aliquius nobilis vel patricij. Gell. lib. xii. Idonei, inquit, vocum enarratores tradiderunt matronam dictam esse proprie, quæ in matrimonium cum viro conuenisset, quod in matrimonio maneret etiam si liberi nondum nati forent: dictamq; esse ita à matris nomine non adeptam, sed cum spe & omine mox adipiscendo. Unde ipsum quoque matrimonium dicitur.

Nihil ornati, nihil tumulti] antiqui secunda declinationis genitiui.

Accisi intro: aspexi] membratim narratio conficitur, perspicuitatis causa. in τὸ aspexi certitudinis est argumentum, & tacita occupatio, poterat enim intus esse matronarum frequentia, ornatus & reliquis nuptiarum apparatus. Ideo & foris, & intus solitudinem fuisse narrat.

Magnum signum] Propositionum veritas probabilis per signa ostenditur, ideo signum pro argumento posuit.

At

At omnis probatio artificialis autore Fabio constat, aut argumentis, aut signis, aut exemplis.

Num videntur hæc conuenire] Conclusio per interrogationem.

Non opinor Daue] lenta & adhuc dubitantis responsio.

Opinor narras] repetitio stomachantis. Dolet seruo quod etiamnum dubitet Pamphilus. Et proprie opinor. Nam opinio est notitia alicuius, cum formidine de opposito, nata ex syllogismo dialectico vel rhetorico probabili, id est, cuius præmissæ probabiles tantum vel verisimiles sunt. Huic opponitur scientia, quæ est notitia certa conclusionum ex præmissis certis, vel per experientiam, vel per doctrinam, vel per principia. Hæc assensus est firmus & certus, opinio incertus. Subdit itaque. Certa res est.

Etiam puerum inde] Aliud argumentum ab adiacentibus cum amplificatione per circumstantias.

Emptus participi. intellectū.

Et pisciculos minutos] diminutio additur Epitheton diminutionem insuper significans ad rei extenuationem, & intelligitur participium emptos.

Obolus.

Obolo] fuit obolus minutus nummus ex ære, ita dictus, quod obelisci imaginem præferret, unde in vilitatis & contemptus prouerbum abiit. Et homines vix

Drachma.

ἀξις ὀβόλας, τριῶβόλας, τετραβόλας dicunt Græci. Drachma Attica sex obolis constabat. Obolus septem nummulis turonensibus nostris valebat. Sept deniers tournois.

In cœnam] quæ nuptiarum tempore laeta & opipara parabatur.

At nullus quidem] nullus pro non, vt alibi. Et si nullus dixeris ἀντιμερεία.

Nempe

Nempe huic prorsus illam non dat] Ratio à contrario. Colligit enim ita Charinus: illam non dat Pamphilo, igitur mihi dabit. hinc videas stupidum & simplex ipsius ingenium.

Ridiculum caput] deridendum. Gall. teste folle, sed hic synecdochicōs caput pro homine posuit. Vt Græci ὡ φιλὴ κεφαλὴ, & ὡ μικρὰ κεφαλὴ. At ridiculus & ad Ridiculus, rem & ad personam referrī potest, autore Valla.

Quasi necesse sit] postulat plenus sermo (hoc dicis) subaudiri, ante quasi ἐργωκεῖος acceptum, quæ eclipsis est vsitatissima. Vide Linacrum. Est autem reprehensio vitiosa argumentationis Charini ex falsa propositione maiore syllogismi, quem ex assumptione ipsius à Charino anteposita facile colligas. Nam maior. Necesse est aut me, aut Pamphilum illam ducere, falsa est: Minorem, At Pamphilus non ducet, sequitur falsa quoque complexio, Ergo ipse ducam.

Hoc dicis sub auditum.

Nili vides] heterosis figura. prouides. Est autem adhortatio à rei difficultate per apostrophen cum repetitione & incremento, vt Charini diligentiam acuat, & nuptiæ Pamphili interturbentur. Et callide vno consilio de Charino inuit gratiam, & eadem opera hero suo prodest.

Ambis] desideratur sensus (nihil efficit) aut similis. Estq; Metaphora à candidatis, qui in comitijs singulos præhensabant, vt pro se ferrent suffragia. Id proprie ambire est, id est magistratum vel honorem petere, allegatis ad id amicis, quod & præhensare dicitur, id est rogando manibus vnumquemque præhendere. Gallicè, briguer vn office.

Frustrata est] commutatio orationis per relationem.

h At

Frustror. *At frustror deponens est, & aliquando passivum.*
Hæc spes] conatus ουwendloxnuōs.

ACTVS II. SCENA III.

PAMPHILVS. DAVVS.



VID igitur sibi vult pater? cur simulat?
 D. ego dicam tibi:
 Si id succenseat nunc, quia non det tibi
 vxorem Chremes,

Ipsus sibi esse iniurius videatur: neq; id iniuria,
 Priusquam tuum animum, vt sese habeat ad nu-
 ptias, perspexerit.

Sed si tu negaris ducere, sibi culpam in te transferet.
 Tum illæ turbæ fient. P. quid vis patiar? D. pater est
 Pamphile:

Difficile est: tum hæc sola est mulier. dictum ac fa-
 ctum, inuenerit

Aliquam causam, quam obrem eijciat oppido. P.
 eijciat? D. citò.

P. Cedò igitur, quid faciam, Daue? D. Dic te ductu-
 rum. P. hem. D. quid est?

P. Ego'ne dicam? D. cur non? P. nunquam faciam.
 D. ne nega.

P. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat, vide.

P. Vt ab illa excludar, huc concludar. D. non ita est:
 Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:

Ducas volo hodie vxorem: tu, Ducam, inquires.

Cedò, quid iurgabit tecum? hinc reddes omnia,

Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta vt fient,

Sine omni periculo: nam hocce haud dubium est,
 quin Chremes

Tibi

Tibi non det gnatum: nec tu ea causa minueris

Hæc, quæ facis, ne is mutet suam sententiam.

Patri dic velle: vt, cum velit, tibi iure irasci non
 queat.

Nam quod tu speras, propulsabo facilè: vxorem
 his moribus

Dabit nemo: inueniet inopem potius, quàm te cor-
 rumpi sinat.

Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligentem
 feceris.

Aliam otiosus quæret: interea aliquid acciderit
 boni.

P. Itan' credis? D. haud dubium id quidem est. P. vide,
 quò inducas. D. quin taces?

P. Dicam puerum autem ne resciscat mihi esse ab il-
 la, cautio est.

Nam pollicitus sum suscepturum. D. ô facinus au-
 dax. P. hanc fidem

Sibi me obsecrauit, qui se sciret non deserturum, vt
 darem.

D. Curabitur. sed pater adest: caue te esse tristem
 sentiar.

COMMENTARIA.

*Consulit Pamphilo Dauus, vt dicat patri se ducturum
 vxorem, cuius consilio maior oritur perturbatio. Conti-
 nuatur hæc scena cum superiori, postquam abiit Chari-
 nus. At quoniam rem suadet animo auditoris ingrati,
 & vehementer alienam, priusquam accedat ad propo-
 sitionem, perterret adolescentem, & ita sese insinuat ad
 causam. Exorditur autem à senilis consilij expositione*

h 2 per

per complexionem, cuius alteram partem suadet à tuto & utili. Alteram dissuadet à periculo, & rei difficultate. Deinde subicitur propositio, quæ concertationem habet non iniucundam. Tertio additur ipsius confirmatio à tuto & utili, ut dictum est. Quarto refutatio per inuersionem.

Quid igitur sibi vult pater? hac interrogatione aptè sternitur via ad Daui consilium.

Dicam tibi] Attentio ad sequentem suasionem.

Id pro ideo. Si id succenseat] exponit causam simulationis per complexionem ut dictum est, & τὸ id, pro ideo mihi positum videtur per ἐρεψῶσις.

Ipsus sibi iniurius videatur] videri possit, potentialis modus.

Iniurius. Iniurius] ἀδύς. Iniuriosus, qui alteri infert iniuriam. & τὸ sibi ἐμφάσις habet, quasi dicat non alijs tantum sed sibi ipsi, id est suo ipsius iudicio iniurius videbitur.

Id superfluit. Nec id] neq; pro & non diuisis Græcum est, & id, redundat Attico more.

Perspexerit] cognouerit, prius pro sequenti & Metaphora ab euentibus, ut alibi dictum est.

Tuum animum ut sese habeat ad nuptias] id est priusquam cognouerit quomodo sis affectus erga nuptias. Et rursus suo more accusatiuum vice nominatiui posuit, rectum esset. Priusquam tuus animus ut sese & c.

Habere. vide Linacrum. At habere & ad corporis & ad animi affectionem refertur, estq; medium verbum. Celsus. Aliter corpus se habet in melius peius'ue.

Sed si tu negaris ducere] Altera pars complexionis, quæ dissuadetur. Ibi] tum, enallage.

illa

Illæ turbæ fient] turbationes, iurgia.

Quiduis patiar] supple, potius quam ducam, & citra interrogationem lego.

Pater est Pamphile] difficultatem probat à qualitate persona. Pater est, igitur difficile est ipsi aduersari.

Tum hæc sola est, &c.] id est sine cognatis & amicis. Et est dissuasio à periculo amica.

Sola] orphana, orba. & Mulier] sexus circumstantia impotentiam arguit: ergo minus resistere potens.

Dictum ac factum inuenerit aliquam causam] ἀμα ἔπος, ἀμα ἔργον, id est statim & celeriter, Prouerbiū quo celeritatem indicamus etiam nostrate lingua. Gall. aussi tost fait comme dit.

Inuenerit] futurum, quod Pomponius & Linacer Futurum exactum appellant, quod quidem mistum videtur ex actum. præterito & futuro. Nam & Græci id interpretantur participio præteriti, & futuro verbi substantiui. γερραφῶς ἔσομαι, sicuti & nos Gallicè participio præteriti, & futuro verbi habeo: ut statim rediero, Je seray bien tost reuenu. Inuenerit, il aura aussi tost fait comme dit, trouué occasion pour la chasser hors la ville.

Quamobrem] propter quam, elegans Enallage.

Eniciat? repetitio metu percussi. Est enim maximum quod sibi euenturum putat, posse periculum abstrahi à Glycerio.

Cædo igitur quid faciam] vincitur timore periculi Pamphilus.

Dic te ducturum] Propositio consilij, ad quam artificiosè præmolluit aditum per insinuationem.

Ego ne dicam] recusantis interrogatio, indignitatem respiciens, & concertatio faceta,

h 3 Cui

Cur non?] increpatio videtur ad facilitatem, quasi dicat, quid inde periculi est.

Ex ea re quid fiat vide] Aditus ad confirmationem, quo attentionem parat.

Vide] praevide.

Quid fiat] futurum sit.

Vt ab illa excludar, huc concludar] potest sine interrogatione legi, ut sit occupatio qua propositum in diversum torquet, ut sit sensus, nimirum ex ea re futurum est ut à Glycerio excludar, & cum Philumena concludar. Aut est interrogatio pathetica ad commiserationem per ἀντιθέσιν. videtur autem translatio à feris qua canis inuitè concluduntur.

Nempe hoc sic, &c.] Expositio rei futurae ad facilitatem.

Cædo quid iurgabit tecum] Confirmatio consilij à tuto & utili. Quid, quare vel propter quid?

Hic] tunc.

Reddes] efficies, ab utili per contentionem.

Sine omni periculo] à tuto.

Nam hocce haud dubium est] Procatalsis adversus metum periculi, qua continet explicationem superioris dicti, sine periculo. Ostendit enim tutum esse suum consilium, & quod ad Chremetem attinet, quem certum est non daturum filiam uxorem: & quod ad Glycerium, cum qua idcirco non desinet consuescere.

Nec tu ea causa minueris hæc, quæ facis] Nanus primo miscellaneorum pro minueris, timueris legendum censet, & subintelligit præpositionem (ob) ante (hæc quæ facis) in hunc sensum. nec timueris ob hæc quæ facis, id est, quod patri te ducturum dicis, ne Chre-

mes

mes mutet sententiam. Equidem existimo minueris re-
Etè legi, ut sit sensus. Nec tu ea causa, propter meum
consilium minueris, id est, non minus facies hæc quæ so-
les, non minus tuis amoribus indulgebis. Gallicè. Tu ne
feras pas moins ce que tu fais pour cela, id est, non mi-
nus Glycerio potieris, non minus interim amori dabis
operam, sicuti soles.

Ne is mutet sententiam] Ab eventus utilitate.

Ne] ut non.

Is] Chremes.

Mutet sententiam] det filiam, quam nunc dare re-
cusat, sensus is est. Nec tu minueris, id est, minuire de-
bebis, ut sit potentiale verbum, nec te minuire oportebit, hæc quæ facis. Ne Chremes, qui nunc te generum
recusat, si videret te minus cum amica consuescere, te
rursum filia virum postulet, id est, hinc fiet, ut cum
viderit te eadem facere quæ facis, & amoris eundem
cursum tenere, non sit hæc, quam nunc habet senten-
tiam, mutaturus. Gallicè, tu ne feras pas moins ce que tu
fais, à fin que Chremes ne change d'avis, à fin qu'il
demeure toujours en ceste deliberation qu'il ha main-
tenant de ne te point donner sa fille pour femme. hic mi-
hi videtur germanus huius loci sensus.

Patri dic velle] Epilogus confirmationis per repe-
titionem propositionis, eius que rationis, qui locus est à
destinatis.

Nam quod tu speras] Occupatio ad refutationem
qua fit per violationem. & τὸ nam pro autem similiue
discretiva est positum. Quod autem speras, id est sperare
potes, & in animum inducis, neminem fore, qui tibi fi-
liam suam committat ijs moribus prædito.

h

Propub

Propulsabo] *refellam & diluam, refutabo. Metaphora à configentibus.*

Vxorem his moribus dabit nemo] *his moribus non ad vxorem refertur, sed ad participium existenti subauditum, aut aliud simile, id est nemo dabit vxorem ijs moribus prädito. Mores ingenia, indolem, & Mores. personarum studia, quæ à Græcis ἠθῶν dicuntur, significant.*

Inueniet inopem potius, &c.] *Hypophora refutatio per Violationem, quam Græci Βλασιον appellant, Rhetoribus magis quam Dialecticis vsitatam. Ea vtitur cum aduersarij rationem pro nobis facere contendimus, aut argumentum in ipsum retorquemus: velut quis ab hoste telum missum arripiat, & in ipsum conuertat, vt hoc loco: Tu speras inquit, neminem tibi filiam suam daturum ita morato, imo pater inopem & indotatam potius tibi accipiet, quam te sic perditè viuere permittat. Inueniet pro quæret, sequens pro præcedenti.*

Corrumpi sinat] *Græui verbo vsus est, loquitur enim ex stomacho Simonis.*

Sed si te æquo animo ferre] *Antithesis ducta ex occupatione.*

Negligentem feceris] *Futurum exactum indicatiui. Est enim hoc tempus commune indicatiui & subiunctiui.*

Aliam otiosus quæret] *per otium aliam vxorem tibi quæret. il en cherchera vne autre tout à loisir.*

Interea aliquid acciderit boni.] *Perfectum est potentialis modi, id est, accidere poterit.*

Ita credis?] *Interrogatio iam de sententia cedentis.*

Vide quo me inducas] *hæc præmonitio facit ad augens.*

augendam perturbationem futuram ex Dauis consilio, & est Metaphora ab his qui viarum ignari aliorum ductui se committunt.

Quin taces?] *quiescis, securus es, μετρωμελα. effectus pro efficiente. Nam qui securus est, tacet.*

Cautio est] *cauendum est, antimeria comica & antiqua, ne scilicet paterna iracundia exponi curet si resciscat.*

Suscepturum] *me supple, id est educaturum.*

Hanc fidem, vt darem sibi, me obsecrauit] *id est, vt promitterem me suscepturum. Et in verbo obsecrauit est auxesis.*

Qui] *pro qua auferendi casu, aut pro vt,*

Sciret] *me, supple, non deserturum se.*

ACTVS SECVNDI SCENA IIII.

SIMO. DAVVS. PAMPHILVS.



REVISO quid agant, aut quid captent consilij.

D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.

Venit meditatatus alicunde ex solo loco,

Orationem sperat inuenisse se

Qua differat te. proin tu face, apud te vt lies.

P. Modò vt possim. D. crede mihi hoc, inquam,

Pamphile,

Nunquam hodie tecum commutaturum patrem

Vnum esse verbum, si te dices ducere.

COMMENTARIA.

senilis sagacitas & cura de filio describitur hæc sce-

b s na,

na, & preparatio ad consilij executionem.

Hic nunc non dubitat] Irridet senem de suo consilio
 Dauus, & Pamphilum confirmat, vt dicat se ducturū.
 Meditari. Venit meditatus ex solo loco] id est, in frequenti
 & deserto, Metaphora à litigantibus qui causas acturi
 prius meditabantur. Est autem meditari exercere se co-
 gitando. Vnde meditatio declamandi, id est, exercitatio,
 & causam suam meditari, Penser à defendre son droit.
 Passiue positum legas apud Ciceronem pro A. R. Conce-
 ptum, inquit, ac meditatam. Ex solo loco, verbo venit
 adiungo, non inuenisse.

Sperat] putat μεταληπισκός, vt suprā. Nam quod
 tu speres, &c.

Inuenisse se] perstat in Metaphora. Est autem inuen-
 tio prima pars & difficilima officij oratorij.

Qua differat te] perturbet, & attonitum reddat.
 Græcorum more difficultatem ostendit, vt aduersus
 hanc Pamphilus animum obfirmet. Cicero v. Tusculan.
 sic distrahuntur in contrarias partes impotentium cu-
 piditates.

Proin tu face] Propositio adhortationis. Apud te vt
 fies, ad qua differat te, redditum est: nam apud se esse
 dicitur, qui composito est & sedato animo, ac sana inte-
 grāq; mente: vt extra se, qui affectuum perturbationi-
 bus distractus, impos animi est.

Modo] dummodo possim, ingenuus adolescens ob
 patris presentiam titulat.

Credemihī, &c.] Confirmat animum adolescentis
 ab vtili, & asserit ita fore, quasi rem probe exploratam
 habeat, fretus nimium ingenij sui acumine, quo fallitur
 & Pamphilum in perturbationem conijcit.

Comm

Commutaturnm vnum esse verbum] Commuta-
 re verba est altercari, & verbis contendere. tenses.
 Quoniam qui verbis in quempiam inuehitur, consue-
 tam, lenitatem & verborum blanditias, in asperita-
 tem & iurgium mutat. At certantes vicissim dant &
 accipiunt conuitia.

ACTVS SECVNDI SCENĀ V.

BIRRIA. SIMO. DAVVS. PAMPHILVS.



ERVS me, relictis rebus, iussit Pam-
 philum
 Hodie obseruare: vt, quid ageret de
 nuptijs,

Scirem, id propterea nunc venientem sequor.

Ipsum adeo præsto video cum Dauo: hoc agam.

s. Vtrunque adesse video. d. hem serua. s. Pam-
 phile.

d. Quasi de improviso respice ad eum. p. hem pater.

d. Probè. s. hodie vxorem ducas, vt dixi, volo.

b. Nunc nostræ parti timeo, quid hic respondeat.

p. Neque istic, neque alibi tibi vsquam erit in me-
 mora. b. hem.

d. Obmutuit. b. quid dixit? s. facis vt te decet:

Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.

d. Sum verus? b. herus quantum audio, vxore
 excidit.

b. Iam nunc intrò: ne in mora cum opus sit, fies.

p. Eo. b. nullane in re esse homini cuiquam fidem?

Verum illud verbum est, vulgò quod dici solet,

OMNES SIBI melius esse malle, quàm alteri.

Ego illam vidi virginem: forma bona

Mem

Memini videre: quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renunciabo, ut pro hoc malo, mihi det malum.

COMMENTARIA.

Explorat animum filij de nuptijs pater, cui assentitur
Pamphilus de consilio Davi, & Birria heri sui causa
audito Pamphili responso perturbatur.

Herus me] docet spectatorem Birria qua gratia re-
siterit.

Relictis rebus] supple omnibus mandatis. cura hoc
ablativo optimè exprimitur. At saepe appellativum so-
lum ponitur, intellecto adiectivo et contra, ut alibi idem
Terentius. Mihi nunc, inquit, relictis omnibus quaren-
dus est, deest rebus.

Id propterea nunc, &c.] Propterea pro propter. quar-
tum genus Enallages. Aut ea, aut id abundat.

Præsto video] id est, adesse.

Hoc agam] quod herus iussit, id est, observabo. Ad
Epitasin Charini oportuit ut opera Birria sciret ipse quid
Pamphilus respondisset.

Hem serua] admonitio in re difficili. serua, supple,
quod præmonui: aut serua, caue.

Quasi de improviso respice, &c.] proprie. Non dixit
respice eum, sed ad eum, ut reflectendo se conijciat ita
oculos, ac si ante eum non vidisset, ut præmeditationis
suspicionem tollat.

Hempater] hem respondentis est adverbium.

Probè] supple factum.

Hodie uxorem ducas, &c.] Volo verbum cogen-
tis est & imperantis.

Et

Ut dixi] apud forum, ut supra, vxor tibi ducenda est
Pamphile hodie inquit para.

Nostræ parti timeo] translatio à bello certantibus.

Hic quid respondeat] explicat Metaphoram.

Neque istic neque alibi] aduerbia pro nominibus. Neque
ac si dicat, nec in ista re, nec in quavis alia. Neque, di-
stinctionis vox geminata obsequendi voluntatem ex-
aggerat.

Usquam] temporis circumstantia ad τὰ δὲ τῶν οὐκ
pertinet.

Tibi erit in me mora] Verg. in Buco.

In me mora non erit vlla.

Hem?] dolentis.

Quid dixit?] admirantis simul & indignantis in-
terrogatio, & hæc secum loquitur Birria.

Facis ut te decet] Laus filij ab officio.

Cum istuc quod postulo] Postulamus iure. Vnde
postulare est in ius vocare, & titulus est de postulando,
itaque lenitatem consuetam erga filium in verbis obser-
uat pater.

Cum gratia] Gall. de ton bon gré, & obliquè ex
hoc contrarium coniectandum relinquit, nempe inuitum
posse cogere.

Sum verus?] pro Verax. Hoc enim ad personam, il-
lud magis ad rem spectare videtur. Verus & ve-
rax,

Vxore excidit] excidere dicuntur quæ impruden-
tibus nobis è manibus elabuntur, nec quæ sita inuenire
possimus. Vnde & causa cadere, seu formula excidere.
Excidere.
perdre son proces.

Nulla ne in re esse homini cuiquam fidem?] sup-
ple mirum aut indignum est. γῶμα per habitum ora-
tionis

tionis Variata, qua hominum infidelitatem notat. alludit autem ad Pamphili promissum, qui daturum se operam ne Philumenam diceret, pollicitus fuerit Charino.

Omnes sibi melius esse, &c.] ἐπιφρόνημα, quo hominum φιλαυτία damnat. Cicero. More hominum fecit, sibi quam amico maluit consulere. Natura enim, ut inquit Taurus apud Gellium, omnium quæ nos genuit, induit nobis, inoleuitque in ipsis statim principijs quibus nati sumus, amorem nostri & charitatem, ita prorsus, ut nihil quicquam esset charius pensiusque nobis quam nosmetipsi.

Ego illam vidi virginem] accommodatio sententia, & Pamphili excusatio.

Memini videre] impolitus sermo stupiditatem in seruo arguit.

Quo æquior sum Pamphilo] Consequens enthymematis. Omnes sibi melius esse malunt quam alteri. Itaque non mirum si hanc Pamphilus sibi malit, quam Charino.

Æquior] placatior, facilius, minus iratus.

Si se illam in somnis] in lecto σιωνδοχῆ, aut per noctem.

Amplecti] honestè amoris fructum hoc verbo significauit.

Renuntiabo] heres.

Vt pro hoc malo] nuntio.

Mihi det malum] Metaphora à retaliandi iure. & alludit ad veterum morem, qui leta nuntiantibus

Euangelion. dabant δαυχῆλια.

ACTVS

ACTVS II. SCENA VI.

DAVVS. SIMO.



IC nunc me credit aliquam sibi fallaciam Portare, & ea me hic restitisse gratia.

s. Quid Dauus narrat? d. æquè quid quam nunc quidem.

s. Nihil ne? hem. d. nihil prorsus. s. atqui expectabam quidem.

d. Præter spem euenit, sentio: hoc malè habet virum.

s. Potin? es mihi verum dicere? d. nihil facilius.

s. Num illi molestæ quippiam hæ sunt nuptiæ, Propter hospitiæ huiusce consuetudinem?

d. Nihil hercle: aut si adeò, bidui aut tridui est Hæc sollicitudo: nostin? deinde desinet?

Etenim eam secum rem recta reputabit via.

s. Laudo. d. dum licitum est ei, dumque ætas tulit,

Amavit: tum id clam: cauit, ne vnquam infamiæ Ea res sibi esset, ut virum fortem deceret.

Nunc vxore opus est, animum ad vxorem appulit.

s. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.

d. Nihil propter hanc rem: sed est, quod tibi succenseat.

s. Quidnam est? d. puerile est. s. quid est? d. nihil. s. quin dic, quid est.

d. Ait nimium parcè facere sumptum. s. me'ne? d. te.

Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem:

Num filio videtur vxorem dare?

Quem, inquit, vocabo ad cœnam meorum equalium

Potissimum nunc: & quod dicendum hic fiet,

Tu quoque perparcè nimium, non laudo. s. tace.

d. Com

D. Commouis. ego istæc rectè ut fiant, videro.
 Quidnam hoc rei est, quidnam hic volt veterator
 sibi?
 Nam si hîc mali est quicquam, hem illic est huic rei
 caput.

COMMENTARIA.

De Dauo persentiscere conatur Simo, quid animi fili-
 lius de nuptijs habeat, suspicionem nuptiarum & tri-
 stitia à Pamphilo auertit Dauus, & senem dubitantem
 confirmat: quo magis promouetur epitasis. Alter de alte-
 ro malè suspicatur & timet falli.

Hic nunc me] ad spectatores loquitur, sed ita ut à
 Simone audiri velit, ut omnem doli suspicionem à se
 auertat.

Credit] plusquam suspicatur. Ingenium senum est
 suspicax.

Fallaciam portare] portamus bona mala ue.

Ea gratia] antiquè dictum pro ea causa, eo nomine.

Quid Dauus narrat:] tertia persona pro secunda,
 hæc commutatio herilem indignitatem præ se fert.

Aequè quicquam nunc quidem] supple, actu nar-
 ro. Gall. autant que vous. ωείφρασις, id est nihil, non au-
 tre chose pour le present.

Nihil nec:] interrogatio non credentis.

Atqui expectabam] sperabam, quæ enim speramus,
 expectamus. ideo subdit.

Præter spem euenit] id est, contra illius expecta-
 tionem.

Hoc malè habet virum] hæc secum Dauus. Malè ha-
 bet qui cruciatur, aut animo, aut corpore. Malè ha-
 bet

bet nos, quod molestiam affert.

Virum] Ironia. Gallice, cela fasche le galland. Vir Vir.
 Vtrunq; significare solet & sexum & animum infra-
 ctum. hic verò irrisionem notat.

Potin' es mihi?] vetusta periphrasis, & obiter per-
 stringit Dauum, quasi velit dicere, mendacijs assueto
 difficile esse verum fateri, illiusq; adeo fallax inge-
 nium, ut vix possit etiam si velit. Porro attentionem pa-
 rat ad sequentia.

Nihil facilius] possum. Alludit ad Philosophorum
 placita, qui veritatem simplicem & facilem esse scri- Veritas da-
 bunt. Ea, ut est apud Eschylum, Menandrum & Euri- plex.
 pidem, labore nullo etiam non quæsitã prodit. sed hæc fe-
 re in ciuilibus negotijs versatur aperta omnibus & ma-
 nifesta, nimirum cum quidpiam dictum factum ue sci-
 mus, nec venit vnquam in controuersiam. de hac inquit
 Dauus, Nihil facilius. Altera quadam est dubia suapte
 natura, cum de re queritur dubia & perplexa, cuius-
 modi multa sunt in Philosophia, & hominum vita.
 Hanc Democritus in puteum demersam esse dicebat.
 Ceterum aliquando non suapte natura, sed contradictio-
 ne efficitur dubia. Res enim certa, autore Constantino Im-
 peratore negatione incerta est.

Num illi molestæ, &c.] interrogatio propositum hu-
 ius loci continens, & tò quidpiam rem extenuat, ut
 facilius confiteatur seruus. Linacer accusatiuos adiecti-
 uorum nominum multum, paulum, nimium, plurimum,
 minimum, aliquid, quidpiam Græcorum more positos
 esse putat: qui præpositione & intellecta, similiter ef-
 ferunt.

Propter hospitiæ] Ratio ab applicitis. Hospita olim Hospita.
 i mulier

mulier dicebatur, nunc de utroque sexu hospes dicitur, id est peregrinus, vñ stranger.

Huiulce] contemptum significat.

Consuetudinem] amorem, nam ex consuetudine amor nascitur.

Nihil herclè] inficiatio iureiurando confirmata.

Aut si adeo] correctio ex abundantia, qua rem minuit. Adeo, etiam, id est aut si etiam, supple sunt molesta, &c.

Hæc sollicitudo] id est tristitia Metonymicos.

Nostin' e] interrogatio pratercuntis rem notam & ipsi manifestam. Id Gallicè sic dicimus. comme vous sauez bien.

Deinde desinet] deinde relatiuè est positum, id est post biduum aut triduum.

Etenim hanc rem] ἀπιολογία à providentia & frugalitate Pamphili.

Reputabit] considerabit.

Recta via] recta ratione. Gallicè, il y ha pensé à bon escient, & à bon sens. Metaphora à pergentibus aliquo, qui rectiorem viam quarunt & meditantur, quam teneant.

Laudo] plus dixit quàm probo.

Dum licitum est illi] excusatio vitæ antea à persona patris, & ab atate. Amanit, inquit, quia per te licuit, & quia atas ferebat. Ratio est ab applicitis, & expositio à ἀπιολογίας.

Tum. Tum id clàm] supplendum fecit, & (tum) pro & copulatiua est.

Cauit] laus Pamphili à providentia.

Infamiae] dedecori.

Ut virum fortem decet] ab effectu fortitudinis Fortis colligit Pamphilum fortem esse, fortis enim Cicerone auctore, libidines frenat, spernit voluptates, iracundiam tenet, coercet auaritiam, ceteras animi labes repellit. Atq; is demum vocandus qui improbiſſimis Dominis dedecori ac turpitudini parere nolit.

Nunc vxore opus est, animum ad vxorem apulit] Concludit à necessario. At hæc traductio facit ad adolescentis frugalitatem & providentiam, quam commendat, & argumentatur ab applicitis: quia vxore opus est animum ad vxorem adiunxit: & hoc callide, vt Pamphili animum de nuptys tegat.

Subtristis visus est, &c.] Hypophora suspicionis quam refellit per reiectionem. Et quia non est ausus negare illum esse tristem, ne dolum olfaceret Senex, callide auertit suspicionem, & causam transfert in auaritiam Senis.

Nihil] non.

Propter hanc rem] supple, tristis est.

Puerile est] Querit Dauidus quid respondeat ad Pamphilum excusandum.

Quin] age, increpantis.

Mene?] admirantis.

Vix inquit drachmis obsonatus est decem.] Protopopeia rem attollit, & in re leui indignitatem auget, vt in puerili decoro maneat Nam & id puerile esse dixit. At pueri, quam pro leuibus noxis iras gerunt? Obsonari est obsonia parare. a chepter de la piranſe. drachma Drachma. Athenis argenteum numisma fuit. sicut & Romæ denarius, eiusdemq; valoris septem obolis, id est ternis Denarius. scrupulis constans, vallant trois solz & demy tournois.

i 2 Itaque

Itaque decem drachmae valent triginta quinque solidi nostris turonensibus. trentre cinq solz tournois. Ut supputat Budanus.

Potissimum nunc] exaggeratio à tempore.

Et quod dicendum hic fiet] τὰ ἀρρητὰ serui ad rei verisimilitudinem. quod dicendum sit, quod dici conveniat.

Hic] inter nos non alibi. à dire ici entre nous.

Non laudo] ἰσοδυναμίας contrarij modestiae causa ne Senem irritet, quod quidem fecisset si damno aut reprehendo dixisset.

Tacere. Tace] sic loquimur ijs quorum id quod reprehendunt nihil interest, id est ne cura, ne te soucie de cela. μετὰ λόγου. Tacemus enim de quibus nobis nulla est cura.

Commouit] exasperavi, irritavi. Senes, ut avaritia vitio laborant, ita sibi egrè ferunt exprobrari.

Ego istec, &c.] promissio curam de alienis negotijs reprehendentis. Je y donneray bien ordre, ie y pouruoye-ray bien.

Quidnam hoc rei est] Cogitatio suspiciosi senis.

Veterator] imposturus assuetus & fraudum architectus. sui affiné, vn vicil Renard.

Illic est] pro ille caput, causa, præcipuus. Cicero. Caput enim esse arbitrabatur oratori.

Hem] comicum demonstrandi aduerbium.

ACTVS III, SCENA I.

MYSIS. SIMO. DAVVS. LESBIA
obstetrix. GLYCERIVM
puerpera.

ITA



TA pol quidem res est, ut dixti Lesbia:

Fidelem haud firme mulieri inuenias virum.

s. Ab Andria est ancilla hæc: quid narras? d. ita est.

m. Sed hic Pamphilus. s. quid dicit? m. firmavit fidem. s. hem.

d. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.

m. Nam quod peperisset, iussit rolli. s. ð Iuppiter, Quid ego audio? actum est, si quidem hæc vera prædicat.

l. Bonum ingenium narras adolescentis. m. optimum.

Sed sequere me intrò, ne in mora illi sis. l. sequor.

d. Quod remedium nunc huic malo inueniam? s. quid hoc?

Adeón' est demens? ex peregrina? iam scio: ah Vix tandem sensi stolidus. d. quid hic sensisse se ait?

s. Hæc primum adfertur iam mihi ab hoc fallacia, Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.

e. Iuno Lucina fer opem: serua me, obsecro.

s. Hui, tam cito? ridiculum: postquam ante ostium Me audiuit stare, appropereat. non sat commodè Diuisa sunt temporibus tibi, Daué, hæc. d. mihi n?

s. Num immemor es discipli? d. ego quid narres, nescio.

s. Hiccine me si imparatum in veris nuptijs Adortus esset, quos mihi ludos redderet?

i 3

Nunc

Nunc huius periculo fit, ego in portu nauigo.

COMMENTARIA.

Terretur mulierum aduentu senex, & se à Dauo decipi putat, cui irascitur. Attende exemplo horum sapius nimia sagacitate homines falli. Exorditur à querela mulierum de amatoribus, ut ad terrorem excitetur senex.

Haud ferme] vix, ferme, tametsi de re perfecta seu rota detrahatur aliquid atq; imminuit, ipsam tamen actionem verbi, & rei gestum intendit, atq; amplificat.

Inuenias] presens potentialis.

Ab Andria est ancilla] suo more ablatiuo cum prepositione usus est, & Andria pro Glycerio ἀνδριανῶς.

Sed hic Pamphilus] ad ἐπιδοειῶν descendit, & generalem sententiam suo instituto accommodat.

Firmauit fidem] ergo prius datam fuisse necesse est.

Hem] indignantis vox.

Nam quod peperisset.] Et hæc maior est connubij confirmatio.

Actum est] verbum desperantis, &c.

Si quidem] duplex est dictio.

Bonum ingenium narras, &c.] Laus Pamphili ab animi natura, quæ ad senilem facit commotionem.

Quod remedium] Metaphora à re medica, & interrogatio perplexi & animo dubij.

Quid hoc?] admirantis interrogatio.

Adeon' est demens] amore insaniens.

Ex peregrina] indignitatem auget à conditione.

Peregrina] meretrice. Meretrices enim peregrinæ apud Comicos inducuntur. Gall. Est il se fol & tant assoté d'elle.

Iana

Iam scio] asseueratio post cogitationem causam intelligentis, quasi dicat, iam tandem.

Ah vir tandem sensi, &c.] Reprehensio sui ipsius.

Stolidus] est qui proximè ad sensum naturamq; brutorum accedit. niays. & ratio est in hoc verbo, quod tardè rem cognouerit, nimirum quod sit stolidus.

Hæc primum affertur, &c.] Variatio orationis per ἐπέρωσις generis. Hanc mihi affert fallaciam, dicere potuisset.

Hanc simulant parere] Explanatio est fallacia. Sed iucundum est senem qui sibi permultum perspicax videtur seipsum fallere ex suspitione.

Iuno lucina fer operem] Iuno vitæ nascentium preses cum Genio credebatur. Vnde iurat mulier apud Petronium, per Iunonem suam. Hæc ideo Lucina dicta est, quod certis mensibus peractis factum in lucem edat. Eandem cum Luna esse autor est Cice. 1.1. de Nat. Deor. Luna (inquit) à lucendo nominata est. Eadem est enim Lucina. Itaq; ut apud Græcos Dianam eamq; luciferam: sic apud nostros Iunonē Lucinam in pariendo inuocant. Pueris nobilium editis, lectus hominis mensura in atrio templi ipsius ponebatur, quod Romæ sint in campo viminali propè capitolium. Eadem hecate & Proserpina dicebatur. Nam ut scribit Seruius, in cælo est Luna, in syluis Diana, in inferis Proserpina. Vnde iactatur Disthicon.

Lucina.

Terret lustrat, agit, Proserpina Luna, Diana.

Ima, superna, feras, septro, fulgore, sagitta.

Huic à Græcis varia sunt sacra instituta, & ferè in triuijs ante portas, colebatur, cuius templum ἐκατερόειον appellabatur. Porro propter varias Luna formas datus est fabulæ locus, ut Hecatē crederent triformem esse,

i 4 &

Interlunium
partum iuuat.

Fœt' interlu-
nio editi, mor-
bis obnoxij.

Et capita tria habere, dextrum equi, sinistrum canis, medium rustici hominis. Nam mensibus singulis paulatim nasci et augeri videtur, fierique διχότομη et dimidiato orbe, deinde completur, et fit πᾶσι λω. Post vero decrescens dimidiatur, donec cum Sole coeat. Quod tempus interlunij, ad pariendum non parum conducit. Sed tunc nati malum habent temperamentum, aut non sunt durabiles, sed morbis obnoxij magnis difficultatibus in vita conflantur. Lege Fulgent. lib. 1. Mythologicon, Volaterra. lib. x x x i i i. Philolo. Alexandrum ab Alexan. lib. i i i i. cap. x v i i.

Hui tam cito] εἰρωνεία secum loquentis, nec ad felicitatem partus refero, sed ad celeritatem exequenda fallacia. Nam vix dum ingressis mulieribus cepit parere Glycerium. Ex hac festinatione fallaciam subesse putat, ut paulo post explicat.

Postquam ante ostium, &c.] de Glycerio loquitur.

Postquam audiuit] ab ancilla et obstetrice.

Approperat] festinat. Est itaque coniectura fallaciae ex festinatione.

Non fat commodè] increpatio incunda senis seipsum fallentis.

Diuisa] composita, distributa. Tibi] à te.

Temporibus] supple suis, id est, singula non opportunè exequeris. Metaphora à negotiosis, qui singula agenda ordine et suo tempore diuidunt. Sunt enim (inquit Cicero) aliqua prima, sunt secunda, sunt tertia, id est, quae singulatim et diuisim sunt agenda. Reprehendit itaque Dauum nimium multa ad fallendum vno tempore exequentem, et confundentem. Aut est translatio à diuidentibus in senatu sententias.

Mihin'

Mihin'] Admiratio negantis, quae saepe fit per pronomen, ut paulo ante. Aut nimium parce facere sumptum. Me'ne? inquit.

Num immemor es disciplic] Commonefacit eorum quae iam dixerat, Tum si quis ceperit magistrum ad eam rem improbum. Et rectè ex relatiuo iterum exprobrat illum filij corruptelae autorem esse, et magistrum.

Hiccine me si imparatum] Amplificatio, à contrario per fictionem, quam ἐπιθέσις vocant.

ὑπόθεσις.

Imparatum] inopinantem, nihil tale suspicantem.

Adortus esset] Metaphora à grassatoribus, qui incantatos viatores aggrediuntur.

Quos mihi ludos, &c.] Id est, quas turbas. Metaphora à spectaculis gladiatorum, quae et nomine ludi appellatur. Fab. lib. v i i i. de noemate loquens. Hoc nomine (inquit) donarunt quae non dicunt, verum intelligi volunt. Ut in eum quem sapius à ludo redemerat soror, agentem cum ea talionis, quod ei pollicem dormienti praescidisset. Eras dignus, inquit, ut integram manum haberes. Similiter et pugnam dare dicimus eadem phrasi, quae etiam Gallicè utimur, quel ieu, quel passetemps ce me seroit, s'il m'eust surpris es vrays noces?

Nunc huius periculo fit] deest cum comitantia. Plinius plurimum huius praepositionis eclipsi utitur, miro compendio, magna mortalium utilitate, publico bono, pessimo publico, Reipub. commodo, oculorum periculo.

Ego in portu nauigo] Proverbium securitatis à nauigantibus sumptum, qui enim nauigant in portu, sunt securi naufragiorum, quasi dicat, le dommage est à lui,

i 5 quant

quant à moy ie suis en seureté. Est tacita comminatio per collationem contrariorum.

ACTVS III. SCENA II.

LESBIA. SIMO. DAVVS.



ADHVC Archillis quæ adsolent, quæcūq;
oportet
Signa ad salutem esse, omnia huic esse
video.

Nunc primum fac istæc vt lauet: post deinde

Quod iussi ei dare bibere, & quantum imperavi,

Date: mox ego huc reuertar.

Peræcastor scitus puer natus est Pamphilo:

Deos quaeso, vt sit superstes: quandoquidem ipse
est ingenio bono.

Cumcūq; huic veritus est optimæ adulescenti facere
iniuriam.

s. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse
ortum: d. quidnam id est?

s. Non imperabat coram, quid opus facto esset
puerperæ,

Sed postquam egressa est, illis, quæ sunt intus, cla-
mat de via.

O Daue, itane contemnor abs te? aut itane tandem
idoneus

Tibi videor, quem tam aperte fallere incipias dolis?

Saltè accuratè, vt metui videar: certè si rescuerim.

d. Certè herclè nunc hic se ipsus fallit, haud ego. s.
edixin' tibi?

Interminatus sum, ne faceres, num veritus? quid
retulit?

Credo

Credone tibi hoc, nunc peperisse hanc è Pamphilo?
d. Teneo, quid erret: quid ego agam, habeo. s. quid
races?

d. Quid credas? quasi non tibi renuntiata sint hæc
sic fore.

s. Mihine quisquam? d. eho, an tute intellexti hoc
adsimulari? s. irrideor.

d. Renuntiatum est: nam quæ istæc tibi incidit su-
spicio?

s. Qui? quia te noram. d. quasi tu dicas; factum id
consilio meo.

s. Certè enim scio. d. non satis me pernocti etiam
qualis sim Simeo.

s. Egone te? d. sed si quid narrare occepi, conti-
nuò dari

Tibi verba censes. s. falso. d. itaque herclè nihil iam
mutire audeo.

s. Hoc ego scio vnum, neminem peperisse huc. d. in-
tellextin?

Sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante
hostium:

Id ego iam nunc tibi renuntio, here, futurum, vt
sis sciens:

Ne tu hoc posterius dicas Dauis factum consilio, au-
dolis.

Prorsus à me opinionem hanc tuam ego esse amo-
tam volo.

s. Vnde id scis? d. audiui, & credo. s. multa concu-
runt simul,

Qui coniecturam hanc nunc facio: iam primum
hæc se è Pamphilo

Grauid

Graudam dixit esse: inuentum est falsum. nunc,
postquam videt

Nuptias domi apparari, missa est ancilla ilico

Obstetricem accersitum ad eam, & puerum ut ad-
ferret simul.

D. Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nihil mouentur
nuptiæ.

S. Quid ais: cum intellexeras id consilij capere, cur
non dixisti extemplo Pamphilo?

D. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam
omnes nos quidem

Scimus, quam miserè hanc amarit: nunc sibi vxo-
rem expetit.

Postremò id mihi dat negotij: tu tamen idem has
nuptias

Perge facere ita, ut facis: et id spero adiuturos deos.

S. Imò abi intrò, ibi me opperire. & quod paratò
opus est, para.

Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem:

Atque haud scio, an quæ dixit, sint vera omnia.

Sed parui pendo: illud mihi multò maximum est,

Quod mihi pollicitus est ipsus gnatus. nunc Chremè

Conueniam: orabo gnato vxorem si impetro,

Quid aliàs malim, quàm hodie has fieri nuptias?

Nam gnatus quod pollicitus est, haud dubium est
mihi id,

Si nolit, quin eum meritò possim cogere.

Atque adeò in ipso tempore eccum ipsum obuiam
Chremem.

C O M M E N T A R I A.

Confirmatur in errore senex verbis obstetricis ad an-
cillam

cillam, & Dani multò magis, qui prædicit fore quæ
ipse facturus erat, ut à se suspicionem fallacia auertat.
Pro more medicorum bene de egrotâ pollicetur, sed cum
dubitatione, ut sua opera desideretur: deinde præcipit
quid sit agendum, & quantum pharmaci hauriendum,
denique suam pollicetur operam.

Signa ad salutem video] id est, crises & indicia. Signa partus.

Nam signis tanquam manu ducimur ad rei occultæ
significationem. At ea signa sumuntur aut ex natu-
ra parientis, aut ex fœtu, aut secundis, aut extrinsecus
aduenientibus.

Quæ assolent quæque oportet] Medicina omnis in
duas partes primarias diuisa est, Logicem, & empiricem. Medicina du-
plex.

Logice morborum causas ratione inquirit. Empirice
vfu & experimentis constat. Galenus & Hippocrates
priorem amplectuntur: Posteriores indocti & mulier-
cula, qui sine vlla ratione ex vfu tantum morbis meden-
tur. Hæc obstetrix perita vtranque complectitur. Quæ
assolent, ad Empiricem, Quæ oportet, ad rationalem
refertur, quasi dicat se & experientia & ratione ea
cognoscere.

Adhuc] incertam promissionem facit, de futuro ni-
hil asserit. potest enim temporis momento immutari agro-
tantis habitus.

Istæc ut lauet] Lauetur, ætium pro passiuo nisi ma-
lis ἐλαπίνης audiri pronomen se. Id autem præcipit uetur. Lauet pro la-
obsecundas.

Post deinde] alterum redundat.

Quod iussi ei dare, &c.] imbecillis enim, & diffi-
cilem partum experta cibus & potionibus, quæ robur
addunt, refocillari debet. At pharmaca, aut sunt φλασα, φλασα.
Pharmaca.
siue

καταπλασά. siue καταπλασά, quibus in malagmatis usus est, aut
 χρυσά. χρυσά quibus illiminus, aut τριγὰ καὶ ποτὰ. id est
 πικρά. potiones.

Et quantum imperavi] nam est periculosum modum
 excedere. Hic verbis medicorum proprijs visa est, qui
 iubere, id est, facienda imperare dicuntur. Gall. ordonner.
 Aegroti vero per omnia parent ita, ut non audeant illo-
 rum praescripta excedere.

Mox ego huc, &c.] Et hoc de consuetudine medico-
 rum, qui egrotantes crebro visunt, maxime vero die
 quo pharmacum hauserint.

Scitus. Per æcastor] per ades Castoris.

Scitus puer] participiale est nomen actiue signifi-
 cans, ut docet Valla. Mihi sanè videtur hoc nomen ad
 iustum membrorum situm aptamq; naturæ proportionem
 partium corporis referri. At quæ scitè & ex arte
 fiunt, perfectiora & absolutiora ferè esse solent, pro-
 pterea etiam pulchriora. Ideo pro eleganti scitus vide-
 tur accipi μεταληπτικῶς. Est autem hic τμῆσις, pro
 perscitus.

Deos quæso, ut sit superstes] ἐπιχθόνι. Præca-
 tio vetularum familiaris, ideo muliebri decorum ser-
 uat. Nam olim parentes præcabantur, ut sibi sui libe-
 ri superstites essent, unde superstitionem dictam esse au-
 tor est Cicero.

Quandoquidem ipse est] propter patrem filio benè
 præcatur. Et commendat Pamphili ingenium, ut Simo
 audiat ipsum Glycerio firmasse fidem, simulq; spectato-
 res doceantur, quid intus actum sit, nimirum puellum ex
 ea Pamphilo natum esse. Sed id tametsi verum sit credit
 simulari senex.

Ipsè

Ipsè] Pamphilus.

Ingenio bono] de bonne nature, de bonne sorte.

Cumq; huic] quæ abundat, & est expositio rationis,
 & commendatio illius probitatis ab effectis.

Quæ abun-
dans.

Veritus est] puduit.

Facere iniuriam] faire tort.

Adolescenti] infirma hæc ætas & simplex, iniu-
 riaq; obnoxia.

Optimæ] in Epitheto vis est argumenti, est enim in-
 dignius optimam adolescentem fallere, quam improbam
 & astutam.

Vel hoc quis non credat] Propositio per habitum
 orationis variata, cum illius probatione ab animi natura,
 hanc sequitur confirmatio coniecturalis. à loco & modo
 dicendi obstetricis. Tertio expostulatio cum Dauo. Ac in-
 dignitatem auget partim à persona sua, partim à modo
 facti. τὸ vel augmenti habet significationem.

Non imperabat coram] me supple. Coniectura à
 loco & obstetricis dicto, ad confirmandam suspicionem.

Vel.

Puerperæ] Puerpera, quæ ex partu decumbit, &
 tempus quo se domi interim continet puerperium di-
 citur.

Puerpera.

Clamat] ab agendi modo.

De via] à loco.

O Daue, Daue] Expostulatio per indignationem à
 sua persona. Et Iteratio quiddam habet instantis. Itane
 interrogando responsionem non poscit, sed assensum ex-
 torquet, ut docet Valla. & τὸ tandem sermonis absolu-
 tionem cum celeritate significans, non aliter ferè quàm
 per interrogationem effertur, & est aduerbium ordinis.

Itane.

Tandem.

Idoneus ex adiectiuis illis est, quæ in infinitiuum trans-
 eunt,

Idoneus.

eunt, maximè in carmine, pro quo prosa scribes accu-
satio gerundij modi cum præpositione utuntur. Ut ido-
neus ad fallendum. At pro passivo infinito, vel gerun-
dij modo in v. Ut idoneum factu, vel passivo in dum ter-
minato cum præpositione ad uti licet, ut facile ad cre-
dendum. Vtrunque modum per prouocabulum (qui) in-
terpretamur nonnunquam. Idoneus fallere, ad fallen-
dum & qui fallat. Idoneus falli ad fallendum & qui
fallatur.

Incipias] incipere debeas, modus potentialis. Et tibi
ἐμφοσιῶν habet, quasi dicat, tibi seruo. & dolis, quibus
decipi indignius est, quam vim apertam ferre. Ac tam
apertè, perinde ac si stupidus & excors essem. Singula
voces indignitatem augent.

Saltem accuratè] supple falle, id est sollicitè & cum
cura. Permissio quadam exprobrantis, qua rem auget à
modo facti.

Certè si rescuerum] ἀποσιώπησις cominantis. Sed
attende modestiam senis, qui prius non vult vlcisci quam
probè rem compertam habeat.

Haud ego] supple, fallo. σὺ ληΐς. Hæc secum Da-
uus sentiens heri suspicionem.

Edixin' tibi?] vehemens exaggeratio per cōmemora-
tionē (quam ἐπιμνήσις vocant) ab his quæ antecesserunt,
& est quadam occupatio, ne se seruus ignorantia tuea-
tur. At edicunt magistratus, quibus nisi post edictum
promulgatum pareatur, nulla superest ex ignorantia pur-
gatio, quin qui aduersum fecerit supplicio afficiatur.

Interminatus sum] perstat in Metaphora à publico
more principum, qui edicta sua minis pœnisq̃ propositis
sanciunt, firmanq̃.

Num

Num veritus?] pertinuisti minas?

Quid retulit?] supple, edicere & interminari? Et
observa orationis formam rei grauitati ac indignitati
conuenire. Nam comprehensio est τὸν ἀμασίν, quæ inter-
rogatione fit vehementior.

Comprehensio
πνευμασίν

Credo ne tibi?] suspicionem apertè profert.

Teneo quid erret] hæc secum Dauus, tandem senis
errorem intelligens, quem in falsa suspitione confirmat,
ut noua occasione fallat. Et quid, cur significare vide-
tur, aut propter, subaudiendum.

Quid

Quid ego agam habeo] asseueratio habentis in re
dubia paratum promptumq̃ consilium.

Quid credas?] Repetit verbum cum stomacho, dixit
enim herus. Credo ne tibi, & c.

Renunciata] relata. Renunciare, rapporter. Est etiam
publici moris hoc verbum, unde renunciare magistra-
tum, id est nominare & proclamare, ut Cardinalis à
monte pontifex maximus anno superiori à concilio colle-
garum renunciatus est.

Renunciare.

Mihi ne quisquam?] interrogatio negantis.

An tute hoc intellexisti?] Assentatio seruilis, & lau-
dem perspicacitatis seni tribuit: qua scit eum delecta-
ri. Tute ἐμφοσιῶν habet, quasi dicat an per te, & nul-
lius renunciatione?

Irrideor] palpor, adulationibus petor. Nam & Plau-
tus derisores parasites vocat.

Irrideri pro
adulationibus
peti.

Renunciatum est] asseueratio cum stomacho pronun-
cianda, suspicionem assentationis tollens.

Qui?] Ironica repetitio assentationem sentientis.

Quia te noram] Ratio Dauum perstringens.

Quasi tu dicas] velis dicere, & est deprecatio falla-

k cis

cia per ἀναπαύδοτορ, subauditur enim, id dicis.

Non satis me pernocti] Respondet per inficiationem ad dictum heri, quia te noram. Et deprehensam ex verbis senis ipsius suspicionem, purgat à sua persona.

Sirno] grauitatem dicto addit hoc Vocatiuo, quo ad rem probè coniectandam herum reuocat.

Ego ne te?] pernocti. interrogatio purgationem eludentis.

Sed si quid narrare occepi] culpam à se transfert in personam senis. Senes enim vt plurimum sunt suspicaces, autore Aristot. & Occepi significanter dixit, quasi dicat, re nondum pernarrata, & Continuo] id est nulla meditatione & consilio vsus.

Falso] ἐπιπελά.

Mutire. Nihil iam mutire audeo] extenuatione verbi rem amplificat. At Mutire propriè dicuntur mures & sor-

Hiscere. ces. Et hoc verbum sicut & hiscere ad homines relatum, non nisi per interrogationem & negationem vsurpari solet.

Hoc vnum scio] τὸ πρὲν πορ senile seruat, sunt enim senes increduli, eo quòd multis annis vixerunt, & multoties sunt decepti. Vide Aristot.

Nemo fecit. Neminem peperisse] hic vides neminem fæmineo genere positum.

Sed nihilo scius,] astute pramonet quod facturus est, ne id à se commentum esse postea suspicetur senex.

Renuntio] Compositum pro simplici.

Vt sis sciens] ne sis inscius, ne ignores.

Posterius. Posterius dicas] pro postea, & prius habet relatiuum, estq; aduerbium temporis, quòd ad quando redditur.

Dau

Dau consilio factum] tertia persona pro prima vsus est ad inuidiam.

Aut dolis] aut, correctionem innuit: ac si dicat, imo Aut. dolis.

Esse amotam volo] infiniti futuri periphrasis, quæ perfectionem, non tantum actionem significat.

Audiui] ad famam quæ sæpe falsa est, refertur.

Et credo] certitudinem præ se fert hoc verbū, quasi dicat fama est, eaq; certa.

Multa concurrunt] Concurrere dicuntur quæ turba & impetu quodam eueniunt. Metaphora à militibus, qui vno agmine & impetu ruunt, & simul ad inuasionem currunt. Est autem suspicionis senilis confirmatio à contingentibus & signis, quorum turba probationem efficit, autore Fabio.

Qui] aut qui pro vnde, aut quæ auferendi casu legendum.

Iam primùm] initio collectionis locum habet.

Hæc se è Pamphilo] hæc dixit non alij, ipsi itaque non est credendum.

Inuentum est] Passiui præteriti circumlocutio, & innuit se diligenter de re quaesuisse.

Nunc postquam videt.] altera coniectura à tempore.

Hoc nisi fit, &c.] Conditio rem certò cognoscentis, ad asseuerationem.

Nihil mouentur] promouentur heterosis figura.

Quid ais?] interrogatio quasi obiurgantis.

Quis igitur] dissoluit obiurgationem quadam ἀντιπαύσει, quæ fit interdum cum quaestio quaestioni opponitur. Vide Melanch.

k z Ab

Ab illa abstraxit] scitè difficultatem verbo expressit, & officium suum commendat, ut plus sit facultatis ad fallendum.

Nam omnes nos quidem] Ratio ad difficultatis exaggerationem.

Nunc sibi uxorem expetit] antithesis, quasi dicat nunc uxorem expetit, à qua prius abhorrebat, ut mirandam Pamphili mutationem indicet.

Postremò id mihi da negotij] Posteaquam senis suspicionem quoad eius fieri potuit à se amouit, ipsiusq; animum iam ad fallendum preparauit, postulat ut sibi id negotij mandetur.

Id negotij] scilicet ut uxorem velit. Postremò rei summam comprehendit, ut deniq; & breuiter. Gall. bref laissez moy ceste charge.

Tu tamen idem] id est tu ipse. Nam idem instar ipse epitagmatici omnium est personarum. Vide Linacr. Ad nuptias senem impellit, ut doli suspicionem à se auertat.

Id spero adiuturos Deos] à spe diuini auxiliij. Adiuuo eleganter accusatiuo rei cum datiuo personæ iungitur: ut adiuuo tibi onus, spero Deos id adiuturos nobis, aut tò id ad verbum spero referas licet.

Imo abi intro] amandat à se seruum, ne credat fidem suis verbis haberi, utq; illum in metu detineat, quod est sanè prudentiæ senilis.

Et quod parato opus est, &c.] Rursum de nuptijs precipit, ut is sibi persuadeat veras esse.

Non impulit me] ut abijt Dauus, hæc secum loquitur senex, sitq; animi dubius Dauo credere debeat nec'ne. Et significanter impulit, quasi Dauus id totis viribus efficere sit conatus.

Atq;

Atq; haud scio] altera dubitationis pars per correctionem. Et ipsi Dauo penè fidem habet.

Sed paruipendo] supple, sint vera nec'ne. transitio ad filium.

Multò maximum] Cicero. Quanquam frequens conspectus vester multò iucundissimus.

Nunc Chremem conueniam] Parascene ad scenam sequentem, & diuouula ad epitasin.

Quid aliàs] vulgò alia vice.

Nam gnatus, &c.] suum consilium complexione colligit. Aut faciet gnatus, inquit, quod pollicitus est, & nihil supererit, quam ut Chremetis filiam ipsi uxorem impetrem. Aut recusabit & tunc ipsum merito cogere poterò. Ordo est. Nam si gnatus nolit id quod est pollicitus, non dubium est mihi, &c.

Quin eum merito possim cogere] & patrio iure in filium, & nomine promissi.

In ipso tempore] opportunè. Nam Gracis uai p & & tempus & opportunitatem significat.

ACTVS III. SCENA III.

SIMO, CHREMES, senes.



V BEO Chremetem. c. ò te ipsum quærebam.

s. Et ego te. c. optatò aduenis.

Aliquot me adiere, ex te auditum quæ aiebant, hodie filiam

Meam nubere tuo gnato: id viso, tu'ne, an illi infaniant.

s. Ausculta paucis: & quid ego te velim, & tu quod quæris, scies.

k 3 c. Au

c. Ausculto : loquere quid velis.
 s. Per ego te Deos oro, & nostram amicitiam,
 Chreme,
 Quæ incepta à paruis cum ætate accreuit simul,
 Perq; vnicam natam tuam, & gnatum meum,
 Cuius tibi potestas summa seruandi datur:
 Vt me adiuues in hac re : atq; ita, vt nuptiæ
 Fuerant futuræ, fiant. c. ah ne me obsecra:
 Quasi hoc te orando à me impetrare oporteat.
 Alium esse censes nunc me, atq; olim, cum dabam?
 Si in re, est vtriq; vt fiant, accerfi iube.
 Sed si ex ea re plus mali est quam commodi
 Vtriq; id oro te, in commune vt consulas:
 Quasi illa tua sit, Pamphiliq; ego sim pater.
 s. Imò ita volo, itaq; postulo, vt fiat, Chreme.
 Neq; postulè abs te, nisi ipsa res moneat, c. quid est?
 s. Iræ sunt inter Glycerium & gnatum. c. audio.
 s. Ita magnæ, vt sperem posse auelli. c. fabulæ.
 s. Profectò sic est. c. sic hercle, vt dicam tibi:
 AMANTIVM IRAE, amoris redintegratio est.
 s. Hem, id te oro, vt antè eamus, dum tempus datur,
 Dumq; eius libido occlusa est contumelijs,
 Prius quam harum scelera, & lacrumæ confictæ
 dolis,
 Reducant animum ægrotum ad misericordiam.
 Vxorem demus : spero consuetudine, &
 Coniugio liberali deuinctum, Chreme,
 Dehinc facilè ex illis esse emersurum malis.
 c. tibi ita videtur : at ego non posse arbitror.
 Neq; illum hanc perpetuò habere, neq; me perpeti.
 s. Qui scis ergo istuc, nisi feceris periculum? c. at
 Istuc

Istuc periculum in filia fieri, graue est.
 s. Nempe incommoditas deniq; huc omnis redit,
 Si eueniat (quod Dñ prohibeant) discessio. at
 Si corrigatur, quot commoditates, vide:
 Principio, amico filium restitueris:
 Tibi generum firmum, & filia inuenies virum.
 c. Quid istuc? si istuc animum induxti esse vtile,
 Nolo tibi vllum commodum in me claudier.
 s. Meritò te semper maximi feci, Chreme.
 c. Sed quid ais? s. quid? c. quì scis eos nunc discor-
 dare inter se?
 s. Ipus mihi Dauos, qui intimus est eorum confi-
 lijs, dixit:
 Et is mihi persuadet, nuptias, quantum queam, vt
 maturem.
 Num censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc
 velle?
 Tute adeò iam eius audies verba. heus euocate huc
 Dauum.
 Sed eccum, video ipsum foras exire.

COMMENTARIA.

*Nunc fabula congressu senum progreditur ad epita-
 sin. Ex fictis enim vera fiunt nuptia. Chremes ab amicis
 quos allegarat Charinus de nuptijs Pamphili audiuerat,
 eam ob rem Simonem querit, & simo Chremetem, vt
 eius filiam vxorem gnato exoret. Hac occasione conue-
 niunt, vt euentus non consilium esse videatur, quod ar-
 guit Poëta ingenium, qui tam aptè omnia connectit, vt
 non quæsitæ, sed oblata esse videantur.*

Iubeo Chremetem] *supple, saluere, id est, ipse opto*

Et cupio salutem. Antiquus salutandi modus, Et est tertia persona loco secunda.

O teipsum quærebam] ô deprehendentis est.

Optatò aduenis] pro optatus, vel optatè, id est expectatus Et desideratus. tu sois le bien venu. Hic vides senum ciuilitatem.

Aliquot me adiere] causam sui aduentus narrat. Adiere fortè amici Charini, quasi dicat, mihi non quærenti nuntiatum est, Et singula sunt cum pondere pronuntianda.

Ex te auditum qui aiebant] Itaq, Verum sit oportet, cum à te sit auditum.

Nubere. Filiam meam nubere] Grammatici hoc verbum passiuum esse putarunt, cuius periphrasim præteriti passiuui (nupta sum) interdum legitur. Sed non aduertunt hanc Enallagen in verborum generibus vsitatam esse, ut mutat, pro mutatur: precipitat, pro precipitatur: lauit, pro lota sit, Et huiusmodi: in quibus Seruius (se) accusatiuum audit: ita nubo vsurpatur. Nam quæ viro tradebatur, se nubebat, id est velabat.

Hodie] temporis circumstantia aduentus occasionem adiuuat.

Id viso] id eleganter superfluit.

Tu'ne an illi insaniant.] Conceptio numerorum. Tunc insanias, qui hunc rumorem sparseris, an illi, qui ex te auditum simulant, Et est Metaphora à phreneticis.

Auscultra paucis] Oratio generis suaserij, constans distributione loco exordij, propositione, confirmatione, Et refutatione.

Auscultra paucis] Exorditur per diuisionem, Et eadem opera attentionem Et docilitatem sibi conciliat.

Per

Per ego te Deos oro] Propositio petitionis per obsecrationem ab vtili Et honesto. Deos admiscet, quorum gratia facere omnia debemus. Per, in obtestationibus Et Per. adiurationibus, ferè solet separari à suo accusatiuo. interiecto nominatiuo, qui frequentissimè est ego, ut scribit Valla. Verg.

Per ego has lacrymas dextramq, tuam te.

Et nostram amicitiam] Locum honestatis tractat.

Quæ incepta] à tempore amplificat, quasi dicat quæ incepta à pueris ad senectam vsque permansit.

Accreuit] aucta est.

Perq, vnicam gnatum] interponit personas, quarum gratia postulat.

Cuius tibi potestas] à possibili.

Seruandi] tanquam pereuntis. Emphasis.

Ut me adiuues] rem in se transfert, ut beneficium obtineat atque ita delabatur ad propositionem.

Fuerant futuræ, fiant] cacophaton non ingratum. Et Prouocabulū intellectum.

Ah, ne me obsecra] ab reijcientis non petitionem, sed abiectam obtestationem. qua inter amicos minimè est vtendum, ut hinc clemens ingenium Chremetis Et mitè agnoscas.

Quasi hoc orando] supple, id facis. quæ si is sum, quem obsecrare debeas. Gall. comme s'il me falloit ainsi prier pour cela, quasi dicat non is sum, quem ob id debeas obsecrare.

Alium esse censes?] cum interrogatione legendum. Nam benevolentia sua constantiam commendat. Gall. pense tu que ie soye autre que iadis quand ie te la vouloye donner. quasi dicat, non sum immutatus ex eotem-

k s pore,

Atque pore, quo illam tibi dabam. Atque pro quam electiva est positum.

Interest solum.

Si in rem est utrique] vides quid amicum ab amico petere oporteat, nimirum quæ utrique sunt utilia. Est enim iniustitia genus ex aliorum incommodis sua comparare commoda. Est autem amplificatio per Antithesim. Linacer lib. I I I. legit: si in re est, docetq; Interest verbum solutè legi, ut apud Plautum: Vtrumq; veniat nec ne nihil in re est mea. Idem istac in re utrique est maximè. sed in rem etiam apud eum subinde legas, ut in aulularia: Quod in rem utriq; arbitremur. Et ex ijs testimonijs probat ex nomine res hoc verbum componi.

At rō

Ut fiant] sensus est, in quem soluitur infinitum, qui appellatum Dialecticis appellatur, quod vim appellatiui obtinet, & pro basi est verbi, neque ad accersi refertur.

Sed si ex ea re, &c.] altera pars ἀντιθέσεως.

Ut consulas] provideas que tu pouruoyes.

In commune] utrique.

Quasi illa tua sit] hæc summa totius iustitiæ ad quam subinde spectandum, quoties nobis est negotium cum proximo, cuius personam induere debemus, ut iustius agamus cum illo: ipsiq; eadem prestemus, quæ nobis optaremus fieri. sed sæpius amor nostri eas nobis tenebras offundit, ut quid factu sit optimum non peruideamus, aut si peruiderimus, nolimus tamen id facere.

Imo ita volo, itaq; postulo] Imo assentientis, & itaque separatum est. Nam ordo est. & ut fiat ita, id est, ut in commune consulatur, postulo.

Neque postulem] Confirmatio utilitatis à tempore & occasione. Estq; præcipuum huius loci argumentum.

Non

Non postulare nisi ipsa res moneat, At ipsa res monet, itaque postulo.

Postulem] postulare velim aut debeam. deprecatur iniustitiæ culpam.

Abs te] amico, pronomen ἐμφρασιϋ habet.

Nisi res ipsa] utilitas, & commoditas.

Moneat] hortetur & requirat.

Iræ sunt] expolitio est assumptionis superioris syllogismi, At ipsa res monet, videturq; ita à contrarijs colligere: iræ sunt inter eos, ergo gnatus hanc amare destinet. sed consequens paulò aliter variat, spero posse auelli.

Ut sperem posse auelli] à possibili suadet.

Fabulæ] prouerbialis reiectio non credentis.

Sic hercle ut dicam tibi] ἐρωπεικὸς Simonis argumentum resellit per inuersionem, Non extinguitur ira amor, sed multo magis confirmatur.

Amantium iræ] ἡρώμων argumentum probabile præstans. ὄργη φιλόντων μικρὸν ἰσχυρὸν χρόνον. Quod eleganter indicat Mimus Publianus, discordia fit charior concordia. Nam dissidiola hæc inter amantes renouant amicitiam excusso diuturnæ consuetudinis tadio. Vide Eras. Chiliad.

Hem] miserationis vox.

Id te oro] ab opportuno.

Ut antè eamus] occurramus. hoc verbum aliàs præuerrere, & occurrere significat, aliàs excellere.

Dum tempus datur] κενὸς, id est, dum occasio sese offert, quam (inquit Linius) si præteruolare siueris, nequicquam quereris amissam.

Dumq; eius libido, &c.] Expolitio occasionis.

Est

Est occlusa] repressa, translatio à feris.

Contumelia.
Coniutium.

Contumelijs] Contumelia à contemnendo dicta, re fieri solet: Coniutium verbis.

Priusquam harum scelera] Exaggeratio à persona meretricum, qua indignationem mouet, & odium illis conciliat.

Harum] mutat numerum inuidia causa.

Scelera & lacrymæ] insidia. Est enim, autore Seneca Tragœdia quarta, dux malorum fœmina & scelerum artifex.

Lacrymæ confictæ dolis] Mouent animos amatorum, non beneficijs, virtute, aut amore, sed sceleribus & insidijs, lacrymisq; (non veris, sed fictis ad fraudem) ut à Poëta eleganter dicitur.

Sed vobis facile est verba & componere fraudes.

Hoc vnum didicit fœmina semper opus.

Et rursus idem.

Quo non ars penetrat discunt lacrymare decenter,

Quoq; volunt plorant tempore, quoq; modo.

Reducant animum] reuocent. Mimus Publianus. Ab amante lacrymis redimas iracundiam.

Aegrotum] pro agro, Ex Stoicorum sententia loquitur, qui affectus omnes agritudines appellant: nam πᾶσι & disidunt ἐς λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν ἢ ἄδολον.

Vxorem demus] quasi res communis sit utitur anthypotacto modo. Et est cohortatio ab vtili ex effectibus coniugij.

Coniugium.

Coniugio liberali] id est, libera & ingenua vxoris.

Deuictum] aut deuinctum, vtrunque legi potest. Nemo non vincitur consuetudine. Ac nihil est, quod mag

magis cohibeat adolescentes à vago concubitu atque coniugium.

De se emerfurum] Metaphora à periclitantibus in aquis. Obseruent pueri emerfurum transitive accusatiuo iunctum, cuius passiuum nusquam legi annotarunt Emergor pass. quidam. At pro Sestio Cicero, hominem inquit, emersum legi. subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum.

At ego non posse] obiectio periculi & incommoditatis, qua simonis dictum refellit.

Non posse arbitror neque illum, &c.] tres negationes duarum loco. & τὸ neque distinctionis gratia geminatum est. Et geminus accusatiuus Amphibologiam parit, dubium est siquidem vter à priori verbo iungi debeat. Videtur tamen significare gnatum ob Zelotypiam non posse pati Pamphilum, neque etiam se passurum.

Qui scis ergo istuc?] interrogatio incertitudinem obijcientis.

Periculum feceris] expertus fueris. Atque hac significatione periculum à veteri verbo perior ductum existimant, à quo periclitari pro experiri manat. At pro discrimine, est à pereundo, à quo & periclitari interdum in periculo versari significat. Periclitator.

At istuc periculum in filia fieri] facere, variatio per genera.

In filia] obiectio refutatio à subiecto.

Graue est] Metaphora à baiulis, graua pondera ferentibus.

Nempe incommoditas, &c.] Respicit ad superiora. sed si ex ea re plus mali est quam comodi vtriq; &c. Est autem refutatio per comparisonem vtilitatis & damni. Ostendit enim plus Pamphilo boni, quam filiae mali

mali euenturum.

Si eueniat discessio] repudium.

Quod di prohibeant] parenthesis per ἀφουρισμὸν.

At si corrigitur] Metaphora à lignis prauis & tortuosis, quæ recta facere conamur. Quintilianus frangas enim citius quàm corrigas quæ in prauum induruerunt. Et est altera pars antitheseos, quam colligit & auget per congeriem.

Quot commoditates vide] supple eueniant.

Principio amico, &c.] pondus est in singulis verbis. Restitues filium, quo nihil est charius, & amico, cui qui non succurrit adlixi facit, & est suasio ab honesto.

Tibi generum firmum, &c.] qui filiam tuam nunquam sit repudiaturus. Ab utili.

Filiæ inuenies] parabis.

Virum] maritum. Ostendit itaque omnibus in re esse sibi, Chremeti, & filia, & τὸ firmum ad utrumque, generum & virum additur. Igitur in commune consulit.

Quid istuc? Quid istuc?] aduerbium de opinione concedentis.

Nolo tibi vllum, &c.] Metaphora ab heris sordidis & auaris, qui penu seruis claudunt.

Merito te semper] Gratiarum actio post impetratam postulationem.

Maximi feci] amavi, prius pro posteriori, ex aestimatione virtutis amor proficiscitur.

Sed quid ais?] transitio ad id occasionis quod maximum mouet Chremetem.

Quid?] repetitio ignorantis quid ille sibi velit.

Qui scis eos, &c.] Prudenter Chremes omnia diligenter

genter explorat, priusquam filiam suam det Pamphilo.

Discordare inter se] ἀλληλοπαθία, quæ præcipuè ἀλληλοπαθία per duo aduerbia inuicem & mutuò, & vnam propositionem inter, cum aliquo pronomine fieri solet. Vt discordant inuicem & mutuò, discordant inter se. Quæ locutio etiam per partituum alter efferi solet, disident alter ab altero, Amamus alter alterum. Id tamen de inter præcipit Valla, quoties nominatiuus vel accusatiuus præcedit, per sui pronomen esse loquendum. Cicero. Inter se omnes partes corporis quodam lepore consentiunt. Idem. Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse. Cum verò præcedit genitiuus, datiuus vel ablatiuus, non sui, sed pronomini ipse, locum esse. Quintilianus. Grammaticis inter ipsos & philosophos pugna est. Cicero. Nec mihi cæterorum iudicio videtur solum, sed etiam ipsorum inter ipsos consensu.

Ipsus mihi Dauus qui intimus, &c.] Probatio à testimonio Dauis, cui credi oportet. Nam intimus est eorum consilij. Et in (eorum) συλλήβησιν est implicita.

Vt maturem] Maturandi verbum celeritatis habet significationem. Verg.

Maturate fugam. sicut & mature aduerbium. At maturus & maturitas non item.

Num censes faceret, &c.] Confirmatio testimonij ab adiunctis.

Eadem] etiam. Vide Valla.

Tute adeo] etiam. Iam] nunc.

ACTVS III. SCENA IIII.

DAVVS. SIMO. CHREMES.



Ad te ibam, s. quidnam est?

D. Cur vxor non accersitur? iam adue-
sperascit, s. audin' tu illum?

Ego dudum non nihil veritus sum, Da-
ue, abs te, ne faceres idem

Quod volgus seruorū solet, dolis vt me deluderet,
Propterea quod amat filius. D. ego istuc facerem? s.
credidi:

Idē adeo metuens vos celauī, quod nunc dicam. D.
quid? s. scies.

Nam propemodum habeo iam tibi fidem. D. tan-
dem cognosti, qui siem.

s. Non fuerant nuptiæ futuræ. D. quid non? s. sed
ea gratia

Simulauī, vos vt pertentarem. D. quid ais? s. sic est
res. D. vide.

Nunquam quiui ego isthuc intelligere. vah consi-
lium callidum.

s. Hoc audi: vt hinc te iussi introire, opportunè hic
fit mihi obuiam.

D. Hem, numnam perijimus? s. narro, quæ dudum
narrasti mihi.

D. Quidnam audio? s. gnatum vt det oro, vixq; id
exoro. D. occidi.

s. Hem, quid dixit? D. optimè inquam factum. s. nunc
per hunc nulla est mora.

c. Domum modò ibo: vt apparentur, dicam, atque
huc renuntio.

s. Nunc

s. Nunc te oro, Daue, quoniam solus mihi effecisti
has nuptias.

D. Ego verò solus. s. corrigere mihi gnatum porrò
enitere.

D. faciam hercle sedulo. s. potes nunc, dum animus
irritatus est.

D. Quiescas agè igitur, vbi nunc est ipse? D. mirum,
ni domi est.

s. Ibo ad eum, atq; eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam
itidem illi. D. nullus sum.

Quid causæ est, quin hinc in pistrinum recta profici-
scar via?

Nihil est preci loci relictum: iam perturbauī omnia:
Herum sefelli: in nuptias conieci herilem filium.

Feci, hodie vt fierent, insperante hoc, atque inuito
Pamphilo.

Hem astutias. quod si quiessem, nihil euenisset mali.
Sed eccum ipsum video, occidi.

Vtinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipi-
tem darem.

COMMENTARIA.

*Approperat Davus, vrgetq; nuptias, quas tamen no-
lit fieri. Qui vbi cognoscit rem agi serio, consilium suum
detestatur.*

*Ad te ibam] hæc verba festinantis gestum præ se
ferunt.*

*Quidnam est?] mirantis & quid noui expectantis
interrogatio.*

*Cur vxor non accersitur?] captans capitur Davus,
& Epithaseos progressum adiuvat. Nam statim non ro-
gatus*

gatus nuptiarum meminit, & ad eas senes hortatur.

Ego dudum] Oratio suasoria, qua postulat Simo, ut filium Dauus ab amore Glycery reducat. Partes habet exordium, narrationem, & epilogum.

Ego dudum] Principium à sua de Dauo suspitione, cuius benevolentiam conciliat per Antithesin. Et quia odiosa præsunt extenuatione utitur, & culpam cum ceteris seruis cōmunem facit, causamq; plausibilem eius rei affert: nimirum propter amorem filij, quæ culpam minorem facit. Dudum, tum ad longitudinē temporis, tum ad breuitatem refertur, ut hoc loco. Dudum, nuper, paulo antè, ut supra: Narro quæ tu dudum narraſti mihi.

Veritus sum abs te] eandem huic verbo quam alijs metuendi significationem habentibus constructionem tribuit. Nonnihil] rem extenuat.

Ne faceres idem, &c.] τὸ idem indicationem habet sequentium.

Quod vulgus seruorum solet] supple, facere. Et est amplificatio à specie ad genus, & ad culpam minuentem crimen cum ceteris commune facit. Est autem proverbium. Quot serui tot hostes.

Propterea quod amat filius] causa culpam extenuat. Ego istuc facerem?] deprecatio suspitionis cum auersatione pronuntianda.

Idc̄p̄ adeo] Exordium ad causam accommodat.

Quod nunc dicam] attentionem parat.

Nam propemodum] ἀπὸ λόγου ad benevolentiam conciliandam. Habere fidem hoc loco significat fidere potiusquam credere.

Tandem cognosti, &c.] letus laudari Dauus officium suum commendat. Qui] qualis,

Non

Non fuerant nuptiæ futuræ, &c.] Narratio qua causas simulationis aperit, & quid cum Chremete egerit de nuptijs.

Ut pertentarem] ut quid animi de nuptijs haberetis, periculum facerem.

Quid ais?] admirantis.

Sic est res] Res sic habet, & sic, talis ἀντιμεγεία.

Vide, nunquam quiui] simulat se admirari, ut senem calliditatis laude detineat ad assentandum.

Ut] postquam.

Iussi introire] abire, μετὰ ληπτικῶς.

Hem] metuentis.

Numnam perijimus?] Rem conijcit priusquam audiat, sed dubitanter.

Narro quæ tu] praterit quæ otiosum esset repetere.

Quidnam audio?] interrogatio aliquid mali pertimescentis.

Occidi] paulatim ex metu & suspitione ad rei certitudinem peruenit. At Simo ferè audit seruum conquirentem. Ideo rogat hem, quid dixti?

Optimè inquam factum] callidū responsum ad vitandam suspitionem ex vocum agnominacione.

Nunc per hunc] posteaquā diu in metu Dauum detinuit, gradatim ad id quod magis metuebat delapsus est, quasi vno ictu ipsum conficiens.

Atq; huc renuntio] temporum Enallage ad festinationem facti indicandam. Nam quod futurum est, ita effert, ac si iam fieret.

Nunc te oro Dauē] Orationis epilogus per deprecationem.

Quoniam solus mihi effecisti has, &c.] ab effectu l 2 consilij

ἀντιμεγεία.
Græci οὐδὲ
ἔχει.

consilij Davi ipsius desperationem auget, ut cogitet quæ profutura putabat, Pamphilo obesse consilia: tamen si alio animo hæc à sene dicantur. Est enim ratio ad benevolentiam renouandam, & adhortatio ab antecedentibus, quasi dicat, tu incepisti has, fac ut peragantur. Itaque laudem ipsi tribuens, vehementius mordet virum.

Ego verò solus] potest esse repetitio secum tacite stomachantis, aut approbatio dicti Simonis. Nam ἐγωμικὸς aut sine Ironia potest intelligi.

Porrò] aduerbium Græcum à Latinis ascitum.

Potes nunc] facultas ab opportuno.

Dum animus irritatus est] ab ira irritare dici videtur.

Age igitur,] hortantis vox est, aut verbum, ut sit transitus ad aliud.

Mirum ni] ἀναστροφὴ pro nimirum.

Nullus sum] ἐπιδρόμῃ perturbati.

Quid causæ est quin] id est, quæ defensio mihi est, quæ excusatio, quid causabor, ut non eam in pistrinum? quid causæ dicam, ut supplicium effugiam? Plantus in milite. Num quid causæ est, quin in pistrinum dedam? Cicero de lege Agraria. Si doceo, inquit, illa quæ dixit, nunquid causæ est Quirites, quin illa comminatione, qua in me absentem usus est, non solum meam, sed etiam vestram diligentiam prudentiamq; despexerit, id est num repugnare, negare aut inficiari potest? Dicitur in

Quid causæ. Causari. hanc sententiam causari, pro Roscio. Si planum facio te post hanc stipulationem Roscij, sester. ccc. abstulisse, nunquid causare, quin ab iudicio abeas turpissimè victus?

Recta via] nullo remedio.

Nihil est preci loci] hoc unum fuit peccantibus seruis

uis remedium, ut deprecatores allegarent ad veniam impetrandam. Sed ait preces nihil profuturas. Gallicè, les prieres n'auront point de lieu. Prex exoleuit obliquis tantum utimur. Prex.

Iam perturbavi omnia] peccatum suum exaggerat per congeriem, & τὸ iam Epitasin habet. desia, ut non possit malo occurri.

In nuptias conieci] Metaphora à venatoribus, qui feras in rhetia protrudant, aut ab his qui colluctantes in terram cænum'ue deiciunt.

Feci hodie] commemorazione amplificat.

In sperante hoc] Simone.

Inuito Pamphilo] exaggerat à connexis.

Hem astutias] χλασμός. ut Verg.

En agros, & quam bello Troiane petisti Hesperiam.

Aut detestatio fallacie ob infelicem eius euentum.

Quod si quiescem] amplificatio à contrario. Quod cum si, vel nisi, discretionē significat, pro Atqui, Verum.

Vtinam esset mihi aliquid] aqua aut specus. Votum desperantis penè Tragicum.

ACTVS III. SCENA V.

PAMPHILVS. DAVVS.



BI illic scelus est, qui me perdidit d. perij. p. atq; hoc confiteor Iure obtigisse: quando quidem tam iners, tam nulli consili

Sum, seruo' fortunas meas me commisisse futili? Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum id nunquam auferet.

D. Posthac incolumem fat scio fore me, nunc si deuto hoc malum.
 P. Sed quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modò
 Qui sum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
 Nec quid me nunc faciam, scio. D. nec quidem me: atq; id ago sedulo.
 Dicam aliquid iam inuenturum, vt huic malo aliquam producam moram. P. oh.
 D. Visus sum, P. e hodie bone vir, quid ais? viden' me tuis consilijs
 Miserum impeditum esse? D. at iam expediã. P. expedies? D. certè Pamphile.
 P. Nempe vt modò. D. imò melius spero. P. oh, tibi ego vt credam furcifer?
 Tu rem impeditam, & perditam restitues? hem, quo fretus siem,
 Qui me hodie ex tranquillissima re coniecisti in nuptias.
 An non dixi hoc esse futurum? D. dixti. D. quid meritus es? D. crucem.
 Sed sine paululum ad me vt redeam, iam aliquid dispiciam. P. hei mihi,
 Cur non habeo spatium, vt de te sumam supplicium, vt volo?
 Nanque hocce tempus præcauere mihi me, haud te vlcisci finit.

COMMENTARIA.

Expostulat cum Dauo Pamphilus, quòd se in nuptias suo

suo consilio coniecerit.

Vbi illic scelus est] *Initium expositulatiois à persona serui, magnam offensi Pamphili iram indicans. perterret autem vehemèter Dauum. Illic pro ille Comicum Illic est pronomem.*

Scelus] *scelestus per auxesim. sic enim passim Graeci substantiuo vtuntur pro adiectiuo: vt κατάρα pro κατάρατι & c. apud Aristoph. Fit autem relatio & concordia non ad vocem, sed ad rem significatam. vulgus Grammaticorum Synthesin appellat, nulla veterum auctoritate, vt docet Thomas Linacer.*

Qui me perdidit] *in verbo comprehensa est ατιολογία accusationis, nam argumentatur à loco causarum, me perdidit, ideo scelestus est.*

Perij] *trepidat, auditis Pamphili verbis Dauus ipsam querentis.*

Atq; hoc confiteor iure, &c.] *In seipsum culpam transfert seq; accusat quòd seruo auscultauerit, & τὸ atq; confirmationis vim habet.*

Hoc confiteor iure obtigisse] *Argumentatio quadrimembris cuius hac est propositio.*

Quandoquidem tam iners, &c.] *Ratio propositiois ab adiunctis per repetitionem exaggerata. At inertiam hic appellat non ἀπραγμοσύνη, sed animi hebetudinem. Nam iners proprie dicitur ἀτεχνὸς, & μετα- Iners. υυμικὸς pro ignauo pigroq; vsurpatur. Siquidem qui artem nullam tenent, feriari, & otio dare se coguntur.*

Tam nulli consilij] *pro nullius, antiqua inflexio, nulli Nulli consilij. consilij, nullius prudentia.*

Seruon' fortunas meas] *Rationis confirmatio per interrogationem cum amplificatione, & ἐκλειψὲν visita-
 l 4 ta in*

ta in affectibus, nam subaudiendum oportuit ne.

Fortunas meas] *Rei circumstantia.*

Seruo] *conditionis.*

Seruis non fi-
dendum.

Futili] *Vano, & secreta effutienti. Futilis à futio, unde & effutio, dicitur qui tacenda non continet. Metaphora à vasis rimosis. Ceterum Plato de legibus. v. 1. Nihil (inquit) integrum, neque sanum habet animus seruilis, nec quicquam oportet his credere, hominem qui sapiat. & Homerus Odyss. p.*

Ἡμῖσι γὰρ τε νόσ ἀπαμείρεται Δρυόπα Ζεὺς
Ἄνδρω οὐς ἀρ' ἰδὼν κατὰ δολιχὸν ἤμαρ ἔλθοι. id est,
Dimidio mentis depravat Iuppiter illos,
seruilis quoscunq; viros fors ceperit vnquam.

Ergo pretium] *Conclusio argumentationis quadripartita per Metaphoram.*

Ob stultitiam] *pro genitiuo stultitia.*

Sed multum] *Comminatio.*

Id auferet] *perstat in Metaphora.*

Posthac incolumem] *Sic loqui solemus cum benefacta nobis male cedunt. Il ne m'en prēdra iamais ainsī, si ie puis eschapper ceste fois. sed in alium sensum hac dicuntur, nimirū tantum esse periculū, vt si hoc deuitet, nihil posthac esse quod reformidet, sed ita & nostrate lingua dicimus. Si i'eschappe à ce coup ce sera grand fait, Incolumem per Auxesin immunē à periculo significat.*

Sed quid ego nunc dicam patri] *Renouat querelā à persona patris per διαπορέσιμ. & τὸ Μοδὸ ad negabo & pollicitus sum referri potest. & est indignatio ab inhonesto, ac si dicat, negabo nunc posteaquam promisi?*

Qua fiducia] *audacia, expolitio, aut qua fide. Nam fiducia promissionis est species, & inter bonae fidei contractus*

tractus à Cicerone nominatur. Vbi porro, inquit, erit illa formula fiducia inter bonos bene agier oportet? Vnde fiduciam accipere, & committere, de quibus vide Budæ. in Pandect. Hic tamen magis audaciam significare videtur, estq; verbum medium. de fiducia bona Verg.

Fiducia cessit quo tibi diua mei?

Fiducia.

De mala idem.

Tanta ne vos tenuit generis fiducia vestri?

Nec quid me nunc taciā scio] ἀπορία. *Ie ne scay que ie deuiendray. Me pro ego est positum Græca ἀντιπίωσι, aut intelligenda præpositio de, quam statim Dauus exprimit.*

Atque id ago] *atque pro tametsi.*

Dicam] *Dauis sermocinatio, qua sui defensionem meditatur.*

Vt huic malo] *meo ne, an nuptiarum?*

Ehodum bone vir] *Exordium expostulationis cum Dauo per Ironiam.*

Quid ais?] *insultantis interrogatio qua vtimur in crimine confesso, quod neutiquam defendi potest.*

Viden' me] *propositio ab effectis.*

At iam expediam] *respondet per antithesin, & astute loco defensionis promissione liberationis vtitur ad iram minuendam.*

Expediam] *perstat in Metaphora, & τὸ iam celeritatem liberationis indicat.*

Expedies?] *promissionem eludit repetitione eiusdem verbi Ironica.*

Certè Pamphile] *non tantum confirmatione, sed nominis appellatione iratum mollit.*

Nempe vt modo] *supple expediisti.*

b s

Imo

Imo melius] aduerbium non ad spero, sed ad intellectum verbum expediam reddendum est, & ante spero, ut, coniuñctio est audienda, ut solet cum verbis puto, opinor, credo, censeo, & huiusmodi. Non enim dicit se meliora sperare, sed melius expediturum, quam modo, ut sperat.

Oh tibi] refutatio à persona, & antefactis, & auditur verbum vis aut simile. Furciferi non tantum serui sed etiam liberi, qui in furto aliove flagitio deprehensi essent, appellabantur. Hoc tamen initio modo seruorum fuit supplicium, qui ob insignia aliquod flagitium, lignum illud duplex quod plastro supponi consuevit, attollere iubebantur, & traduci per vicinitatem, ad perpetuam improbitatis ignominiam. Vide Plutarch. in problematis.

Tu rem impeditam & perditam] ἀδύνατον cum auxesi à repugnantibus. Res est perditam, non igitur restitues. sed per interrogationem versus est orationis color, & tu Emphasis habet.

Hem, quo fretus siem] ὁπίσθου &.

Qui me hodie ex tranquillis.] Exaggeratio per contentionem, & translatio à mari.

Annon dixi] Amplificatio culpa ab antegressa præmonitione.

Dixi] Concessio criminis per deprecationem.

Quid meritus es?] A more iudiciorum sumptum est. Nam Areopagite peractos reos solebant interrogare, ecquod supplicium se meritos esse putarent. Qui ad miserationem mouendam manus sæpè quam pro facti atrocitate respondebant, itaque eo ipso quod faterentur plecti solebant, & aliquando leniore, si ingenuè peccatum suum

suum agnoscerent, eiusq; pœniteret. Quare dicitur hac potissimum Socratis causa mortis fuisse, quod rogatus ab undecim viris, quidnam putaret se meritum, responderit, ut in Prytaneo publico sumptu aleretur.

Sed paululum] deprecatio obliqua. Non enim petit sibi ignosci, sed ut spatium concedatur excogitandi aliquod huic malo remedium. Nam callidè prospicit hanc promissionem magis profuturam, quam venia deprecationem.

Ad me ut redeam] Metaphora à syncopen patientibus. Dispicere est in omnem partem oculos intendere, omnia discernere, & Metaphoricos mente circumspicere, providere: vide Vallam. Dispicere.

Ut de te sumam supplicium:] Periphrasis vocis gerundi, pro sumendi de te supplicium.

Ut volo] à mon plaisir.

Nanque hocce tempus] Nanque pro aduersatiua frequens est. Hocce tempus, id est presens periculum. Nam Cicero hac voce non semel, maxime numero multitudinis, usus est in hac significatione. Vlciscitur, qui de iniuria vindicat, & qui de iniuria poenas sumit. hoc ad inimicos, illud ad amicos. Nanque pro aduersatiua. Vlciscor.

ACTVS IIII. SCENA I.

CHARINVS. PAMPHILVS. DAVVS.



OCCINE credibile est, aut memorabile,

Tanta vecordia innata cuiquam ut fiet,
Ut malis gaudeant, atque ex incom-

modis

Alterius sua comparent ut commoda: ah

Id'ne

Id'ne verum est? imò id genus hominum est pessimum: in
 Denegando modò queis pudor est paululum:
 Pòst vbi tempus promissa iam perfici,
 Tum necessariò se aperiunt, & timent:
 Et tamen res cogit denegare. ibi
 Tum impudentissima eorum oratio est:
 Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus,
 Proximus sum egomet mihi attamen, vbi fides est,
 Si roges, nihil pudet. hìc, vbi opus est,
 Non verentur: illic, vbi nihil opus est, ibi verentur.
 Sed quid agam? ad eam'ne ad eum, & cum eo iniuriam hanc exoptulem?
 Ingeram mala multa atque aliquis dicat, Nihil promoueris.
 Multum: molestus certè ei fuero, atque animo morem gessero.
 P. Charine, & me, & te imprudens, nisi quid Dii respiciunt, perdidit.
 C. Itane? imprudens. tandem inuenta est causa. soluiisti fidem.
 P. Quid tandem? C. etiam nunc me subducere istis dictis postulas?
 P. Quid istuc? C. postquam me amare dixi, complacita est tibi.
 Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectauit meo.
 P. Falsus es. C. non tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,
 Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres?
 Habeas, P. habeam? ah nescis quantis in malis verfer,

fer, miser,
 Quantasq; hic suis consilijs mihi confecit sollicitudines
 Meus carnufex. C. quid istuc tam mirum est? de te exemplum capit.
 P. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem meum.
 C. Scio, cum patre altercasti dudum. & is nunc propterea tibi
 Succenset: ne te quiuit hodie cogere, illam vt duceres.
 P. Imò etiam (quò tu minus scis ærumnas meas)
 Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
 Nec postulabat nunc quisquam vxorem dare.
 C. Scio vt coactus tua voluntate es. P. mane,
 Nondum scis. C. scio equidem illam ducturum esse te.
 P. Cur me enecas? hoc audi: nunquam desistit instare, vt dicerem esse ducturum patri:
 Suadere, orare, vsque adeò, donec perpulit.
 C. Quis homo istuc? P. Dauos. C. Dauos? P. interturbat. C. quamobrem? P. nescio:
 Nisi mihi Deos satis scio fuisse iratos, qui auscultauerim.
 C. Factum est hoc Dauos? D. factum. C. hem, quid ais scelus?
 At tibi Dii dignum factis exitium duint.
 Eho dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias Inimici vellent, quod nisi hoc consilium darent?
 D. Deceptus sum, at non defatigatus. C. scio.
 D. Hac non successit, alia aggrediemur via:
 Nisi id putas, quia primò processit parum,

Non

Non posse iam ad salutem conuerti hoc malum.
 P. Imò etiam, nam satis credo, si aduigilaueris,
 Ex vnis geminas mihi conficies nuptias.
 D. Ego, Pamphile, hoc tibi pro seruitio debeo,
 Conari manibus, pedibus, noctesq; & dies,
 Capitis periculum adire, dum prosum tibi.
 Tuum est, si quid præter spẽ euenit, mihi ignoscere.
 Parum successit, quod ago, at facio sedulo.
 Vel melius tu aliud reperi, me missum face.
 P. Cupio: restitue in quem me accepisti locum.
 D. Faciam. P. as iam hoc opus est.
 D. Hem: sed mane, concrepuit à Glycerio ostium.
 P. Nihil ad te. D. quæro. P. hem, nunc cine demum?
 D. at iam hoc tibi inuentum dabo.

COMMENTARIA.

Epithasis est alterius partis fabula. Periclitatur enim Charinus de amica, & cum Pamphilo expostulat de soluta fide. Constat autem hæc querela exordio, propositio- ne, contentione, & epilogo. Exordium sumitur à natura perfidorum, qui suis adeò commodis subseruiunt, ut secu- ri aliorum, propter priuatam utilitatem impudenter fi- dem datam fallant. Estq; locus communis quò perfidos detestatur, & eorum mores ac sermones graphice depin- git. Sub finem exordij, dubitatione utitur, & locum communem causa accommodat, & instituit cum Pam- philo expostulare. Deinde sequitur propositio accusatio- nis qua perfidiam ipsi obiecit. Mox contentio quæ ex- aggerationem habet criminis & indignitatem à perso- na, & re ipsa. Tandem concludit per indignantis per- missionem. At Pamphilus concessione criminis. utitur,

& purgatione per imprudentiam, à se culpam remo- uens & in Dauum transferens. Charinus instat, & imprudentiam Pamphili refellit, ipsumq; voluisse conten- dit ab ijs quæ facta sunt, estq; hæc refutatio tota Ironica. Postremo æquior factus intelligit tum demum Dauum in causa fuisse. Porro Dauus quoque defensionem parat, & à se culpam in casum & fortunam transfert: deinde deprecatione veniæ utitur à iusto & honesto, ac pollice- tur se meliora inuenturum.

Hoc cine credibile est:] Exorditur per exclamatio- nem & inuidiam perfidis commonet. Hæc Verbalia in bilis ferè participialium habent significationem, & per infinitum passiuum soluuntur. Fit autem hæc compre- hension per τὸ ἰσοβλήν ad rei vehementiam. Gall. Est il possible croire, ou dire, qu'il y ayt tant de malice en au- cun, &c. quasi diceret, tantam in nonnullis esse natiuam malitiam, ut vix credi, nedum verbis exprimi possit. Vecordia hic non ignauiam stultitiamue significat, sed Vecordia cordis malitiam & prauitatem. Nam & vecors mali- gnus dicitur, qui mali cordis & animi est: siquidem, ve particula significationem deteriore facit, ut veio- nes, qui sunt Dy sinistri & noxy ac mali ioues.

Tanta vecordia] crebritas literæ, a, indignitati gra- uitatem addit.

Innata] ingenita & natua.

Ut malis gaudeant] ἐλλυσιμὸς, nam ad singula- re redditur plurale inuidiæ causa, vide Linacrum lib. v. i. Ceterum quadam sunt adeò virulentæ distortæq; nature, ut scelere & dolis pascantur, gaudeantq; im- pense malefactis. Est autem hoc loco apta descriptio ma- læ mentis, seu ἀνακίας ab effectibus. Itaq; Aristote.

quoz

quoque principes iniustitiae & iniuriarum causas facit
κακίας & ἀργασίας.

Atque ex incommodis alterius] Amplificatio per
contentionem, detestatur autem iniustitiam perfidorum.
Atqui geminus potest esse huius orationis sensus, ex du-
plici significato verbi (comparent) quod aestimant aut
acquirunt significare potest. Vtrunq; sanè iniustitiae est.

Ah, id ne est verum?] Conclusio enthymematis per
antithesin & habitum orationis variata, & subiectio-
nem Rhetoricam. Nam plerunque exordia constant en-
thymematis, raro syllogismis. At hoc sumptum est à loco
causarum, videturq; argumentari à definitione ad defi-
nitum. Quidam sunt adeo recordes, ut ex aliorum in-
commodis augeant sua commoda, itaque sunt iniusti, imò
pessimi.

Veritas. Id ne est verum?] Sincerum, iustum? Est enim ve-
ritas cum simpliciter omnia dicuntur & fiunt, non si-
mulate, estq; fraudi contraria. Cicero. Sunt, inquit, alij
simplices, aperti, veritatis cultores, fraudis inimici.

Imo id genus hominum est pessimum] ἀντιδέ-
σεως pars altera. & superferendi gradu usus est ad
ἀδίκησιμ.

In denegando modo quis pudor] perstat in conten-
tione, & amplificat perfidiam per quandam concessio-
nem. Paululumodò, sicuti & paulummodò simul iungo,
id est tantummodò, ut apud Varronem. Praxiteles pro-
pter artificium egregium nemini est paulummodò hu-
maniori ignotus.

Quis] aliquis. Id est, pudet nonnihil negare quod
ab ipsis petitur: at non pudet fidem datam frangere.

Post] deinde ordinis aduerbium.

Perfici

Perfici] Infinitivum pro voce gerundi, ubi tempus
adest complendi & perficiendi promissa.

Tum necessario] necessitate coacti. Se aperiunt]
id est, recordiam ac perfidiam suam latentem tum de-
mum produunt & indicant.

Et timent] quae promiserint praeferre, aut timent su-
ple, denegare, quod tamen res ipsa cogit negare, ut vult
Donatus. prior sensus mihi arridet magis.

Et tamen res cogit] ἀναούληστον

Ibi tum] alterum abundat.

Impudentissima eorum oratio est] id est, defensio &
ratio, Graecorum more, ut supra honesta oratio est.

Quis tu es?] προσωποποιία rem auget. Sic alloqui-
mur ignotos & extraneos.

Quis mihi es?] ad cognationem refertur. Gallice. que
m'es tu?

Cur meam tibi?] supple, uxore dabo? Tota haec de-
fensio sumpta est à qualitate personae, & propria utili-
tate, quam tractat per comparisonem. Sic enim videtur
argumentari: Tu à me alienus es, nec amicus, nec ulla ne-
cessitudine coniunctus, cur itaq; meam tibi dabo? Nam in
benignitate delectus est habendus. Qui enim mutua
sunt benevolentia, aut foedere societatis, aliove iuris vin-
culo coniuncti, is quatenus per honestatem licet, est
commodandum, sed ne nos damno immodico afficiamus.
Vnde sapienter à vulgari illo poeta dicitur,

Dilige sic alios, ut sis tibi charus amicus.

Heus proximus sum egomet] Alludit ad id quod
supra dixit Birria. Omnes sibi melius esse malle, quam
alteri. Est & Graecorum sententia φίλη δὲ ἑαυτῆ πλείον.
ἢ δὲ ἑὸν οὐδὲνα. id est, nemo quenquam seipso magis diligit.

m

Huc

Huc spectat, Genu supra propius. Tunica pallio propior. quæ παροιμία ex φυλακτικῆ παρὰ τὴν ἀσπίδα proficiscuntur vulgi, quod nihil aliud quam propriam vtilitatem querit.

At tamen si roges] τὰ δὲ ὅτι per indignitatem.

Hic ubi opus non est] amplificatio per ἀντιθετον. Hic in fide liberanda & perficiendis promissis ubi pudere eos oporteret, nihil verentur: illic, in denegando quæ postulatur, ubi nihil pudere opus est, verentur. Videntur hic pudere & vereri nullo discrimine poni? Itaque existimo verecundiam & pudorem differre parum.

Sed quid agam?] διαπόρρησις, quæ exordium vulgare alioqui, ad negotium accommodat.

Et cum eo iniuriam] causam aditus sui adiungit, & τὸ ὅτι, loco ut perfectiui, seu finalis, positum esse videtur.

Ingerere. Ingeram mala multa] Comminatio irati, ingerit mala qui conuictis quempiam petit, Regerit qui lacesitus recriminatur.

Atque aliquis dicat] ἀνθυπόφορα, quam soluit à incundo & voluptate vlciscendi.

Dicat] presens potentialis.

Nihil promoueris] efficies, Metaphora ab euntibus, Gall. tu n'aduanceras rien.

Multum] vox eligendi (imò) est audienda & repetendum verbum συλλαβητικὸς.

Molestus certè ei fuero] τὸ certè, pro elattotica saltem ponitur.

Animo morem gessero] Iracundiæ meæ obsequar. fuero, gessero, ut & promoueris, futura sunt exacta. At ἰσοκωλία & ὁμοιοτέλευτον concinnitatem addunt orationi.

Charine,

Charine, & me & te, &c.] Purgatio confitentis crimen per imprudentiam. Et suspensivæ particula geminatio ad facti vehementiam facit. Scilicet quod non alterum, sed utrunque sua imprudentia perdidit.

Nisi quid Di respiciunt] interpositio ad rei deplorationem. Vbi enim humano remedio nihil loci relictum est, Deo rem omnem committimus. Respicit qui flexo collo afficit quæ à tergo sunt. Interdum usurpant pro eo quod est rationem seu curam habere rei cuiuspiam, siue imminentis siue presentis: proinde qui alibi est intentus, nec in nos conuertit obtutum, hunc dicimus non respicere. Sicuti contra, qui discussis alyis curis cogitationem aliquo vertit, respicere. Quare dicuntur Di respicere, quos aliquando neglectos dignantur suo favore. Quæ quidem significatio est eadem verbo ὄμαῖ Hæbreo, sicuti & Græco ἐπιβλέπω.

Ita ne imprudens?] Ironica repetitio, quæ est depulsio & inficiatio defensionis Pamphili. Inde enim oritur quaestio, an imprudens fecerit.

Tandem inuenta est causa] Causa, id est defensio Causa & probatio. Ut apud Tranquillum in Domitia. Vniuersos, inquit, discrimine liberavit, nec repeti, nisi intra annum, eaq̃ conditione permisit, ut accusatori qui causam non teneret, exilium pœna esset. Itaque tenere causam est probare, & defendere, prouer son fait: & causam inuenire, trouuer moyen de prouer ce qu'on met en fait.

Soluisti fidem] Propositio accusationis. Fidem addicere & astringere dicitur, qui promittit. Soluere non qui liberavit, & promissa fecerit, sed qui fregit fefelleritq̃, quod est perfidiosum & nefarium. Est enim fi-

m 2 des

des iuris totius fundamentum, & honestissimum humanae societatis vinculum; quae à suo ideo dicitur, quod fieri debeant quae fideliter promittuntur. Hinc vides quae ratio sit Metaphora.

Etiā, **Etiā nunc me]** *Etiā pro adhuc, seu praeterea, & ad quādiū redditur, intenditq; verbi significationem. Est autem contentio tertia huiusce orationis pars, quae indignitas mouetur à numeri circumstantia, ac si dicat. Iam me fefellisti, & iterum me subducere postulas?*

Subducere. **Subducere]** *decipere, sicuti Graeci Ἐπάγειν eodem modo usurpant. Aliās hoc verbum significat clanculum summonere, & nullo animaduertente discedere.*

Istis] *tuis, & contemptum significat hoc pronomen,*

Postulas] *optas μεταληψιῶς, quod sequitur pro eo quod precessit, Postulamur enim quae maximè optamus,*

Postquam me amare dixi] *ἡ ἀπόδοσις à communicatione consilij quasi ob id nunc, non antè placuerit.*

Complacita est] *passiuum praeteritum vetustatem redolens,*

Heu me miserum] *ἡ ἀπόδοσις à sua in Pamphilum fiducia per collationem mutuae voluntatis.*

Animum] *mentem, ingenium. At traductio indignitatem auget.*

Spectaui] *αἰσθησαί, id est iudicavi te talem erga me esse, qualis ipse erga te essem.*

Falsus. **Falsus es]** *passiue significat contra quam supra est positū, aut vllam causam, ineptam, saltem falsam, &c.*

Non

Non tibi satis, &c.] *Rursum indignitas exaggeratur per collationem, quasi dicat, non sat habebas Philomenam mihi praeripere, nisi insuper me tuis vanis pollicitationibus ludificareris? Solidum à solo dictum est, quia firmum. Ut extrema terra cutis cui insistimus, quae solum appellatur. Et de quantitate numerisq; dicitur. Vnde Marciānus Capella lib. v. solidam figuram vocat, quae longitudine, latitudine, & altitudine praedita est. Itaq; pro integro & pleno accipitur. Gallicè, massif. Ut annulus ex auro solidus.*

Nisi lactasses] *Lax priscis fraudem significabat, unde lacio verbum, quod & ipsum inueterauit. Huius frequentatiuo lacto vtimur. Est autem blandicijs in fraudem pellicere, allecher. aliās lac praebere, quod proprium est foeminarum, allaiçter. Vnde tracta est Metaphora.*

Et falsa spe produceres] *Epexegetis, produceres, ageres, duceres, heterosis figura. Censent Grammatici, copulatiuas coniunctiones, in verbis praesertim diuersis, similitudinem modorum & temporum exigere, hic aliter deprehendis, vt saepe apud Ciceronem.*

Habeas.] *Permissio quae indignitatis habet plurimum, vice epilogi.*

Habeam:] *Repetitio ad non vera obijcientem, quae vernacula lingua saepe vtimur.*

Ah, nescis.] *Respondet per contrapositum. Cum enim illi obiectum fuisset gaudium à Charea. Non, inquit, in gaudijs versor, sed in magnis malis: & vni gaudio opponit multa mala.*

Quantasq; hic suis consilijs, &c.] *Defensio per criminis remotionem. Transfert enim culpam in Dauum.*

m 3 Confe

Confecit] *rursum modorum discordia.*

Sollicitudines] *numero multitudinis culpam auget.*

De te si exemplum capis?] *Gravis contumelia, Dani enim improbitatem omnem Pamphilo acceptam refert. & Gallicè dicimus, Il ha bien de qui en retirer. Et disertè à iuvenale dicitur Saty. XIII.*

Velocius & citius nos.

Corrumpunt vitiorum exempla domestica magnis cum subeant animos autoribus.

De te si exemplum capit] *s'il te retire de cela.*

Si cognoris vel me vel amorem meum] *defensio à sua persona & amore Et rō vel, distributionis nota, non ab re geminatur. Vel me qui alienus sum ad omni improbitate & scelere, vel amorem meum, aliò quàm existimes collatum.*

Scio.] *Eludit Pamphili defensionem, & imprudentiam eius labefactat. Cum enim duo sint coniecturalis status loci, voluntas & facultas, voluntatem Philumena ducenda Pamphilo esse probat à loco adiacentium seu actorum. Tu, inquit, patri statim assensus es nec repugnasti, igitur voluisti. Sed per Ironiam versus est orationis color.*

Alteco. Cum patre dudum altercasti] *veruste pro altercatus es. Est autem forense verbum. & significat rixari & contendere. Unde altercatio à iudiciorum cuius præcepta tradit Quintil. lib. v.*

Imo etiam] *correctionis formula.*

Et (quo tu minus scis ærumnas meas) per parentheses lego, & subaudiendum censeo (hoc dico) ut ordo sit. Imo etiā (quo tu minus scis ærumnas meas) hoc dico.

Nuptiæ

Nuptiæ non apparabantur, &c.] *Eclipsis hæc frequens est ante (ne) pro ut non, & prouocabulum. Cicero. succisuis temporibus ista curamus, id est nocturnis, ne quid nostris putes cessatum oris. Quam loquendi rationem per quo minus similiter efferas licet. Quintilia. Ideoq; apud Calium legimus, Pelia Cincinnatus, & apud Ciceronem, Hermagora, ne miremur, quod ab antiquorum plerisque Ænea & Anchisa sit dictum. Hanc quoque per quominus commutabis. Sed in hoc genere, Quo, pro ut perfectiua sumitur & potentiale ferè desiderat. Hic verò videtur redditua rationis, ideo indicatio iungitur, qua significatione passim accipi videas.*

Hæ nuptiæ non apparabantur.] *Videtur esse refutatio antecedentis argumenti Charini à loco causarum. Sic enim negatiue ratiocinatur: non parabat mihi pater nuptias, Non igitur ob id potui altercari cum illo, non potuit propterea mihi succensere.*

Nec postulabat] *Expolitio antecedentis, & rursus postulabat pro cupiebat synecdochicōs.*

Nunc quisquam] *Quisquam plusculum habet vehementia quàm particularia reliqua, & cum illius significatione conuenit. Illud autem peculiare obtinet, quod negatione gaudet, vel signo si, vel ne prohibentis, vel interrogacione. Vide Erasmi copiam.*

Scio coactus tua voluntate es] *Hoc firmamentum est seu infirmatio Charini accusatoris, quo rationem imprudentiæ Pamphili conuellit, atque adeo conclusio suæ argumentationis superius posita. Perstat autem in Ironia. Caterum hac proverbiali figura utemur in eos qui se*

m 4

coactos

Eclipsis ante
ne & prouoca
bulum.

coactos quidpiam fecisse videri volunt. Et videtur respicere ad proverbium nolens volens.

Scio equidem illam ducturum esse te] Iam citra Ironiam loquens contrarium ei quod dixerat Pamphilus.

Nondum scis] affirmat.

Cur me enecas?] Interrogatio commoti, ob id quod nolit audiri Charinus, ideo attentionem captat.

Hoc audi] subiungens.

Nunquam destitit] Remotionem criminis, quam supra attigit, explicat per congeriem, & rursum crimen in Dauum transfertur.

Destitit] improbum conatum consulentis significanter hoc verbo exprimit, quem auget circumstantia temporis.

Instare] importunitatis est.

Instare] opera & diligentia.

Suadere] consilio.

Orare] precibus. Auxesis est cum dissoluto.

Donec perpulit] inuitum.

Quis homo istuc?] deservit iam nonnihil Ira, & homo abundat.

Dauus!] repetitio admirantis.

Interturbat] lacrymans id dicit, ideo deficiens est oratio.

Nisi mihi Deos satis scio fuisse] infortunium ad Deorum vindictam refert, more desperantium, de quo Iuppiter 1. Odyss. conqueritur.

O facinus, mortale genus nos numina primum
Incusat causamq; putat, fontemq; malorum.

Irat

Iratos] Proverbium est iratis Dijs. Persius.

-Dijs iratis genioq; sinistro. Horat.

Iratu natus paries Dijs atq; Poëtis. Cicero.

Dij sunt irati huiusmodi Græco. At Nisi, in hac exceptionis figura, indicatiuis semper iungitur, ut statim post. Hac non successit, alia aggrediemur via, nisi id putas, quia primo successit parvum, &c. Cicero pro Milone. Sed iusta tamen & debita pœna soluta sunt, nisi fortè hoc etiam casu factum esse dicimus. Tamen Linacer hic Nisi, pro Sed interpretatur in hellenismis, & Græcam esse enallagen ex Aristophane probat.

Satis scio] satis pro certo. id pueri inuenustè efferrunt Bene scio.

Qui auscultauerim] Linacer addit pronomen illi. qui auscultauerim, id est, paruerim per metalepsim.

Factum est hoc Dauus] Intentio accusantis per interrogationem. estq; enallage generis, pro fecisti hoc Dauus. & auditur ablatiuus cum præpositione, passiuorum proprius casus.

Factum] Concessio criminis.

At tibi Di dignum factis exitium dunt] Cacemphaton ex compressione dentium ob literæ I exilitatem, indignantis iracundiæ seruiens.

Dic mihi] ex postulantibus familiaris interrogatio, Dic mihi. qua & similiter Græci vtuntur εἰπέ μοι, vbi de re nota, aut indigna quempiam obiurgant.

Si omnes hunc coniectum, &c.] Exaggeratio criminis per contentionem. Inimici omnes peius non consulissent, Tu qui amicus es intimus, & seruus, id consulisti? Nisi hic potentiali verbo, per figuram à communi, intellecto iungitur, quia verbum quod in apodofi reddi-

m s tur,

Iratu dijs pro
uerb.

Nisi.

tur etiam est potentialis modi. Verg.

Ni faciat, maria ac terras cælumq; profundum
Quippe ferant rapidi.

Deceptus sum] frustratus & falsus malo consilij
euentu.

At non defatigatus] defessus, Metaphora à labo-
rantibus nimioq; labore delassatis. De animo & corpore
dicitur hoc verbum. Gall. recreuz, At synecdochicos pro-
ceptis desistere frequenter accipitur. Cicero de Oratore.
Profecto nunquam conquiescam, neque defatigabor, an-
tequã illorũ ancipites vias rationesq; disputãdi percepero.

Scio] Ironia.

Hac non successit] feliciter cecidit. Succedere ta-
met si medium sit verbum in cõtingentia significatione,
tamen frequentius absolutè positum, apud probatos auto-
res in bonum sonat, sicuti successus, id est, εὐτυχία, cui
contraria est δυστυχία.

Alia aggrediemur via] decet illatiua vox, ergo,
vel quare. Loco defensionis spem inicit melioris consilij.

Nisi id putas] id est, nisi ita animum despondisti, ut
non speres rem commutari posse in melius. Est quadam
correctio obiurgantis de remisso animo & desperante, ac
si diceret. Si principio malè cecidit, est ne continuò de to-
tius rei euentu desperandum? Reprehendit ἀνανόου-
θία antecedentis.

Quia primò] principio.

Parum processit] per μάωσι rem extenuat.

Conuertit] significanter & propriè dictum, cum de
fortuna & euentu sit sermo.

Quae modo leta manet, vultus modo sumit acerbos,

Et tantum constans in leuitate sua est.

Itaq;

Itaque quidpiam agentibus precamur. Benè vertat. Bene vertat.

Ad salutem] Catachresticos rei salutem tribuit gra-
ui verbo usus, ut indicet non esse tantum periculum,
quin possit in melius referri. At complexionem vitio-
sam esse indicat, nec coherere cum proposito. Non enim
si principium malè cecidit, sequitur exitum infelicem fu-
turum. Nam saepe, inquit Poëta,

Flebile principium melior fortuna sequuta est.

Videtur fallacia τὰ πρὸ τῆς ἀτυχοῦς ὡς ἀτυχοῦς, secun-
dum non causam ut causam. Præterea vitiosa argu-
mentatio deprehenditur, quòd à parte totum infert: Nam
rei cuiusq; est principium, medium, & finis. Erit itaq;
fallacia consequentis, si ita colligas, Principium malè
cecidit, ergo res ipsa malè procedet. Porro est in hoc syllo-
gismo mixtio τὸ ἀδωκτὸς καὶ τὸ ἐπαρχοντὸς, ad hunc
modum. Non potest vllum, quod primò malè processit
malum, in salutem conuertit: hoc malum primò malè pro-
cessit, non potest itaque ad salutem conuertit. Hoc argu-
mentum eludit Dauus.

Imo etiã] correctionis aut attentionis formula, ut supra.

Nam satis credo] paulò antè, sat scio. et τὸ nam vox
expletiva & ornativa est, ut apud Verg.

Nam quis te iuuenum confidentissime nostras,

Insit adire domos?

Si aduigilaueris] ad promissionem Dauis respondet,
quàm urbane & ἐπερμηδὸς in contrarium detorquet.

Ego Pamphile] Purgat se Dauus à casu & for-
tuna. Non enim factum sed voluntatem defendit, cui
fortuna vis & casus obstiterit, & collatione officiorum
vtriusque, sibi ut ignoscatur postulat. Et (inquit) meum
est officium tibi fideliter inservire, ita tuum est mihi
ignoscere,

Nam.

ignoscere, siquid præter meam ipsius spem acciderit. Si-
quidem in factis delictis'ue, non casum neque vim neq-
euentum spectare oportet, sed voluntatem & malitiam:
propterea quod crimina sunt voluntaria, non fortuita
aut violenta. Est enim in hominis arbitrio bene malèue
agere. Ideoq; virtus & vitium habitus voluntary di-
cuntur. Quæ verò casu, fortuito aut vi fiunt, ea iure
puniri non possunt. Non enim fiunt nostra culpa, quæ
sola in vita nobis præstanda est, eaq; cum carcamus,
quidquid euenerit placatè & moderatè ferendum. Ac
magna est hæc philosophis consolatio in aduersis, & à
Cicerone sæpe tractatur. Colligit itaq; hoc modo Dauus à
loco causarum. Qui officium suum facit ex animo, etiam
si præter spem quid euenerit, huic est ignoscendum. Ego
ex animo quod in me est officium meum facio: igitur si-
quid præter spem mihi acciderit, debes ignoscere. Sed
quoniam maior satis per se alioqui manifesta est, relin-
quitur, & enthymemate tantum vsus est: cuius ante-
cedens cum amplificatione recitatur more oratorio.

Pamphile] compellatione nominis benevolentiam ca-
prat.

Hæc tibi debeo] obliqua concessio, & descriptio ser-
uilis officij.

Pro seruitio] causa est sui officij, à fortuna & con-
ditione. Pro seruitio, id est seruitutis nomine. Salust.
Animi imperio, corporis seruitio magis vtimur.

Conari] Conatus quidem eorum quæ aguntur noster
est. Euentus verò fortunæ. Ideo conari tantum ait, non
efficere.

Manibus pedibus] totis viribus. Prouerbialis με-
τωυυία. Totius enim corporis virtus ad operandum, his
potissimè

potissimum membris consistit.

Noctes & dies] semper. σιωνδοχικῶς, ex par-
tibus totum complectitur. Talibus sanè figuris, præcipua
cura, studium & opera significatur.

Capitis periculum adire] vita discrimen subire.
Cicero. subeunda pro patria pericula. Gall. se mettre en
dangér de mort. Nam Latinis caput vt Græcis κεφαλή
& Hebrais כֶּפֶל pro vita accipitur.

Dum prosum tibi] dum, pro dummodo. qua signifi-
catione ferè subiunctiuum aut potentiale desiderat.

Tuum est] supple officium. Consequens est enthyme-
matis.

Siquid euēnit] siquis ferè sub indicatiuo effertur,
rarò cum subiunctiuo. Cum quo si reperias iunctum,
futurum absolutum videri possit, vt apud Ciceronem.
sed quaeso vt scribas quàm sæpissimè non modò siquid
scies, aut audieris, sed etiam siquid suspicaberis.

Præter spem] præter expectationem.

Parum successit quod ago] expositio argumenti per
quandam παρομοιωσιαν ac si diceret, non mea est culpa
quod infeliciter cesserit, qui præstiti syncerè quod potui:
sed fortunæ, quæ meæ quidem optimæ voluntati aduer-
sata est. Vides itaque purgationem esse per casum.

Sedulò] sine dolo syncero & candido animo.

Vel melius] permissio indignantis, loco epilogi, ab
causa suæ æquitate. Quò enim meliori animo quidpiam
facimus in gratiam amici, eò grauius indignamur, si id
non habeat gratum. τὸ vel, stomachantis & indignan-
tis nota est. Cicero in Bruto. Vel mori satius est.

Me missum face] periphrasis Comica, pro mitte me.

Restitue, in quem me accepisti locum] id est, sta-
tum.

tum. Quia enim loco stamus, fit ut ipsa loci appellatio pro statu accipiatur per metonymiam. Atque hinc fit casus immutatio ad Gracum idioma, Nam pronocabulum non ad suum, sed ad præcedens verbum refertur. Retum esset, in locum, in quo me accepisti. Isocrates. τοῖς γὰρ ἄλλοις οἷς ἔχομεν, οὐδέπ τ' ἄλλωρ ζώωρ διαφέρομεν. Vide Linac.

At. At iam hoc opus est] At, quasi cuiusdam attentionis est, & commonitionis particula, ut alibi: At mature, at diligenter.

Hem] indignatur Davus, sed Mysidis egressus à Glycerio, sermonem interrompit, & est parasceue ad sequentem scenam.

Sed mane] verbum non refero ad inuentionem consilij, sed ad attentionem & silentium audito ostij strepitu.

Concrepuit à Glycerio ostium] à Glycerio, ablatiuus cum præpositione est loco genitiui, quæ enallage frequens est Terentio.

Nihil ad te] irati reiectio.

Quæro] consilium.

Hem nunc cine demum] supple quæris? ac si dicat, nunc ne perdita re & deplorata consilium quæris? Gall. en est il bien temps maintenant?

At iam hoc dabo inuentum] plus dixit, quam si inueniam. Videtur enim absolutius quidpiam dici per participium.

ACTVS IIII. SCENA II.

MYSIS. PAMPHILVS. CHARINVS. DAVVS.

Iam



A M ubi ubi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo anime mi noli te macerare.

P. Mylis. M. quid est? hem Pamphile, optimè mihi te offers.

P. Quid est? M. orare iussit, si se ames, hera, iam ut ad sese venias:

Videre ait te cupere. P. vah perij: hoc malum integrascit.

Siccine me, atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier?

Nam idcirco accersor, nuptias quòd mihi apparari sensit.

C. Quibus quidem quàm facilè poterat quiesci, si hic quiescet.

D. Age, si hic non insanit fatis sua sponte, instiga. M. atqui ædepol

Ea res est, propterea quæ nunc misera in mœrore est. P. Mylis,

Per omnes tibi adiuro Deos, nunquam eam me deferturum:

Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines,

Hanc mihi expetiui, contigit: conueniunt mores: valeant

Qui inter nos dissidium volunt: hanc, nisi mors, mihi adimet nemo.

C. Respisco. P. non Apollinis magis verum, atque hoc responsum est.

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,

Quod

Quò minus hæ fierent nuptiæ, volo: sed si id non poterit,

Id faciam, in procliui quod est, per me stetisse ut credat.

Quis videor? c. miser æquè, atq; ego. d. consilium quæro. c. fortis.

P. Scio quid conere. d. hoc ego tibi profectò effectum reddam.

P. Iam hoc opus est. d. quin iam habeo. c. quid est? d. huic, non tibi habeo, ne erres.

D. Sat habeo. P. quid facies? cedò. d. dies hic mihi ut sit satis vereor

Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas:

Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis.

P. Ego hanc visam. d. quid tu? quò hinc te agis? c. verum vis dicam? d. imò etiam

Narrationis incipit mihi initium. c. quid me fiet?

D. Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi diculam addo,

Quantum huic promoueo nuptias? c. Daue, attamen. d. quid ergo?

C. Vt ducam. d. ridiculum. c. huc face ad me ut venias, si quid poteris.

D. Quid veniam? nihil habeo. c. attamen si quid. d. age, veniam, c. si quid,

Domí ero. d. tu Mysis, dum exeo, parumper opperire me hîc. m. quapropter?

D. Ita factò opus est, m. matura. d. iam, inquam, hîc adero.

COM

ut ad summum epitasis procedat, Glycerium quoq; in discrimen venit amittendi Pamphili, quem acceperat eo die uxorem ducturum. Ea gratia Mysidem iusserat Pamphilum accersere. Hæc ancilla interim illius animum erga Glycerium confirmat, & ad nouum consilium parat se Dauus.

Iam ubi ubi erit] Consolatur Glycerium & promittit Pamphilum adducere. Hic vides, ut singulæ voces diligentiam ancilla augeant.

Curabo] non dicitur curasse negotium qui non absoluit. Itaq; se perfecturam pollicetur, non tantum ut inueniatur ubiunque locorum fuerit Pamphilus, sed ut adducatur ad illam, idq; iam, & primo quoq; tempore. Inuentum, & adductum, sunt futuri infiniti pass. periphrases, quæ pro ipso infinito sumuntur.

Tu modo anime mi] blandimentum muliebri. Plato amorem definit ardorem animi in proprio corpore mortui, in alieno viuents. Amici enim animus (dicebat Pythagoras) in amico est: idq; sumus, quod amamus. Alludit itaque ad amicitiam, quæ est autore Aristotele, *μικρα φιλησις*, *δύο σώμασι ψυχῶν*. præterea ad prouerbiū *ἔτοπ' ἄντ' ὁ φίλος*. Modo] tantummodo.

Noli te macerare] affligere, effectus pro causa. sollicitudo enim & afflictio animi maciem contrahit. Plautus. Ego qui tuo mærore maceror, macesco, consenesco, & tabesco miser.

Optumè te mihi offers] opportunè mihi fis obuiam.

Orare iussit, si se ames hera] ut probè ad benevolentiam heræ comparandam loquitur.

n Iussit

Iulsi] desiderium vehemens indicat.

Orare] non dicere. Et si amica desiderium id impetrare debet, quanto magis preces?

Reciprocum
pro relatio.

Si se ames] per amorem, aut tuum sui amorem probatura. Reciprocum est primitivum pro relatio, ut ex sententia rite ordinata apparet sic, Hera te orat, ut ad se venias si ames se, pro eam vel ipsam. Sic enim locutus videtur Caesar in Comment. Ariovistus respondit, siquid ille à se velit, illum ad se venire oportere. Aestimetur num utroq; modo liceat loqui.

Videre ait cupere te] apta causa & amatoria ad commouendum Pamphilum.

Vah perij] renouatio querelæ ob Glycerij sollicitudinem.

Hoc malum integrascit] augetur. Translatio ab his qua ad perfectionem & integritatem, per incrementa perueniunt.

Siccine me] supple, oportet.

Me atq; illam miseros] σέληνις generum.

Solon. Sollicitarier] in sollicitudinem conijci. Solon vetere lingua totum significabat, teste Pompeio, hinc sollicitus quasi totus citus, id est, agitur.

Nam idcirco accersor] causam conijcit à rumore nuptiarum, ut spectatores doceat qua de causa accersatur, utq; sit turbulentior epithasis.

Senlir] audiuit, genus pro specie, Nam & auditus sensus est.

Quibus quidem] videtur audienda prepositio, à, aut synonyma.

Quiesci] quies agi, tranquillitas ab his malis fieri, & in securitate versari. Si hic] Dauu.

Quiescet

Quiescet] nihil tentasset. Ιουδα ἀντανάλασις. Nam Quiescere, quiesci, ad tranquillitatem animi & periculorum immunitatem, Quiescet, ad laboris cessationem refertur.

Age] dehortantis increpatio per Ironiā. Si] pro quia.

Non insanit] commotus est. Insaniam Philosophi dicebant, mentem tranquillitate & constantia vacuam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit. Hic autem graui verbo usus est, ad iracundia magnitudinem indicandam.

Sua sponte] Vltro, & per se.

Ea res est] ea causa, apta occasio confirmandi Pamphili Glycerio.

In moerore est] mæret, mæsta est, πειρασίς honesta.

Per omnes tibi adiuro Deos] Adiuratione fidem Glycerio datam confirmat.

Nunquam eam me deserturum] amphibologia ex constructione.

Non si capiendos mihi, &c.] negatio abundat, nam ea detracta, idem seruetur sensus. Sed tamen cum quadam vi repetitur, estq; hoc non dissimile huiusmodi locutionibus: neque errarent, ne aduersarij quidem. Non eam, ne nunc quidem. & τὸ Si pro etsi composito subiunctiuo astruitur, ut hic vides.

Capiendos] reddendos, notanda phrasis. Propositio est adiurationis cum amplificatione à maiori, tamen si omnes homines mihi forent inimici, nedum ipse pater.

Hanc mihi expetui] Ratio à contingentibus. Et expetui hanc, non illa me.

Contigit] obuenit. Non hic casum fortuitum significat, sed consilium, contigit, quia expetui.

Conueniunt mores] similitudo amoris parens est

Similitudo amicitiae cauta.

Et altrix, eaq̄ maximè in deligendis Vxoribus spectanda. Nam Physici non solum temperamenti nutritionis, familiaritatis siue consuetudinis, sed etiam eruditionis, consilij, studiorum, affectuum similitudinem amicitiae causam esse voluerunt. Astrologi causam ad planetas referunt. Siquidem in quorum Genesi commutatio luminum, id est Solis & Lunæ fuerit, ut si puero nascente Sol in Ariete, Luna in Sagittario fuerit: Fœmina verò nascente, Sol in Sagittario, Luna in Ariete, amorem inter hos facile contrahendum existimant, Aut si idem signum est in Genesi, aut simile, similis'ue planeta ascenderit, aut idem Benigniꝫ planeta similiter angulum Orientis aspexerint, Aut Venus in eadem domo natiuitatis eodemq̄ gradu fuerit, aut secundum Platonicos, cum idem demon aut similis, vitam vtriusq̄ ducit. Ceterum hæc concisa oratio facit ad vehementiam.

Valeant qui inter nos] Conclusio argumentationis. Valeant, discedant, abeant. Nam hoc verbo utimur in digressu, & Græci χαλπεῖν in hunc sensum usurpant, *Disidium.* Ut Aristophanes in Pluto χαλπεῖν dixit. Disidium propriè viri est disunctio ab vxore.

Nisi mors] supple, adimet, Zengma.

Respisco] animum recipio, quem timore amiseram, & ad priorem statum mentis redeo.

Non Apollinis] Comparatio prouerbialis ad rei certitudinem & veritatem. Nam Delphis oraculum fuit Pythij Apollinis omnium celeberrimum, ex omnibus totius orbis nationibus visum: vnde quæ certissima & verissima intelligi vellent, prouerbiali figura ab Apolline responsa esse dicebant. Plautus pseudulo. Quod sciero, Delphis responsum esse dicito. Cicero ad Brutum. Hæc

ex

ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta: nihil potest esse certius. At Delphos (ut id obiter dicam) oppidum fuit Phocensium supra Achaiam.

Responsum] oraculum.

Si poterit fieri] Occupatio tacita de patre, quam soluit per complexionem: & modestè loquitur de illo, quem sanè nolit offendere, si possit fieri. Tamen fidem coniugalem paterna pietati præfert.

Per me stetit] honesta locutio, id est mea causa, me impediante. Cicero x. Episto. Postquam de meo cursu Reipubl. sum voce reuocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui. Idem. Senatus haberi ante calendas Februar. per legem Papiam, id quod scis, non potest.

Sed si id non poterit] supple fieri. altera pars complexionis.

In procliui] in promptu, in procinctu, eadem ratione dicuntur. In procliui quod est, id est obuium facile & paratum. Metaphora ab his quæ propendent & inclinant deorsum, quæ facile deiciuntur ac propelluntur. Plautus & Caesar, procliue, pro facili simpliciter dixerunt. *In procliui esse.*

Quis videor?] interrogatio, miserationem mouere cupientis, qua utimur conquirentes de miseris nostris. que vous semble il de moy? aut confessionem & laudem fortitudinis captat à Charino ut vult Donatus: ac si diceret, videor ne tibi fortis, qui ut fidem Glycerio datam seruem, patri etiam aduersari statuerim?

Miser æquè atq̄ ego] atque id est ac, quàm. Nam Atque, ac quàm, post item, æquè, perinde, pariter, similiter, iuxta, collationem seu comparisonem significant, sed propriè in quantitate. *Atque, ac, & quam.*

13 3 Consi

Consilium quæro] *incertum est quid agam, nam cui incertum est quid agere debeat, quærit consilium.*

Fortis] *ἀνδραγαθός es, supple. Nam fortitudo in eis rebus est, quæ formidolosa videntur, ut inquit Cicero. Et fortis.*

Fortia qui aduersis opponit pectora rebus. Horatius.

Scio quid conere] *scio quod animum induxeris, patris vim ferre, itaq; fortis es.*

Hoc ego tibi profectò effectum reddam] *hoc, consilium.*

Effectum reddam] *plus dicit quàm suprà, inuentum tibi dabo.*

Iam hoc opus est] *Instat ob nuptias breui celebrandas. Idem quoq; paulò antè dixit.*

Quin. Quin iam habeo] *consilium. Quin in contrario auget. Ut alibi, Quin ipse hinc euolare cupio.*

Huic habeo non tibi] *huic Pamphilo, triuiale est pro hoc.*

Ne erres] *ne fallaris. à fin que tu ne t'abuses pas.*

Sat habeo] *mibi satis est, si huic habeas. Non enim potest Pamphilo consuli, quin etiam ipsi Charino consulatur. Cedo] dic,*

Dies hic] *si consilium suum aperuisset, minus attentum in sequentibus habuisset spectatorem. Itaq; excusat se à temporis angustia.*

Vt. Ut sit satis] *Ut, cum verbis metuendi, negationem sepe includit, ut, pro ne non. Quo in genere sermonis id obseruandum, propè fieri, ut negatio (cum ipsa significatur) aut non ponatur, aut geminetur. Ut hic, veretur ne parum sit temporis ad fallaciæ executionem: ut alibi, Metuo ut subsit hospes, metuit discessionem hospitis. Contra,*

trà, cum negatio non intelligi videtur, tum potissimum additur, ut paulò antè. Ego, inquit, dudum nonnihil veritus sum, Daue, abs te, ne faceres idem quod vulgus seruorum facit, dolis ut me deluderet. Significat se timuisse ab ipsius fraudibus. Cicero. Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem. Intelligit se posse sustinere. Vide Camerarium in primam Tusculanam.

Sit satis] *sufficiat.*

Ad agendum] *consilium exequendum.*

Ne vacuum] *otiosum, catachrisis, ita & vacuo animo esse dicimus, id est otioso.*

Ne credas] *eadem figura, qua dictum est antè, Ne erres. In qua subaudiendum est (hoc dico.)*

Proinde vos hinc amolimini] *Amoliri est rem aliquam molis multæ difficulter tollere. Significat & eludere, abigere, & refellere: unde fit Amuletum, id est, remedium valentissimum.*

Ego hanc visam] *hanc Glycerium. Iam tandem fudit Davi consilio.*

Quid tu?] *Charinus remanserat, hunc quoque abire optat. Loco (Quid) Gallicè coniunctione utimur. Et toy?*

Quo hinc te agis?] *Perstringit Charini stupiditatem. Aguntur enim bruta, quæq; alterius ductu indigent.*

Verum vis dicam?] *Preparatio est narrationem incepturi.*

Imo etiam] *quin etiam, correctionis formula, de qua satis scena superiori diximus.*

Quid me fiet?] *Cicero. Quid hoc homine facias? Idem.*

Et si nos praemet eadem fortuna. Quid puero misero fiet?
 Dieulam addo.] Dies, inquit Asconius, faemino
 genere tempus significat: & ideo diminutiue Diecula
 dicitur breue tempus ex mora. Fortasse alludit ad ani-
 malcula & insecta, quae ἐπιμύδα dicuntur, quod vno
 die nascantur & cum sole occidunt.

Quantum huic promoueo nuptias] promoueo,
 protraho. Alias promouere significat progressum facere.
 aduancer, hoc festinantis est ad rei absolutionem, illud
 recusantis ac procul amouentis.

Daue attamen.] Eclipsis Verecundi, supple quare,
 & perstat in ἠθωποιᾷ Charini, quem minus cordatum
 facit quam Pamphilum.

Quid ergo] vis.

Vt ducam] ridiculè instat, vt sui amoris impoten-
 tiam indicet.

Huc face ad me vt venias] periphrasis abundantis
 orationis frequentissima, pro huc ad me veni.

Siquid poteris] efficere.

Quid veniam?] Recusantis repetitio.

Attamen siquid] habeas.

Age veniam.] Concedit tandem, vt se Charino ex-
 pediat.

Siquid] me velis, aut siquid effeceris.

Tu Mysis] ingreditur domum Glycerij, iubetq; hac
 Dum. vt pro foribus expectet, dum exeat. Dum de re praesenti
 non perfecta, indicandi modum postulat. Verg.

Tityre dum redeo, breuis est via, pasce capellas.

ACTVS

ACTVS III. SCENA III.

MYSIS. DAUVS.



Nihil'ne esse proprium cuiquam?
 Dñi vostram fidem.

Summum bonum esse heræ putabam
 hunc Pamphilum,

Amicum, amatorem, virum in quouis loco

Paratum: verum ex eo nunc misera quem capio

Dolorem: facile hinc plus mali est, quam illic boni.

Sed Dauus exit, mi homo, quid istuc, obsecro, est?

Quo portas puerum?

COMMENTARIA.

Remanet sola in scena Mysis, quae vt spectatorem de-
 tineat, & ne sit κωμῶν πρόσωπον, de rerum inconstan-
 tia queritur.

Nihil'ne esse proprium cuiquam?] Exorditur à
 querela. Est autem inductio imperfecta, quam oratorio
 more praeposterè colligit ad hunc modum: Pamphilus
 Glycerio amicus erat, amator & maritus, At is iam
 immutatus est: itaq; nihil diuturnum & stabile cui-
 quam potest accidere. Intelligitur autem, verumne est?
 decet, oportetue, aut simile, ad orationis absolutionem,
 Autore Valla, quae eclipsis affectibus est aptissima. Estq;
 locus communis seu deois, ex qua statim ad ἐπιθέσειν
 delabatur, quod vt fiat praecipuunt Rhetores.

Proprium] firmum, constans, durabile & perpe-
 tuum. Quod enim (vt scribunt Philosophi) verè &
 κατ' αὐτὸν proprium est, natura in vniuersa specie inest,
 & eadem soli atque semper inest, vt erudibilem esse.

n 5

Indè

Inde fit, ut proprium perpetuum significet. Verg.

Connubio iungam stabili propriamq; dicabo.

Dicitur & proprium, quod est privatum & singulorum, oppositurq; communi. Cicero ad Torquatum. Tamen illa quae requiris, statum suum tenent, nec melius (si tu adesses) tenerent, nec sunt ullo in proprio periculo id est praecipuo & privato, quod non sit commune cum ceteris.

Cuiquam?] interrogatione per signum infinitum variae propositionem generalem, vel ut vocant, universalem.

Fides. Di vestram fidem] Fides auxilium, praesidium, & tuitionem significat, proprie quidem maiorum in subditos, ut deorum in homines, patronorum in clientes, dominorum in servos, principum in plebem, & sua ditioni subiectos. Quibus ut observantiam obsequiumq; debemus, ita ea nobis fide sunt obstricti: ut iniurias a nobis propulsare, & fortunas nostras ipsi defendere debeant, quoties horum fidem, id est, auxilium imploramus. At hanc vocem ista significatione vix aliter reperias. Cicero in divina. Scit hoc Caius Marcellus, scit is quem adesse video Lentulus Marcellinus, quorum fide & praesidio siculi maxime utuntur. hic vides ut verbum hac synonymia explicet. Idem hoc profecto tempore eam potestatem omnem habetis, ut statuatis, &c. An diu vexati a perditissimis civibus, aliquando per vos ac vestram fidem, virtutem, sapientiamq; recreemur?

Summum bonum] Sententiam generalem negotio accommodat, & alludit ad Philosophorum placita, qui omnes quidem consentiunt, summum bonum felicitatem esse: sed quibus in rebus sita ea sit, inter ipsos pugna est.

Summum bonum] summam felicitatem.

Amic

Amicum, amatorem, virum] his tribus, arctissimum amoris vinculum exprimit, & ad tria amicitiae genera alludit. Nam tria omnino esse dicuntur, propter quae homines amare solent, Honestum, vile, & incundum. Amicitia quae a virtute & honestate proficiscitur, ea demum stabilis est & firma: & qui sese mutuo diligunt καὶ ἀδ' αὐτῆς, id est, ob mutuas animi dotes, amici verè sunt, & nominantur. Qui verò τὴν ἡδονὴν & voluptatem sectantur, proprie amatores non amici dicendi sunt. Eaq; amicitia (ut & ea quae ab utilitate oritur) inconstans & infirma est: voluptas etenim fugax, & momentanea ut plurimum esse solet. Et qui utilitatem sequitur, ea quidem ablata, amicus esse desinit. Porro coniugum societas, quae non tantum priora spectat sed potissimum utilitatem, eam penè affert necessitatem, ut sine hac (inquit Marcellus apud Gellium) commodè vivi non possit. Nam, αὐτοῦ Σαπiente illo

Amicus, vir, amator.

הַקְהֵלָה. כַּפ. ח. טוֹבִים הַשְּׂוִים מִן הַחֲבֵרִי:

כִּי אִם יִפְלֶג הַחֲבֵר יָקִים אֶת-חֲבֵרֹו

וְאִי לֹו הַחֲבֵר שִׁיבֵל וְאִין שְׂוִי לְחֲקִימוֹ:

Id est. Beatiores sunt duo, unico. Quia si corruerint, alter eriget sodalem suum. Ve autem illi qui solus est, qui cadens non habet secundum qui erigat ipsam. Itaque amicus, πρὸς τὸ καλὸν: amator, πρὸς τὴν ἡδονὴν: vir, τὸ χρῆσιμον spectat. Praeterea qui meretrices amant, amatores: qui pellices & concubinas, amici: qui uxores, viri maritiq; appellantur. Quod indicat Demosthenes adversus Neeram τὰς μὲν γὰρ (inquit) ἑταίρας ἡδονῆς ἔχει ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς δὲ καὶ ἡμέραν δεῖται

Ἰσπαρίας ἔσονται, τὰς δὲ γυναικας, ἔπειθοποιεῖται γυνώσκω, καὶ ἔπειθον φύλακα πρὸς ἑχέειν. Id est, voluptatis causa habemus meretrices: Concubinas verò famulitij & cura quotidiana gratia corporisq; uxores autem, vt legitimos filios tollamus, habeamusq; rei domestica fidam custodem. Quare Amator, meretricis: amicus, concubina, qua & vxor esse censetur: vir vxoris & matrisfamilias esse dicitur. Cum verò instar omnium, Pamphilo, sit vna Glycerium, illaq; fideret hunc vicissim amatorem, amicum, & virum firmum sibi futurum, veretur ancilla, ne immutatus sit, vtq; ad extremum in amicitia permaneat. Quamobrem queritur nihil cuiquam in vita esse perpetuum.

In quouis loco paratum] Hoc ad vim patris referre videtur, cui aduersari etiam Pamphilus debeat, ex vi ri boni officio. Nec enim, inquit, Ouidius.

Est turpe marito,

Aspera pro charo bella tulisse thoro.

Verum ex ea] aduersatiua ad commiserationem.

Facile. Facile hic plus mali est] facile, haud dubie. Cicero pro Rabirio. Virum vnum totius Graeciae facile doctissimum Platonem.

Plus mali, quam boni in amoribus.

Hic plus mali est] amplificatio per contentionem. Hic in Glycerio plus mali est & doloris, quam illic in Pamphilo, boni. Nam disertè à Poëta scribitur.

Quod iuuat exiguum est, plus est quod laedit amantes,

Proponant animo multa ferenda suo.

Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in hybla

Cerula quot baccas Palladis arbor habet,

Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores.

ACTVS

ACTVS IIII. SCENA IIII.

MYSIS. DAUVS.



MYSIS, nunc opus est tua Mihi ad hanc rem exprompta memoria, atque astutia.

M. Quidnam incepturus? D. accipe à me

hunc ocyus,

Atq; ante nostram ianuam adpone. M. obsecro,

Humine? D. ex ara hinc sume verbenas tibi,

Atque eas substerne. M. quamobrem id tute non facis?

D. Quia si sortè opus sit ad herum iusiurandum mihi

Non apposuisse, vt liquidò possim. M. intelligo.

Noua nunc religio te istæc incessit, cedò?

D. Moue ocyus te, vt quid agam, porro intelligas.

Prò Iuppiter. M. quid? D. sponsæ pater interuenit:

Repudio consilium, quod primùm intenderam.

M. Nescio quid narres. D. ego quoque hinc ab extra

Venire me adsimulabo: tu, vt subseruias

Orationi vtcunque opus sit verbis, vide.

M. Ego, quid agas, nihil intelligo. sed si quid est,

Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,

Manebo: ne quod vobis remorer commodum.

COMMENTARIA.

Dauus mandat ancilla, vt puerum apponat ante heri ianuam, sed Chremete interueniente, mutat consilium.

Mysis, nunc] exorditur à propositione, vt Dauis præ properum

properum & subitum indicet consilium. Deinde narrat quid fieri velit.

Exprompta memoria atque astutia] Memoria, ad percipienda quae sunt mandaturus, & astutia, ad prudenter ea exequenda.

Participiū loco verbi. Exprompta] parata. Quae enim in promptu sunt, parata & facilia solent esse. Sed participium loco verbi est positum, ac si diceret. Nunc peropus est tuam memoriam atque astutiam expromere. Necessesse est tuam illam qua prae data es, memoriam & calliditatem exeras. Et ita proponendo benevolentiam conciliat & attentionem.

Quid nam incepturus? es. Quid inceptas?

Ocyus. Accipe à me] τὸ ἀ me redundare videtur, nisi quod se puerum gestare significat.

Ocyus] à Græco ὀκύ originem suam habet.

Obsecro] hoc verbo utimur, ubi absurda & iniqua aut dicuntur aut imperantur.

Humi genitiuus. Humine?] apponam. ὀλλυμίς. Humi nonnihil videtur differre à ceteris genitiuis domi, militiae, belli, qui in loco significant, & ad ubi redduntur: Nam humi, aliàs super humum significare videtur, ut hoc loco. Aliàs in humum, vel ad humum. Verg.

Nec prius absistit quam septem ingentia victor Corpora fundat humi.

Et per hanc interpretationem autores nonnūquam loquuntur. Tacitus. Proiectus in humum. Ouid.

Vipercos dentes in humum pro semine iactos.

Aliàs intra humum. Collumella. Latius sese frutex humi diffundit.

Humine?] femineum decorum seruat, sunt enim feminae viris humaniores.

Ex

Ex ara hinc sumæ verbenas] scribit Pollux in scena aram fuisse, quae halieus diceretur, redimitam frontibus, & propè hanc mensam bellaria & aromata continentem, quae Theoris appellabatur. Quidam dicunt, hanc ere etiam fuisse in Apollinis honorem, ut scribit Caellius lib. III. cap. xxxi. Donatus autor est duas aras in scena poni solitas, dextram in honorem liberi patris: sinistram in honorem eius Dei cuius gratia ludi celebrarentur. Hinc] pro hac.

Verbenas] sagmina prisca vocarunt, id est, sacras herbas. Nam verbenaca Græcis etiam ἱερὸβοτάνη dicitur, de qua lege Plini. lib. xxv. cap. xix. hac Deorum ara verrebantur, & purgabantur aedes. Horatius Ode. xix.

Verbenas pueri ponite thuraq;. Et alius.

Verbenas adole pingues & mascula thura.

Quia si forte opus sit ad herum] ridicula ratio.

Iurandum mihi non apposuisse] Aut appellativum ius subauditum est, aut vox gerundi erit pro infinitivo. Alterum enim alterius vice poni frequenter videre licet. Et, Ad herum, interpretatio dativi est, pro quo saepe Terentius utitur: ut alibi, nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro. Ut sit sensus. Si iurandum fuerit mihi opus. Aut si opus sit ad herum iurare. Vel post opus sit, distingui potest oratio, & audiendo coniunctionem copulativam, si repetendum, hoc modo. Si forte opus sit, et si iurandum sit mihi ad herum, &c. Quasi velit dicere. Si ea mihi incumbat necessitas, ut mihi sit iurandum non apposuisse, &c. Et ita (opus sit) per pleonasmum superfluit. Tametsi opus est, ad commoditatem: iurandum, ad necessitatem refertur.

Liquido

Liquido] *constanter, sine vllō violatæ religionis scrupulo, sine vlla dubitatione. Nam ea erat in iureiurando religio, in ferendis sententijs, & in testificando, vt etiam de rebus certissimis & exploratis, sibi ita videri, se ita arbitrari dicerent, ac si de ipsis non liqueret. Qui verò tali exceptione non vteretur, liquido iurare, testificari, aut iudicare dicebatur.*

Religio. Noua nunc religio] *urbana irrisio in eum, qui alio qui periurus & impius, noua religione tangitur. Est autem religio, verus numinis cultus, cum obseruatione mandatorum ipsius: à religando, autore Lactantio Firmiano, quòd Deo Opt. Max. hoc pietatis vinculo obstricti, & religati simus: seu, vt vult Cicero, à relegendo. significat & sollicitam curam anxiamq; cum Deorum metu, quam conscientiam vulgò appellamus. Vnde religionem esse. Faire conscience. Plautus. Religio fuit, denegare nolui. In religionem vertere, exoluere religione, & obstringere, de quibus consule Budæum in Pandectis.*

Religio est.

Noua] *insolens.*

Incessit. Incessit] *subijt. Non est hoc loco monitu alienum, hoc verbum ferè nominibus affectuum adhiberi, vt metus, cupiditas, cura formido incessit. Ac cum accusandi casu nocumentum & offensam præ se fert. Linius. Omnium animos formido inceserat. Id est, inuaserat. Secus autem cum datiuo. Vt Cupido, suspicio incessit mihi. Linius. Grauior cura patribus incessit.*

Moue ocyste] *agendi celeritatem hoc aduerbio significat. despesche, haste toy.*

Porro intelligas] *Porro non hîc sententiæ discessionem significat, sed affirmationem, vt eius Isodynamon verò.*

Verò. Cicero. *sape præsens & illi ostendisti, & verò etiam mihi.*

Prò Iupiter] *exclamat conspecto Chremete.*

Quid?] *Interrogatio perterrita Dauis exclamatione.*

Sponsæ pater interuenit] *Interuenit præsens est, & proferendum penultima breui, quæ in perfecto præterito longa foret.*

Repudiò consilium.] *Metaphora à re vxoria. Sicuti intenderam, à sagittarijs scopum petentibus, aut à venatoribus, retibus feras captantibus.*

Subseruias] *temet accommodes orationi meæ.*

Vt cunque] *Enallage secunda, pro qualibuscunq; verbis. Hac dicens abit, priusquam technam illius Mysis intelligat: quæ causa est, vt hæc præter rem scena proxima Dauo respondeat, ac ferè prodat ipsius commentum.*

Ego quid agas] *velis agere, alloquitur abeuntem, & se subducentem ne à Chremete videatur.*

Si quid est quod] *ἤναλλαγὴ πλώσεως. Quod, pro in quo, vt Græci τι. pro κατὰ τι. hîc autem & in similibus, τὸ quod pronocabuli naturam seruat.*

Aut tu plus vides,] *præuides, supple, quã ego, ἀναρταπόδοτορ. & translatio à corpore ad animum.*

Ne quod vestrum remorer commodum] *id est ne sim impedimento vestris commodis. Videtur Metaphora à nauibus quas remora piscis nonnunquã detinet impeditq;. Inducitur hîc Mysis prudens & heræ amans.*

ACTVS IIII. SCENA V.

CHREMES, MY SIS. DA VVS.

Reuertor, postquam quæ opus fuere ad nuptias Gnatae, parauit, vt iubeam accersi. sed quid hoc?

Puer

Puer hercle est, mulier, tun' apposuiſti hunc? M. vbi illic eſt? c. non mihi reſpondeſ? M. hem, nuſquam eſt: væ miſeræ mihi.

Reliquit me homo, atq; abiit. D. Diſ voſtram fidem, Quid turbæ eſt apud forum? quid illic hominum litigant?

Tum annona cara eſt, quid dicam aliud, neſcio.

M. Cur tu, obſecro, hîc me ſolam? D. quæ hæc eſt fabula?

Eho Nyſis, puer hîc vnde eſt? quiſ'ue huc attulit?

M. Satin' ſanus eſ, qui me id rogitæ? D. quem igitur rogem,

Qui hîc neminem alium video? c. miror, vnde ſit.

D. Dicturân' quod rogo? M. au. D. concede ad dexteram,

M. Deliras: non tute ipſe? D. verbum ſi mihi

Vnum, pæterquam quod te rogo faxiſ, caue.

M. Maledicis. D. vnde eſt? dic clarè. M. à vobis. D. ha ha hæ

Mirum verò impudenter mulier ſi facit meretrix.

c. Ab Andria eſt ancilla hæc, quantum intelligo.

D. Adeôn' videmur vobis eſſe idonei,

In quibus ſic illudatiſ? c. veni in tempore.

D. Propera adeò puerum tollere hîc ab ianua.

Mane: caue quòquam ex iſtò excelsis loco.

M. Diſ te eradicient: ita me miſeram territas.

D. Tibi ego dico, annon? M. quid viſ? D. at etiã rogaſ?

Cedò, cuium puerum hîc appoſuiſti? dic mihi.

M. Tu neſciſ? D. mitte id quod ſcio: dic quod rogo.

M. veſtri. D. cuius noſtriſ? M. Pamphili. D. hem quid? Pamphiliſ?

M. Eho,

M. Eho, an non eſt? c. rectè ego ſemper fugi has nuptias.

D. O facinus animaduertendum. M. quid clamitaſ?

D. Quem ne ego heri vidi ad vos adferri veſperiſ?

M. O hominem audacem. D. verum vidi Cantharam

Suffarminatam. M. Diſ pol habeo gratias,

Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.

D. Næ illa illum haud nouit, cuius cauſa hæc incipit.

Chremes, ſi poſitum puerum ante ædes viderit,

Suam gnatam non dabit, tanto hercle magis dabit.

c. Non hercle faciet. D. nunc adeò, vt tu ſiſ ſciens,

Ni puerum tolliſ, iam ego hunc in mediam viam

Prouoluam, teq; ibidem peruoluam in luto.

M. Tu pol homo non eſ ſobrius. D. fallacia

Alia aliam trudit, iam ſufurrari audio,

Ciuem Atticam eſſe hanc. c. hem. D. coactus legibus

Eam vxorem ducet. M. eho obſecro, an non ciuiſ eſt?

c. Iocularium in malum inſciens penè incidi.

D. Quis hîc loquitur? ô Chreme, per tempus adueniſ:

Auſculta. c. audiui omnia. D. an hæc tu omnia?

c. Audiui inquam à principio. D. audiſtin' obſecro? hem

Scelera: hanc iam oportet in cruciatum hîc abripi.

Hic ille eſt, non te credas Dauum ludere.

M. Me miſeram: nil pol falſi dixi, mi ſenex.

c. Noui rem omnem, ſed eſt Simo intus? D. eſt.

M. Ne me attingaſ, ſceleſte, ſi pol Glycerio non omnia hæc.

o z

D. Eho

- D. Eho inepta, nescis quid sit actum. M. quid sciam?
 D. Hic socer est: alio pacto haud poterat fieri,
 Ut sciret hæc, quæ volumus. M. hem, prædiceres.
 D. Paulum interesse censes, ex animo omnia
 Ut fert natura, facias, an de industria?

C O M M E N T A R I A.

Conspetto ante Simonis ades puero, Chremes à nuptijs absterretur. Iurgat cum ancilla Dauus, quæ ob consilij ipsius ignorationem, fallacia non subseruit: sed omnia serio respondens, ridiculam facit concertationem.

Reuertor] Causam sui reditus spectatorem docet, Memor quod supra dixerit domum modò ibo, ut apparentur dicam, atque huc renuntio. Est autem apta occasio, ut cognoscat Chremes puerum ex Glycerio natum esse Pamphilo.

Sed quid hoc?] Interrogatio ignorantis, quid sit quod primum videat. Erat autem puer inuolutus.

Mulier] Ignorato nomine proprio, appellatiuo utitur, sicuti & nos solemus. La femme.

Tun' apposuisti hunc?] Apostrophe comica ad Euphonia. N, siquidem litera in fine molliter sonat, & tinnit non insuauiter, ideo multa Latinorū nomina finit, ut, nomen, Titan, Solon. Sicut & Græcorum in ων.

Vbi illic est?] Dauum requirit qui se summouerat conspecto Chremete, ne is suspicaretur cum ancilla coniurasse.

Illic] pronomen est comicum non aduerbium.

Ve miseræ mihi] Verba trepidantis.

Reliquit me] τὰθ & ab indignitate, quasi dicat, huius mandato huc accessi, & me reliquit atq; abiit.

Di

Di vestram fidem] A dextra veniens Dauus, simulat se à foro venire.

Quid turbæ est?] Turba hîc turbationem seu tumultum, & multitudinem ac frequentiam potest significare.

Quid hominum?] Atticismus & phrasis Gallica, quæ de gens? & quid, pro quot positum esse videtur.

Tum annona] Tum, ut distinguit, ita sequentibus Annona exaggerationem addit. Annona sunt fruges in annum repositæ.

Quid dicam aliud?] ad spectatores conuersus hoc dicit.

Cur tu obsecro hîc me solam?] simplicitas Mysidis ferè prodit fallaciam.

Hem quæ hæc est fabula?] Res ficta & ad fallaciam composita, prouerbialiter fabula dicitur. Incipit autem iurgare cum ancilla.

Satin' ianuses?] Variatio à contrario, quasi dicat. Insanis, qui quod iusseris fieri rogites. In satin, abiecta est e, vocalis propter euphonia ut dixi, propterea quod n, ante c, d, q, s, & t. consonantes, non insuauiter auditur. Vide Strabeum de electione verborum. τὸ qui, vox Qui est ἀτιολογικὴ, quæ tantum subiunctiuus iungitur.

Quem igitur rogem?] Igitur, increpationis est nota, estq; simplex conclusio species argumentationis necessaria ab applicitis seu connexis. Neminem præter te hîc video: Neminem ergo hîc præter te interrogare possum.

Au] interiectio irascentis.

Concede ad dexteram] Hæc summissè ad ancillam, ut clam monere possit, quid sit opus.

Delirare. Deliras] *Desipis. Metaphora à re rustica. Plinius lib. xviii. cap. x. Hæc quoq; inquit, vbi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro connexa, quod uocant lirare, operientes semina, &c. Vnde appellata deliratio est. Itaq; qui à recto sensu & ratione desleat, delirare dicitur. παραπαλειν ac παρανόπειν, idest, desipere. Et deliramentum Plautus, τὸ ληρώδες appellat, in Amphitr. Hic quidem deliramenta loquitur. ὁ λῆρ & nugatorem significat.*

Non tute ipse?] *supple, in manus dedisti?*

Verbum si mihi vnum] *Comminatur summissè. Si feceris (inquit) mihi verbū, idest si responderis mihi vel unum uerbum, præter id quod rogo, ἀποσιωπήσις. Supple uapulabis. Deinde Caue, absolute & minaciter est proferendum.*

Maledicis.] *Nullomeo merito comminaris, Hebræi sic accipiunt. Gall. tu dis mal, tu as tort de dire cela.*

Dic clarè?] *summissè hoc ad ancillam, suprâ liquido dixit. A uobis] à locum significat, de chez vous.*

Mirum verò impudēter mulier si facit meretrix] *Argumentum à sexu & conditione. Mulier est, & meretrix, Itaq; non mirum impudenter si faciat. Sed per Ironiam, quæ est in verò, orationem variat. τὸ meretrix adiectiuorum naturam imitatur, estq; nomen ambiguum. Vide Linacrum.*

Ab Andria est ancilla hæc] *idest Andria. Rursum ablatiuus pro genitiuo. Adeon' videmur, &c.] Indignitas à contemptu. In quibus sic illudatis?] Constructio obseruanda. Frequentius enim datiuo vel accusatiuo iunctum reperias hoc uerbum. Caterum illudimus non tantum uerbis, sed etiam factis. Verg.*

Ablatiuus genitiui loco.

Illudo uerbi constructio.

Certantq;

[Certantq; illudere capto. Idem.

Verbis uirtutem illude superbis.

Est rursum τὰθ & à modo agendi, & illudatis potentialis est modi.

Veni in tempore] *idest in ipso temporis articulo. Prouerbium quo ferè utimur, cum ante periculum aut rem nostro incommodo faciendam interuenimus.*

Propera adeò] *Hæc minaciter uociferatur, & adeò uerbi significationē intendit. Gall. haste toy & bien fort de l'oster. Mane, caue quoquam, &c.] rursum hæc summissè non audiente Chremete.*

Excessis] *excedas. Ex omni uerborum ordine uerba in so, ueteres deslecebant, prohibessò, indicassò, irrogassò, curassò, quæ in legibus duodecim tabularum apud Ciceronem lib. de legibus tertio subinde legas.*

Di te eradicent] *radicitus euellant, Metaphora à re rustica, & amplificatio unius uocis, Est autem imprecatio ob Dauì comminationem, & rationalis coniunctio uidetur subaudienda: propterea quòd me ita territas.*

Tibi ego dico an non?] *In priori sensu, an dubitativa vel eius synonyma ne, intelligitur: quæ eclipsis frequens est admodum. Tibi'ne ego dico an non?*

At etiam rogas?] *etiam, adhuc.*

Mitte id quod scio.] *Hæc summissè.*

Vestri] *Græcismus. Nam aut pro possessiuo, aut certè pro uestrum primitiuo est positum.*

Cuius vestri?] *vult data opera Pamphilum nominari. Hem, quid Pamphili?] admiratiuè hæc. & callidè nomen repetit, ut id audiat Senex.*

Rectè ego semper fugi has nuptias] *Rectè, meritò, fugi, proprie est loquutus. Fugimus enim alio persequen-*

te. Ut autem fierent hæ nuptiæ, Simo inuitum Chremetem persequabatur.

O facinus animaduertendum] *le cas punissable.*

Quid clamitas] *cur?*

Quem'ue ego heri] *ἐλλειπτικῶς suppressit antepositum, ad affectus vehementiam. Integrum esset. Is ne est, quem ego heri vidi? & c. Et est propositio accusationis, dicit autem supposititium esse partum.*

O hominem audacem] *Exclamatio, quæ tacitam habet depulsionem, & inficiationem criminis.*

Verum] *supple est. Assertio intentionis.*

Vidi Cantharam] *Confirmatio, coniecturalis à signo. Canthara patrium nomē mihi videtur, ut Lesbia, Ἀνδρία, Nam κἀνδραρῶ fuit in Attica portus, autore Cal. lib. v. cap. v. Donatus putat nomen fuisse illius anus obstetricis Lesbiæ, quæ accersi iusserat Archillis ad Glycerium parturientem. Nanus in suis miscellaneis refert ad ritum Græcorum, qui liberos exponebant in ollis, & vasis fictilibus, ut ex Aristophane colligit: et cantharū legendum censet: ac si diceret Dauus. Vidi cantharum suffarcinatum, supple, afferrī ad vos heri vesperi. Id præterea πρὸς ἐπὶ addam. Cantharon apud Aegyptios animal fuisse, ἀθηλιῶρον id est sine fœminis, cuius imaginem annulis insculptā gestabant viri, hoc symbolo significantes virum masculum, fortem & bellicosum esse oportere. Suffarcinatam] *succinctura tumentem.**

Habere gratias, & reddere.

Dñs pol habeo gratias] *Refellit Dauī probationem à testimonio. Et propriè dixit habeo gratias: Nam Dñs non possumus reddere. Habemus autem illis gratiam, quoties agnoscimus & fatemur ab illis beneficium accepisse, citra spem referendi, ut vult Valla.*

Cum

Cum in pariundo] *in partu, inter pariendum. Cum, sicut & quando, rationis redditua est.*

Aliquot liberæ] *matronæ ingenuæ, quibus magis quàm seruis credi oporteat.*

Ne illa] *Glycerium.*

Illum] *Chremetem. Iudit paronomasia.*

Chremes si positum puerum, &c.] *facti causam interpretatur per ratiocinationem, qui locus est alter voluntatis, & ἀνθυπόφορον facit, μιμητικῶς muliercularum verba referens, Chremetemq; nominat, cuius præsentiam dissimulat.*

Tanto hercle magis dabit] *sola inficiatione, ἐπὶ φορῶν rejicit.*

Non herclè faciet] *tertia persona pro prima. Habes Dauus quod cupit.*

Vt tu sis sciens] *πρωτοφρασίς antiqua.*

Prouoluam] *voluendo trudam, versabo.*

Tec̄ ibidem peruoluam] *proluam legit Nanus. Tractabo te inquit, tanquam scropham, quæ in volutabro prolui & versari solet.*

Non es sobrius] *Isodynamia contrarij, ebrius es.*

Fallacia alia aliam trudit] *id est, dolus dolo succedit & connectitur, proverbialiter dictum.*

Iam susurrari audio] *hæc Dauus addit ut à nuptijs Chremes absterreatur.*

Susurrari] *obmurmurari, & occultè dici. Factitium verbum est à susurrone, qui alicui clam obtrectat. Vult dicere, aliam esse fallaciam quæ priorem prodat. Nam puerum ex Pamphilo natum, dicit falsum esse: deinde Glycerium ciuem esse Atticam: quæ posterior fallaciæ priorem trudit, id est facit ut prior non credatur.*

o s

Ciuem

Atticæ mu-
lieres.
Athenienses
yiri.

Ciuem Atticam] Bene Atticam. Nam Græci viros
ἀθωαίους. mulieres ἀττικές solent appellare.

Hemæ] indignantis, ex potiore causa nuptias diri-
mendi.

Coactus legibus eam vxorem] rursus μίμντι-
κῶς pronunciandum. Legibus Solonis cautum erat, vt
qui virginem liberam, ciuemq; Atticam stuprasset, aut
illam duceret, aut dotem daret.

Eho obsecro] hoc verbum & placidi & irati est.

Annon ciuis est:] & id cupit asseri pertinaciter
Dauus.

Iocularium in malum] ioco & risu dignum. Bon
pour rire.

Incidit] Metaphora, ab his qui non intuentes vbi ve-
stigia figant, in scrobem decidunt.

Quis hinc loquitur:] Callidè dissimulat se Chreme-
tem prauidisse,

Per tempus. Per tempus] hoc Plautinum est, Per tempus inquit,
venit miles. Idem. Non potuisti per tempus magis ad-
uenire. κατὰ καιρὸν, id est, ὡκαιῶς opportunè.

Ausculca] Captat attentionem incepturus narratio-
nem. Sed prauertit Chremes nec vult audire, artifi-
ciosè quidem, ne repetantur iam dicta cum tædio spe-
ctatorum.

Ne in anastro-
phe positum. Ah ne tu omnia:] simulata admiratio, & τὸ ne,
præter morem priori loco ponitur, vt alibi. Enim non Si-
nam. Sunt qui legant, An hæc tu omnia?

Audistin' obsecro:] repetitio admirationis, tristi-
tiam ex ea re simulantis.

In cruciatum hinc rapi] ad cruciandum. nomen pro
voce gerundi.

Hic

Hic ille est] κατὰ ἔφοχιν vt Chremeti assentetur, &
rem ex eius presentia exaggeret.

Non te credas] Non negandi vim habet, non pro-
hibendi: & credas potentiale est, id est non debes cre-
dere, Quintili. Non expectes vt statim gratias agat qui
sanatur inuitus. in quibus exemplis quidam negationem
prohibendi vim habere existimant, sed falso.

Dauum ludere] in tertia de se loquitur, vt collatio-
ne personarum augeat factum Mysidis.

Nihil pol] decorum muliebri seruat. Sunt enim me-
ticolosa mulieres.

Sed est Simo intus?] rursus interrogationis nota
auditur.

Ne me attingas scelestè] Iram simulans Dauus ab-
ripit ancillam.

Si pol Glycerio non omnia hæc] ἀποσιώπησις
comminantis, & intelligitur sensus, ne viuam, moriar,
dispeream, aut similis.

Eho inepta] excusatio Dauis de iniuria per simula-
tionem illata Mysidi.

Quid sciam:] subrusticè, quomodo scirem?

Hic Socer est] Socer dicitur vxoris mea pater, vt
Socrus mater.

Alio pacto] purgatio à necessario, & est plena oratio
& abundans, pro alio pacto non poterat scire.

Hæc que volumus] id est, puerum ex Glycerio na-
tum, hancq; ciuem esse Atticam.

Prædiceres] predicere debuisses διωπτινῶν. Græci
addunt ἀρ, λέγοις ἀρ.

Paulum interesse censes, &c.] defensio à voluntate,
non id fecisse ex animo. Censes paulum interesse, varia-
tio

tio per Isodynamiam contrarij, pro non putas multum interesse? Facias omnia ex animo, nostrate lingua ad bonum etiamnum.

Ut fert natura] id est, serio.

An de industria] id est, simulatione & calliditate. Dicuntur autem de industria fieri, qua usu, exercitatione, & qua naturam imitantur, arte fingimus, & assimilamus. Vult dicere, permagnum esse discrimen inter naturales actiones, & eas qua ex composito & de industria fiant. Aliàs de industria, de consilio, cogitatio, meditata & preparata opera, consulto, prudenter, scienterq; data opera, Græcè ἐν προνοίας, tout expres, tout à es cien. Ita que in coniecturalibus causis solet quari, An voluerit.

ACTVS IIII. SCENA VI.

CRITO hospes. MYSIS. DAVVS.



N hac habitasse platea dictum est Chrysidem:

Quæ se inhonestè optauit parare hinc diuitias

Potius, quàm in patria honestè pauper viuere.

Morte eius ea ad me lege redierunt bona.

Sed quos perconter video. saluete. M. obsecro

Quem video? est he hic Crito sobrinus Chrysidis?

Is est. C. O Mysis salue. M. saluos sis Crito.

C. Itane Chrysis? hem. M. nos quidem pol miseris perdidit.

C. Quid vos? quo pacto hinc? satim rectè? M. nos nec sic

VT QVIMVS, aiunt, quando vt volumus, non licet.

C. Quid

C. Quid Glycerium? iam hic suos parentes reperit? M. Utinam. C. an nondum etiam? haud auspicato huc me appuli,

Nam pol si id scissem, nunquam huc tetulisssem pedem.

Semper enim eius dicta est hæc, atque habita est soror.

Quæ illius fuerunt, possidet. nunc me hospitem

Lites sequi, quàm hinc mihi sit facile, atque vtile,

Aliorum exempla commonent. simul arbitror

Iam esse aliquem amicum, & defensorem ei: nam ferè

Grandiuscula iam profecta est illinc: clamitent,

Me sycophantam, hæreditatem persequi,

Mendicum: tum ipsam despoliare non licet.

M. Optumè hospes pol Crito antiquum obtines.

C. Duc me ad eam, quando huc veni, vt videam. M. maximè.

D. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

COMMENTARIA.

Aduentu Critonis extraneæ personæ periculum omne discutitur, & est preparatio ad catastrophem.

In hac habitasse] Verba circumspiciantis, & ades Chrysidis querentis, de quibus iam obuios percunctatus fuerat, ideo inquit.

Dictum est] supple mihi,

Quæ sese inhonestè optauit, &c.] vitam Chrysidis perstringit, & est antithesis elegans.

Optauit] significanter hoc verbo usus est, cum in hoc

hoc consentiant Philosophi, in actionibus moralibus ac voluntariis esse liberam προαίρεσιν, cuius obiectum non est ipsum bonum aut malum simpliciter, sed bonum melius, aut commodius, malum incommodius aut peius. Itaque optionem, delectum vocant, dicuntque vitia habitus esse ad agendum sponte & ex delectu paratos, à mediocritate deficientes. Hanc autem optionem seu delectum hinc improbat. Ex hoc enim factum cuiusque aestimatur, ut indicat Aristote. Εἰ δὲ προαίρεσιν κείνομεν ποῖον τις, τὸτο δὲ ἔστι τὸ τὸν & ἐνεκα τῶν πάντων, ἀλλ' ἔτι τὸ πρᾶξαι, id est, ex optione & delectu iudicamus qualis quisque sit. Quod fit dum spectamus, non quid agat, sed quo referat actionem. At προαίρεσις μὲν ἔστιν ὁρεξις & ἐφ' αὐτῷ βέλδουται, id est, optio & delectus est appetitio rerum, quæ sunt in eius qui legit potestate, consilio capto.

Pauper vivere] ἐλλεισμὸς, nominatiuus loco accusatiui, quæ ἀντιπῶσις fieri solet, cum verbis, quæ in sensum infiniti feruntur. Cuiusmodi sunt dico, sentio, aio, opto. & Synonyma. Sed tunc eadem ferè est persona finiti & infiniti. Verum cum infinitiuo esse, durius dicitur. Lucanus.

-Tutumque putavit,

Iam bonus esse socer.

Hic autem notat Chrysidem, quæ turpem quaestum honestati prætulit. Sed tamen & ἢ (ὡς κακῶς τὸ τεθνήσκειν κρείσσον, mori satius quam vivere male, inquit Epictetus.

Eius morte] Causa est cur Athenas accesserit, nimirum ut Chrysidis hereditatem adiret, quam iure propinquitatis ac cognationis, ad se pertinere dicit. sed quam studeat

studeat breuitati Poëta, hinc coniectes, quod ex sequentibus, præcedentia intelligantur. Nec enim mortuam, nec sibi cognatam prædixit: sed ex hoc facile datur intelligi. Vide Rodolphum Agricolum lib. III. cap. VI.

Lege] legitimo iure, scilicet cognationis obuenerunt.

Sed quos percontar video] hic vides percontari pro sciscitari & interrogare nullo discrimine positum, contra quam scripserit Valla. Neque enim hic ad finem coarguendi spectat.

Obsecro quem video] τὸ obsecro admirantis est.

Sobrinus Chrysidis] id est, ex sorore Chrysidis natus, ἀνεψιὸν Græci vocant.

Ita'ne Chrysis?] supple mortem obiit? Αποσιόπης lacrymantis.

Nos quidem miseras pol perdidit] exaggeratio penè hyperbolica, id est, in luctum & mœrorem coniecit.

Quid vos?] Pronomen secretionem significat.

Quo pacto hic?] supple agitis.

Sic ut quimus aiunt] videtur excusare quaestum meretricium, ad quem necessitate non sua voluntate fuerant pertracta. Hoc prouerbio utimur, cum rei cuiuspiam facultatem nobis deesse significamus, non animum.

Quid Glycerium? iam hic suos] interrogatio certo credentis magis quam dubitantis.

Vtinam] τὰδ' & κατ' ἐὺχῶν, negantis responsionem includens.

An nondum etiam?] altera pars interrogationis, quæ admirationem respicit.

Haud auspicatorum] huc me appuli] translatio est à more auspicatorum, sine quibus nihil olim seu priuatim, seis

sen publicè fiebat. Haud auspiciato, id est infeliciter, & repugnantibus auspicijs. In verbo appuli nullam puto esse Metaphoram, nauigio siquidem ex Andro ibatur Athenas.

Nam pol] nam pro at vel atqui. Et est propositio inceptum suum reprobantis.

Terulissim pedem] ἀπαϊσμός, & prouerbialis allegoria, qua & passim nostrate lingua utimur. Si i' eusse pensé, ie n'eusse iamais icy mis le pied.

Semper enim] Confirmat propositionem argumentatione à consequentibus.

Quæ illius fuerunt possidet] iure propinquitatis, quia credita & habita est soror: quod etiam facit ad rei difficultatem. Nam lis aduersus eum qui iam possidet, quiq; ex re ditibus hereditatis possessæ aduersus postulantem se tuetur, est ipsi aëtori incommodior.

Nunc me] Ab inutili, & difficili.

Hospitem] peregrinum & extraneum & in pronomine est. Emphasis.

Lites sequi] rei circumstantia exaggerat, est enim id miserum, & molestiæ plenum.

Nunc] à tempore, nunc videlicet cum illa possideat, & longè post Chrysidis mortem.

Hic] à loco, id est, Athenis, procul à patria.

Mihi] pauperi, ἐμπαῖνός.

Quam sit facillè atque utile] ἐργωεία, qua contraria dantur intelligi.

Simul. ab adiunctis. simul, præterea. Simul arbitror] rursum difficultatem exaggerat.

Nam ferè] ratio & coniectura à signis.

Illinc] ex Andro.

Clamit

Clamitent] à facti subsequutura infamia. & τὸ clamitent, est præsens δυνήτιδος. Me] esse.

Sycophantam] calumniatorem. Cum in Attica magna esset ficuum multitudo, (quarum suauitate Rexces adeò delectatus fertur, ut ob id Græcia bellum intulerit) Ad eas asseruandas, publicè custodes statuebantur, proposita pœna furibus, qui eas decerperent & aliò deportarent. Hi primum dicti sunt συνοφάνται, ἀπὸ τῆς σύνα φάειναι. At cum immerentes passim pro libidine, furti deferrent, factum postea, ut id verbi calumniatoribus, & falsa crimina intendentibus tribueretur. Et συνοφάνταις calumnijs circumuenire dicunt.

Hæreditatem persequi] ratio conuitij, & argumentum à definitione: hæreditatem alienam persequeris, igitur es Sycophanta.

Mendicum] exprobratio à fortuna, id est πτωχόν, qui precario quæ ad victum sunt necessaria corrogat, ὡς ἐμπεινωκότα ἢ κατελθέντα ἀπὸ τῆς πλῆθους εἰς ἐνδλίαν, id est, qui antea locuples in penuriam cecidit. πόνος verò & pauper ab aris paucitate dici videtur, & propriè ille est qui labore & industria, quæ ad vitam opus habet, sibi parat.

Tum ipsam] τὰθ & à persona Glycery, & argumentum ab iusto, idq; ex abundanti: quasi velit dicere, etiam si lege mihi obueniatur hæreditas, tamen illam nudare, & facultatibus exuere non licet. Et ad rei vehementiam amplificatione verbi usus est, Nam mira humanitate præditum inducit Critonem.

Optimè hospes.] Callidè hunc laudat, ut in sententia detineat. Hic hospes amicum significat, non solum extraneum. Erat enim apud antiquos permagna necessitu-
Hospes.

p do

do hospitij, quam Cicero in Verrem, artissimam appellat, ideo in proximo amicitia gradu locatam. Itaq; Critonem antiquum morem amicitia conseruanda solitum obtinere dicit, inter hospites: quorum erat munus afflictos amicos re & opera, quantum possent, iuuare, quod indicat Cicero vltima actione in Verrem. Pater, inquit, Dexio Tindaridanus, homo nobilissimus, hospes tuus, cuius tu domi fueras, quem hospitem appellaueras. Eum cum illa auctoritate & miseria videres praeditum, non te eius lacryma, non senectus, non hospitij ius atq; nomen a scelere aliquam ad partem humanitatis reuocare potuit.

Antiquum. Antiquum obtines,] id est auitum, iustum, & aequum morem. Sic enim natura comparatum est, vt non homines solum, sed omnia subinde degenerent. Olim homines iustiores, humaniores, & minus fraudulentum fuerunt quam hoc seculo. Et, vt inquit Verg.

— Sic omnia fati,

In peius ruere & retro sublapsa referri.

Itaq; ferè a prima origine rerum priora secula laudata sunt, praesentia reprehensa Plautus. id antiquum obtines, tardus vt sis.

Duc me ad eam] rectè hoc. Ignorabat enim ades Chrysidis, vt finxit Poëta.

Quando huc veni] non significat se ideo venisse, vt videret: ideo vt telicon, verbo duc, non veni, est addendum. quasi dicat, meine moy vers elle à fin que ie la voye, puis que ie suis ici venu.

Sequar hos] occasio introitus Dani ad Glycerium, à qua cum exiret, deprehenditur à Simone.

Nolo me] metum Dani prodit, vt maior sit postea in deprehensione terror.

In

In tempore hoc] nunc, periphrasis.

Senex] ἀντρομασιῶς herum suum intelligit.

ACTVS V. SCENA I.

CHREMES. SIMO.



ATIS iam, satis Simo spectata erga te amicitia est mea,

Satis periculi coepi adire. orandi iam finem face.

Dum itudeo obsequi tibi, penè illusi vitam filiae.

s. Imò enim, maximè abs te postulo, atque oro,

Chreme,

Vt beneficium verbis inquitum dudum, nunc re comprobas.

c. Vide quàm iniquus sis praestudio, dum efficias id, quod cupis.

Neque modum benignitatis, neque quid me ores cogitas.

Nam si cogites, remittas me onerare iniurijs.

s. Quibus? c. ah rogitas? perpulisti me, vt homini adolescentulo,

In alio occupato amore, abhorrenti ab re vxoria,

Filiam darem in seditionem, atq; incertas nuptias:

Eius labore, atque eius dolore gnato vt medicarer tuo.

Impetrasti: incepti, dum res tulit: nunc non fert, feras.

Illam hinc ciuem esse aiunt: puer est natus: nos missos face.

s. Per ego te Deos oro, vt ne illis animum inducas credere,

p 2

Quibus

Quibus id maximè vrile est illum esse quàm deter-
rimum.

Nuptiarum gratia hæc sunt facta, atque incepta
omnia.

Vbi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit adem-
pta his, desinent.

c. n. Erras, cum Dauo egomet vidi iurgantem an-
cillam. s. scio. c. at

Vero voltu, cum ibi me adesse neuter tum præsen-
ferat.

s. Credo, & id facturas Dauus dudum prædixit
mihi.

Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui di-
cere.

COMMENTARIA.

Officium suum erga Simonem commendat Chremes,
& cum illo ex postulat de pertinaci studio in postulan-
da filia gnato suo, illiusq; postulationem refellit ab iniu-
sto & filia periculo, argumentis à persona Pamphili
ductis: item ex ἀδωάτω, quòd etiam si velit, id Atti-
ca leges non sinant, præsertim cum filius ex Pamphilo
natus sit. Hoc cum sit potentissimum Chremetis argu-
mentum, infirmat Simo, & id nuptiarum causa con-
fictum esse dicit. Instat Chremes, & verum esse as-
serit ex iurgio Dauo & ancilla. Quod quidem signum
refellit Simo ab antegressa Dauo præmonitione.

Satis. Satis iam satis] ἀναφορὰ aduerbij exprobrationem
quandam præ se fert. Et est Liptote Ironica, nam satis ni-
mium significat. Vult enim dicere plura se quàm pro
officio amici causa fecisse.

Iam

Iam] hætenus.

Spectata erga te amicitia est] Variatio passivi pro
actiuo, id est, satis hætenus meam erga te amicitiam
probasti, & expertus es. Aptè nomine amicitia est Amicitia.
Vsus, quàm ab beneuolentia ita differre putat Ari- Beneuolentia.
stoteles, vt hæc in animo lateat: illa verò mutuis offi-
cijs se exerat, & beneficijs conferendis alatur, con-
stetq;.

Satis pericli] Repetit eandem sententiam per expo-
sitionem alijs verbis. Et ἐλλειπτικῶς, tua causa, est au-
diendum.

Cepi adire] non adij, vt rem non peractam, sed in-
ceptam significet.

Orandi iam finem face] mitte orare. ie te pry ne Finem facere
m'en parle iamais. Finem facere de rebus nimia pro-
lixitate molestis, dicitur, & obtundentibus, quarum
finem optamus. Hac domo Simonis egrediens loquitur
Senex, innuitq; multis se precibus ante, à Simone roga-
tum fuisse.

Dum studeo obsequi tibi] Expolitio superioris sen-
tentia. Nam obsequij studium amicitia est. Illusio vitæ
filia periculum, quod penè ingressus est. Cæterum est
enthymema ab adiunctis hoc modo. Hoc meo fit pericu-
lo & illusionem filia: itaque ne me obsecra. Sed antece-
dens habet τὰδ & indignitatis per collationem causæ
& effectus. Siquidem indignum est amicum obsequen-
tem periclitari. Obsequi est cuiuspiam nimium indulgere, Obsequi.
& ad eius voluntatem cuncta facere.

Illusi vitam] hoc verbum ferè significat prodere ad Illudere.
dedecus, ignominiam & opprobrium. mettre à honte &

p 3 deshon.

deshonneur, Gallicè, pour te vouloir faire plaisir, j'ay
(peu s'en fault) mis ma fille à honte & deshonneur toute sa vie.

Charitas pater-
terna. Filiae] hæc vox emphasim habet. Nam, ut inquit
Aristoteles lib. v. i. Ethicor. οἱ γονεῖς μὲν γὰρ σέβουσι τὰ
τέκνα, ὡς ἑαυτὸν τὶ ὄντα. τὰ δὲ τέκνα τὸς γονεῖς ὡς ἀπὸ
ἑκείνων τὶ ὄντα. Omnino natura, insita est naturæ cura
parentibus, & tanta inter ipsos charitas, ut dirimi nisi
detestabili scelere non possit.

Imo. Imo enim] Imo aduersationem ferè significat, ut
Græcis ἀλλὰ. Instat Simoni recusanti Chremes, à fide
data. Estq; infirmitas rationis Chremetis, ex qua status
& indicatio huius disceptationis oritur. Nam depulso
intentionis fuit, non debeo, ut tibi obsequar, filia vitam
illudere. Firmamentum. At tu mihi dudum pollicitus
es. Sed hoc variat per deprecationem, ut facilius ob-
tineat.

Postulo. Oro. Quam maxime abs te postulo atq; oro] Ampli-
ficatio per Auxesim. Postulamus quæ nobis iure de-
bentur, oramus etiam quæ non debentur: Postulamus
sine precibus, nunquam sine ijs oramus. Itaque orat be-
neficium, postulat promissum.

Ut beneficium verbis inicum] Postulatio à iusto.
Inicum] inchoatum, promissum. De rebus momen-
tosis id verbum dici testatur Valla.

Re comprobare] opere perficias, Metalepticòs, nam
ἔργῳ ἀπίσειν opere comprobare, est consummatum &
perfectum præbere, ita ut satisfaciatur cui præstat, ut
metre en effect vne chose tellement qu'on s'en conten-
te. videtur Metaphora ab his qui sarta cæta exigunt,
quæq;

quæq; sunt generis eiusdem.

Vide quàm iniquus sis] Simonis firmamentum
refutat ab iniusto. estq; obliqua negatio promissi, qua-
si velit dicere iniquum postulas, non igitur præsta-
re debeo. Sed propositionem argumentationis variat à
re ad personam. Iniquus es præ studio, dum efficias
quod cupis, quæ isodynamia est huic iniquum postu-
las. Est autem hæc argumentatio tractata per collectio-
nem Rhetoricam, quæ quinque partibus constat, pro-
positione, ratione, expolitione, confirmatione & con-
clusionem. Huius hæc est propositio. Vide quàm iniquus
sis, &c.

Iniquus] iniquus sanè est, qui suam ipsius cupidi-
tatem magis quàm æquum spectat. Nam vir bonus
haud aliter in amicum animatus esse debet, quàm in
seipsum. Et ἀδύλαχ facit, qui ex amici incommodis sua
comparat commoda. Itaq; non temere Cicero & Aristote-
les amicitiam iustitiæ subiiciunt.

Præ studio] studium latè in utranque partem su-
mi videas, sicuti Græcis ὀρεγίς. Nunquam enim βέλ-
ουσι, & quæ cum ratione desiderat voluntatem signi-
ficat: quàm cum erga aliquem, cui benè ex animo vo-
lumus, aliquo nostro officio conamur offendere, ἀπ-
λάσειν & studere dicimur. Is conatus benevolentiam
in apertum proferre gestiens, studium Latinis, uti
Græcis ἀπὸ δὲ appellatur. Nunquam verò ἐπιθυμίαν
seu cupiditatem notat, quàm inter causas τὴν ἀδύλαχ-
των philosophi numerant. Etenim Cicero de offi. . Ma-
ximam, inquit, partem ad iniuriam faciendam ag-
grediuntur nonnulli, ut adipiscantur ea quæ concu-
piscunt.

perunt, hanc iniustitiæ causam Simoni obijcit Chremes.

Dum efficias quod cupis,] id est, ut cupiditatem expleas tuam. Eleganter quidem à Seneca dicitur. Cupiditatem non unde venerit, respicere: sed quò tendat. Est autem cupiditas siue libido immoderata appetitio opinati magni boni rationi non obtemperans.

Necq; modum] Ratio propositionis per μερισμὸν à proprijs liberalitatis, & audienda videtur rationalis coniunctio. Modum.]

Quem ultra citraq; nequit consistere rectum. id est, Nec reputas quatenus in conferendo beneficio progredi oporteat. Est quidem amico liberaliter dandum, sed prima cautio esse debet, ne nobis nostra benignitas obsit. Et inter duo officia maius minori est præponendum, potiorq;

Tres amicitia species. φουικὴ amicitia debet esse, quam ἐτὸρικὴ aut ξενικὴ. Tot enim species statuit Plato apud Laërtium.

Neque quid me ores cogitas] æquum ne sit atq; iniquum.

Nam si cogites] Expolitio à contrario.

Cogites] cogitare velis.

Remittas] compositum pro simplici.

Onerare] dura translatio.

Iniurijs] Hæc vox tam amplè videtur significare Iniuria. quàm ius ipsum. Est enim Latinis iniuria omne iniustitia genus, quam iniquitatem vulgò appellant. Ea aut Coniutium. re infertur, & contumelia dici solet, aut verbis, & conuitium dicitur. Iurisconsulti strictius hoc nomen usurpant, & de conuitio dici malunt. Hic autem numero multitudinis effertur ad Emphasim, Quod ipsi non vna, sed multiplex fiat iniuria.

Perpu

Perpulisti me] Confirmatio à circumstantijs personæ per congeriem.

Perpulisti] inuitum coëgisti, & in hoc iniuria est.

Homini adolescentulo] prima circumstantia.

In alio occupato amore] secunda.

Abhorrenti ab re vxoria] tertia.

Filiam darem] quarta.

In seditionem] quinta.

Incertas nuptias] sexta.

Eius lab. atq; dol.] septima.

Gnato vt med. tuo] octaua.

Homini adolescentulo] ideo adolescenti & ad voluptates proiecto. diminutione rem eleuat.

In alio occupato amore] id est, alius puella. Variatio constructionis frequens.

Abhorrenti] perquam alieno.

A re vxoria] à connubio.

In seditionem] ab incommodo gnata, in seditionem, in rixam & iurgium. Seditio à seorsum eundo, vt vult Cicero, est vulgi discordia: factio, optimatum: inimicitia, priuatorum: Bellum, hostium. Sed hic seditionem de duobus dixit. noise & debat.

Seditio.

Factio.

Inimicitia.

Bellum.

Atque incertas nuptias] infirmas. Quæ enim infirma sunt, incerta quoq; dicuntur Synecdochicas. Id quod sequitur pro eo quod præcedit. Ouid.

Lite fugant nuptaq; viros, nuptasq; mariti.

Eius labore atque dolore] Causa finalis, qua Simonis iniustitiam exaggerat. Labor est in moderando & retinendo adolescente. Dolor in perferendo.

Impetraſti] Præteritio ad rei amplificationem.

P 5

Incepi

Incepi] *initum est beneficium.*

Dum res tetulit] *antiquum prateritum. Dum res me hortaretur. Respondet ad postulationem simonis. Abs te postulo atque oro Chreme, ut beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobet. Est autem defensio per collationem temporum, quasi diceret, dum res tulit, id est dum filius tuus sapienter vitam instituebat, gratiam meam sponendi.*

Nunc non fert] *nunc is est immutatus.*

ἡ ἀπονομιὰ. Feras] *elegans ἀπονομιὰ, qua habet argumentum à iusto & aequo. hoc tempore res non fert, itaque tibi est quoque ferendum.*

Illam huic] *potentissimum argumentum in fine oratio more locat, & tractat ἀδύατορ.*

Hinc] *Atticam, quarta Enallage.*

Nos missos face] *Brevis conclusio collectionis.*

Per ego te deos oro] *Refutationem potentissimi argumenti Chremetis per obtestationem aggreditur.*

Animum inducas] *velis. periphrasis.*

Quibus id maxime utile est] *Voluntatis duo sunt loci, impulsio & ratiocinatio. Posteriori hic utitur, & ratiocinatur à causa finali, & spe commodi, quo plurimum moventur humanae mentes. Hinc vox illa Casty, cuius saepe meminit Cicero, quaerendum cui bono fuerit.*

Illum esse quam deterrimum] *indignitatis exaggeratio.*

Nuptiarum gratia] *refellit per absolutionem, qua Absolutio. est: cum facti causa aliter quam aduersarius interpretamur. & oritur hic locus à subtili causarum interpretatione.*

Vbi

Vbi ea causa] *Argumentum à loco causarum, & spe futuri commodi.*

Quamobrem] *propter quam. enallage secunda.*

Erras] *infirmatio rationis à signo.*

Erras] *falleris proprie loquitur. Est enim error effectus dissimilis, & aberrans ab instituto agentis hominis vel naturae. Et voluntatis peccatum errorem vocamus.*

At vero vultu] *id est, non ficto aut simulato. Est enim veritas simulationi contraria. Expolit argumentum per occupationem.*

Credo, & id facturas] *signi refutatio à praeomitione Dauis.*

Et nescio quid] *hoc nomen infinitum subiunctum propria phrasi comici iungunt, quam imitamur nostra te lingua. ie ne scay comment. Donatus subaudit propter.*

Ac volui] *si, ac, pro quam sumatur, subauditur contra aduerbium. sed mihi videtur copulativa in hunc sensum: Nescio quomodo sum oblitus, & volui dicere.*

ACTVS V. SCENA II.

DAVVS. CHREMES. SIMO. DROMO *seruus.*



NIMO iam nunc otioso esse impero. c. hem Dauum tibi.

s. Vnde egreditur? d. meo praesidio, atque hospitis. s. quid illud mali est?

d. Ego commodiorem hominem, aduentum, tempus, non vidi. s. scelus,

Quemnam hic laudat? d. omnis res est iam in vado. s. cesso alloqui?

d. Herus est: quid agam? s. ô salve bone vir. d. hem Simo,

Simo, ð noster Chreme,
 Omnia apparatus iam sunt intus. s. curasti probè.
 D. Vbi voles, accerse. s. bene sanè: id enim uero hic
 nunc abest.
 Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negoti est?
 D. mihi? s. ita.
 D. Mihi ne? s. tibi ergo. D. modò introij. s. quasi
 ego quàm dudum rogem.
 D. Cum tuo gnato vnà. s. an'ne est intus Pamphi-
 lus? crucior miser.
 Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnifex?
 D. Sunt. s. cur igitur hic est? C. quid illum censes? cum
 illa litigat.
 D. Imò verò indignum Chreme iam facinus faxo
 ex me audias.
 Nescio qui senex modò venit: illum, confidens,
 catus:
 Cum faciem videas, videtur esse quantiuis preti:
 Tristis seueritas inest in voltu, atque in verbis fides.
 s. Quidnam apportas? D. nihil equidem, nisi quod
 illum audiui dicere.
 s. Quid ait tandem? D. Glycerium se scire ciuem esse
 Atticam.
 s. Hem Dromo, Dromo. D. quid est? s. Dromo. D.
 audi. s. verbum si addideris, Dromo.
 D. Audi obsecro. D. R. quid vis? s. sublimem hunc in-
 tro' rape quantum potes.
 D. R. Quem? s. Dauum. D. R. quam obrem? s. quia lu-
 bet. rape inquam. D. quid feci? s. rape.
 D. Si quicquam mentitum inuenies, occidito, s. nihil
 audio.

Ego

Ego iam te commotum reddam. D. tametsi hoc ve-
 rum est. s. tu tamen
 Cura aduersandum vincitum: atque audin'?: qua-
 drupedem constringito.
 Age nunc, iam ego pol' hodie, si viuo, tibi osten-
 dam, herum quid sit pericli fallere, &
 Illi patrem. C. ah ne sæui tantopere. s. Chreme,
 Pietatem gnati nonne te miseret mei?
 Tantum laborem capere ob talem filium?
 Age Pamphile: t'xi Pamphile: ecquid te pudet?

COMMENTARIA.

*Egrediens à Glycerio deprehenditur Dauus ab hero,
 & per imprudentiam prodit Pamphilum. Tandem heri
 iussu constringitur.*

Impero] *seruiler exultat Dauus. Postquam ex Cri-
 tone didicit Glycerium esse ciuem Atticam. Conijcere
 licet hospitem domi omnia narrasse quæ longum esset in
 personas spargere. quæq; ipse Crito iterum narraturus est.*

Otioso] *tranquillo & securo. περὸν πικρῶς, causa
 pro effectu.*

Iam nunc] *des maintenant. Alloquitur egrediens
 Pamphilum & Glycerium, qui vnà domi erant.*

Hem, Dauum tibi] *Hem demonstrandi aduerbium. Hem.
 ab Hebraeis sumptum. ἤν Græci ἤν vel ἰνὴ sine spiri-
 tu dicunt vt Latini En.*

Meo præsidio] *translatio à re bellica. Est enim præ- Præsidium:
 sidium multitudo militum tuenda vrbis, vel arcis, lo-
 ciue alicuius gratia disposita, cui præsideat contra vim
 hostium subitam. garnison. significat & locum qui cu-
 stoditur. Locus verò excubias agentibus, & in custo-
 diam*

diam militibus statutis assignatus, statio dici solet. Quem qui deserit emansorem & desertorem appellant.

Quid illud mali est?] metuentis quidpiam mali interrogatio.

Ego commodiorem] figura ἀπὸ κοινῆς. & articulus vehementiam latitiae indicat.

Scelus] scelestus, malè sibi metuit à Dauo.

Omnia res] Parcemia, qua rem in tuto esse & citra discrimen significamus. Metaphora sumpta à natantibus aut nauigantibus. Plautus in *Aulularia*. Hæc pro-
Vada. pemodum iam esse in vado salutis res videtur. Vada sunt fluminum loca humiliora, & minus profunda, in quibus periclitandi nullus est metus, le gué.

Quid agam?] hoc non tam ad consilij incertitudinem, quam ad supplicij formidinem refertur.

O salue bone vir] Ironica salutatio.

Hem Simo] vox deprehendentis, & gestu festinationem & latitiam indicantis.

Curasti probè] approbatio Ironica irati senis.

Bene sanè] perstat in Ironia.

Id enim uero hic nunc abest] id refert infinitum accersere.

Hic] in hac re. ἀντιμερῆς secunda. sepe enim loci aduerbia vice pronominum sumuntur, ut supra. Hinc ille lacryma.

Abest] superest. deest. ἐξ ὁμοῦ compositorum. il ne reste, il ne fault plus que cela.

Etiam in hoc, &c.] Etiam pro imo etiam, seu quin
Etiam. etiam, & præterea. & respondes pro responde, Enallage modorum. Nam & nonnunquam finitiuum pro imperatiuo legimus, ut itis, paratis, pro ite, parate. Vide

Linac

Linacrum.

Mihine?] interrogatio quærentis quid respondeat.

Tibi ergo] asseueratio iracundi.

Modo in troij] Ineptè (ob perturbationem) de causa rogatus, de tempore respondet. ut apud Aristophanem, Carion hero interroganti ubi esset Plutus, præter rem respondet. ἔχεται. Ἀλλ' ἢ περὶ αὐτὸν ὄχλῳ ἔπερ φουκῆς ὄσθ.

Quasi ego] reprehendit ineptam responsionem. & audiendum respondes, aut hoc dicis, ut vult Linacer.

Cum tuo gnato vnà] supple eram. Excusatio per remotionem criminis. Et seipsum purgans, Pamphilum accusat: in quem culpæ causam transfert.

An'ne est intus Pamphilus] Altera vox interrogandi abundat.

Crucior miser] iracundi & perplexi locutio.

Eho, non tu dixti] Conuincit Dauum mendacij.

Sunt] assertio mendacij, quod ipsi tandem malè cedit. Est enim temeritatis comes infelicitas.

Cur igitur hic est?] reprehensio à signo. Est cum Glycerio, non igitur inimicitia sunt inter ipsos.

Quid illum censes? Cum illa litigat] irrisio per subiectionem.

Quid illum censes?] supple, facere? Donatus suo more præpositionem audiendam putat.

Imo verò indignum] narraturus aduentum Critonis, attentionem parat. Faxo facinus] paronomasia.

Ex me audias] id est dicam seu narrabo. Variandæ orationis ratio per relatiuum.

Indignum facinus] callidè. quasi id non verum esse credat.

Nescio

Nescio quis senex] χαρακτήρισμός & brevis notatio morum, energia species, qua Critoni fidem astruere conatur.

Ellum. Ellum confidens] Ellum aduerbiale nomen ab ecceductum, quod prisci variabant ellus a, um. & significat ecce illic.

Confidens. Confidens] hic in bonum sonat. Gall. assuré. Sapius autem in malum pro audaci & impudente.

Catus. Catus] prudens, & solertia praeeditus. Cata, acuta Sabini dicebant, autore Varrone. Cata dicta Lucilius dixit. Ennius.

Iam cata signa ferè sonitum dare voce parabant. Nunc pro acuto & cauto, tantum sumitur. Plautus in Pseudolo. Benè ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum, eum esse declaramus.

Cum faciem videas] Coniectura ex oris habitu. Ex fronte enim qualis quisque sit estimamus. Est enim vultus autore Plinio lib. decimo, tristitia, hylaritatis, clementiae, saueritatis index. Verg.

Frons hominem praefert.

Videtur esse quantiuis pretij] id est, alicuius pretij. Haec extenuatio ad laudem facit. A le voir, il semble valoir quelque chose. Il semble estre homme d'apparence. Plautus in Asinaria. At nunc dehinc scito, illum ante omnes minimi mortales pretij.

Tristis seueritas inest in vultu] id est, grauitas & constantia σεμνοσπονεί, seueritas est, quae à vero nulla ratione flecti potest, aliquando inclementiam, asperitatem, & immanitatem significat. Haec indulgentiae est contraria.

Tristis] tetrica metonymia ab effectu. At sicuti effusa

fusa hylaritas ferè lasciuiam atq; adeo stultitiam & leuitatem arguit, ita tristitia modestiam & grauitatem, quam Homerus senibus in vultu inesse ait.

Inest in vultu] Pleonasmus constructionis.

Atq; in verbis fides] persuasio. Vnde fidem facere.

Quid nam apportas?] Stomachantis interrogatio, & iam mendacij arguentis.

Nihil equidem] apporto. Posteaquam ex senis proserpocia dissimulanter ipsi fidem conciliavit, quae audiuerit, narrat: sed cunctanter & cum deprecatione suspicionis mendacij, quod sciret ea quidem hero nequaquam placitura.

Hem, Dromo, Dromo] Iteratio iram vehementer indicat. Serui iam olim nunquam ab ingenuis cadebantur, sed à conseruis: itaq; Dromonem vocat, qui delinquentem conseruum castrum, loris constringat.

Sublimem hunc] humeris impositum, sicuti repugnantes solemus. enleue, empogne moy cestui ci.

Quantum potes] quam celerrimè poteris. Ira siquidem non patitur moram.

Quamobrem] Miseretur conserui Dromo, & causam rogat.

Quia lubet] Satis iusta supplicij causa erat herilis voluntas, ideo cum Dauo agit summo iure.

Rape inquam] Urget morantem Dromonem. Et plus est vehementiae in hoc verbo quam in duco aut traho. Greci dicunt ἄλλ' αἰεταχέως.

Si quicquam mentitum &c.] defensio innocentiae à rei veritate per permissionem. Non loris cadito sed occidito.

Ego iam te committum reddam] Videtur alloqui Dromonem, quod Dauum rapere cunctetur. ac si dicat,

te reddam citum & celerem, ut videtur interpretari Donatus. Sin ad Dauum fiat sermo Geminus potest esse sensus, prior, Te perturbatum & sollicitum, reddam, sicuti Mouerit. nuptias perturbare conaris. Nam Physicis moueri est progredi de forma siue substantiali, siue accidentaria, sensibili aut insensibili, materiali siue immateriali, in aliam. Itaque à Cicerone affectus, timor, dolor, letitia, spes, vocantur animi motus, Eo quod animus malè affectus, in alium quendam quasi habitum & formam commutetur. Cicero Philipp. Neque enim illum similiter atque ipse eram, commotum vidi. Itaque commotum reddam, Gallicè ie te feray marri. Posterior sensus est, Te commouebo & excitabo securum & me contemnentem. Sic & nostrate lingua dicimus, ie t'aduanceray. Metaphora ab equis & animantibus, quae calcaribus, stimulis, aut fuste excitantur ac commouentur.

Tametsi hoc verum est? Apoptosis conquerentis, supple me commotum reddes? tametsi vera dixerim, me rapi ad supplicium iubes? Quò magis ad sui defensionem vera esse quae dixerit confirmat, eò Simonem reddit iratiorem, & Chremetem eadem opera deterret à nuptiis.

Tu tamen cura asseruandum, &c.] serua vinetum, ne aufugiat.

Atque audin? reuocat abeuntem.

Quadrupedem constringito] id est vincito strictè instar quadrupedum & ferarum. Nam hic tropus vsitatus est, ut adiectiuum, aut pro aduerbio sumatur, ut recens, horrendum, sublime, aut similitudinem significet, ut alibi Terentius. Accipio tristis, id est similis tristi. & Verg.

Namque

Namque ut conspectu in medio turbatus inermis. Pro similis turbato. Ita hic quadrupedem, more quadrupedum, & similiter ac quadrupedes vinciri solent. Sic & nos loquimur. lie le moy estroitement à quatre pied. videtur autem alludere ad morem Atheniensem, qui seruos, siquid grauius admisissent, vinculis quibusdam ligneis κωπῶνες appellatis à κωπῆω, id est inclino, stringebant. Quae ipsorum colla ita deprimerent, ut quadrupedum instar cogerentur stare, nec possent caput erigere. Id verò genus supplicij κωπωνισμὸς appellabatur, ut annotauit interpres Aristophanis in Pluto.

Constringito] Hac quae vulgus Grammaticorum futura putat imperatiui, propria sunt legibus & edictis magistratum. Itaque hoc verbo grauitatem imperij ostendit.

Age nunc] sarcasmus comminantis.

Iam ego pol hodie] Hac comminatio meritum supplicij profert cum exaggeratione. τὸ Iam, expletiva est particula, qua vernaculo nostro sermone simili phrasi vtimur.

Iam] Ie te monstreray aujourd'hui &c.

Hodie] Hac vox innuit nullam supplicij sumendi dilationem fore.

Si viuo] Hac exceptione crebrò vtimur modestiae gratia, & asseuerationis, cum nihil prater mortem nostro proposito abfuturum significare volumus. Tibi & Illi, pronomina disiunctionem significant in re communi.

Herum quid sit, &c.] de se in tertia loquitur vehementiae causa.

Illi] Pamphilo. Repetendus sensus, ostendam quid sit

q 2 sit

fit pericli patrem fallere. per Synezeugmenon.

Fallere] quod multo est indignius quam vim a-
pertam inferre.

Ah, ne fœui tantopere?] ne tam inclementer & se-
uerè tracta.

Chreme, pietatem gnati] *αὐτὸς ab indignitate,*
& Variatio à contrario per ironiam.

Pietatem gnati] *supple spectata. Est autem pietas*
iustitia species, qua Deo, patria, parentibus cogna-
tisq; officia persoluit.

Non ne te miseret mei?] *Commiserationem mouet*
à sua persona.

Tantum laborem] *tantam molestiam. Causa pro*
effectu.

Talem filium] *contemptim hac dicuntur ἐμπατρι-*
νός, & causa est seuitia.

Age Pamphile] *parascene ad expostulationem se-*
quentem.

Ecquid te pudet?] *supple exire?*

ACTVS V. SCENA III.

PAMPHILVS. SIMO. CHREMES.



Vis me uolt: perij: pater est. s. quid ais
omnium. c. ah:

Rem potius ipsam dic: ac mitte malè
loqui.

s. Quasi quicquam in hunc iam grauius dici possit,
Ain' tandem? cuius Glicerium est? p. ita prædicant.

s. Ita prædicant? ô ingentem confidentiam.

Num cogitat, quid dicat? num facti piget?

Vide, num eius color pudoris signum usquam in-
dicat?

dicat?

Adeon' impotenti esse animo, vt præter ciuium
Morem, atq; legem, & sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo Probros?
p. Me miserum s. modò ne id demum sensisti, Pam-
phile?

Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiendum tibi,
Eodem die istuc verbum verè in te accidit.

Sed quid ego: cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem huius sollicito amentia? an
Vt pro huius peccatis ego supplicium sufferam?

Imò habeat: valeat: viuat cum illa. p. mi pater.
s. Quid mi pater? quasi tu huius indigeas patris.

Domus, vxor, liberi inuenti inuito patre:
Adducti, qui illam ciuem hinc dicant, viceris.

p. pater. licet ne pauca? s. quid dices mihi? c. at
Tamen, Simo, audi. s. ego audiã: quid ego audiam,
Chreme? c. attamen dicat sine. s. age, dicat, sino.

p. Ego me amare hanc fateor, si id peccare est, fateor
id quoque:

Tibi pater me dedo, quiduis oneris impone, impera.
Vis me vxorem ducere? hanc vis amittere? vt po-
tero, feram.

Hoc mndo te obsecro, vt ne credas à me allegatum
hunc senem.

Sine me expurgem, atq; illum huc coram addu-
cam. s. adducas? p. sine pater.

c. Aequum postular: da veniam. p. sine hoc te exo-
rem. s. sino.

Quiduis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar,

g 3 Chreme.

Chreme.

CH. PRO PECCATO magno paulum suppli-
cij satis est patri.

COMMENTARIA.

Periclitatur Pamphilus deprehensus à patre & so-
cero apud Glycerium, quem Simo obiurgat, accusatq; im-
pudentia & intemperantia. Estq; hæc accusatio penè
tragica, quæ modestum adolescentem vehementer per-
turbat. Status orationis duplex. Pamphilum habere ux-
orem invito patre: Et subornatum senem allegasse qui di-
ceret Glycerium civem esse Atticam. Priorem non de-
fendit, sed crimen concedens, deprecatione utitur & pa-
tris se dedit potestati. Posteriores negat, & ut id de ipso
Critone liceat perdiscere, ipsum adduci postulat. Absol-
uitur Exordio, Propositione & Peroratione. Exordium ab
exclamatione ductum. Propositio recitatur cum amplifica-
tione per incrementum, & exaggeratione à circumstan-
tijs, & ubiq; indignitatis affectum permiscet. Peroratio
commiserationem habet à persona patris & etate.

Quis me vult?] aptè connectit hanc scenam cum su-
periore, & foras egrediens hæc loquitur.

Perij.] trepidat Pamphilus conspecto patre.

Quid ais?] iurgium incepturi indignantes hæc in-
terrogatione utimur. que veux tu dire?

Omnium] apostrophi: supple, flagitiosissime.

Ah: rem potius] Observa personarum varietatem.
Chremes semper placidus & miti ingenio fingitur. Simo
vehemens & suspiciosus.

Mitte malè loqui] desine convitia ingerere.

Quasi quicquam] Excusatio ab æquo per quandam
ironiam.

ironiam. In hac sermonis figura desiderari (hoc dicitis)
diximus.

Gravius] ἀκρωταποδοῦν, id est, acerbius & aspe-
rius quàm pro merito peccati. Videtur autem argumen-
tum à consequentibus. Indignum est facinus & grave,
indignis itaq; contumelijs dignus. Sed antecedens præ-
terit, & consequens Variat per hyperbolem, Nihil quic-
quam in illum gravius crimine dici potest.

Αἰν' tandem] interrogatio eludentis quod dicitur:
qua & Gall. utimur.

Civis Glycerium est?] percontatio intentionis vim
habens.

Ita prædicant] assertio à testimonio, qua utimur
cum quidpiam non certo scimus, sed ex aliorum sermo-
ne accepimus.

Ita prædicant?] Repetitio vehementer commoti.

O ingentem confidentiam] Cum nihil habeat quo
rem confessam infirmet, in personam inuehitur asseren-
tis, quod ex causa dicit esse Fabius. Est autem exor-
dium accusationis per exclamationem, & Variatio per
mutationem figura.

Confidentiam] audaciam, impudentiam. Hæc enim
ferè in malum accipitur, fiducia in bonum. Confidentia.
Fiducia.

Num cogitat?] Amplificatio per congeriem epana-
lepsi exornatam. Expolit enim hanc sententiam. Adeo
est impudens, ut nec pœniteat nec pudeat: sed per in-
terrogationem versus est orationis color. Non cogitare
quid dicatur, eius est, cuius rationem superat amentia.
Non pigere, id est pœnitere ob flagitium, pertinacis est
& animi obstinati, cum turpia non modo delectant,
sed etiam placent. Itaq; Aristoteles ἠθικῶν 7. ἀκόλαστον,
id est

id est intemperantem colligit deteriore non continente. Quod hunc sedatis perturbationibus pœnitet facti, idcirco est sanabilis: ille verò certa electione voluptatem amplectens, ob eam ipsam non propter aliud, nulla unquam pœnitentia ducitur, ideoque insanabilis est. Caterum custos, inquit Cicero, virtutum omnium dedecus fugiens, laudemque maximam consequens, Verecundia est. Quam qui cupiditate, ac furore perfregit, & prostravit, toto impetu in omne scelus ruit, fitque improbiſſimus. Tunc nullus est remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt. Quamobrem non est mirum si amoris duos effectus coniungat pertinaciam & impudentiam, qui cum accedunt, fit demum consummata infelicitas.

Vide num eius color] Cum semel pudorem expugnarit libido, fit homo modò nequior. Ideo impudentiam vrget, & ab effectibus pudoris περιφρασιως orationem amplificat. Breuius etenim dixisset, num erubescit? num pudet?

Color pudoris] Pudoris color, est rubor in facie, sicut timoris pallor. Vnde erubescere, quod futura probitatis indicium esse dicitur. Quare Diogenes Cynicus adolescentem dicebat malle se qui erubesceret, quam qui palleſceret. Est enim rubor virtutis color, vnde ille,

Plurimus inquit, ignem

subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.

Genæ in Verecundia & pudore rubescunt, vnde sedes hæc pudoris dicta. Hinc erubescere Latini dixerunt. Græci ἐρυθρῶν, Hebræi שׁוֹבֵן seu שׁוֹבֵן & שׁוֹבֵן. in coniugatione niphâl.

Αδεόν

Αδεόν' impotenti esse] Propositio accusationis altera, per ἀνεπιπλάττωσιν amplificata.

Impotenti animo] capto debiliq̃. Impotens dicitur Impotens. qui perturbatione superatus ab honestate rectaq̃ ratione deficit, quiq̃ suis cupiditatibus imperare non potest. Hic etiam Græcis ἀνεπίπλωτος dicitur.

Vt præter civium morem atque legem] id est, contra institutum & civitatis observationem. Caterum morem legemq̃ coniunxit, quòd honesta iustaq̃ lege & more constituta sunt. Veteres Academici etiam natura censuerunt, Plato libro de legibus septimo, hæc duo νόμους, καὶ ἔθνη seu ἐπιτηδεύματα, id est leges, & mores seu instituta dicit pariter omnibus civitatibus esse necessaria, ἀναὰ ἀλλήλων ἐκάτερα τῶν ἔκ εἶναι μὲν μα, & neutra sine alteris stare non posse. Præterea vulgò ius partiuntur in ἀγραφοῦ καὶ τὸ νομιμὸν. hoc lege, illud observatione, more, seu instituto constat. Quare legem moremq̃ simul iuncta subinde legas. Pomponius. Hoc ius, inquit, moribus non legibus introductum. Liviùs sexto secundi belli Punici. Tribuni plebis tum lege appellati, negarunt se in mora esse, quominus quod ei more maiorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret. Quintil. sexto. Pleraque in iure non legibus, sed moribus constant. Vnde more maiorum agere, selon la louable coustume de nos̃ ancêtres. Moribus introducere, mettre en coustume. Moribus & in mores recipere, prendre en coustume. Quæ explicat Budæus in Pandect.

Mos & lex, cur iuncta.

More maiorū agere.

Moribus introducere. Moribus recipere.

Lex Periclis.

Atque legem] Nanus legem intelligit à Pericle latam, de qua in ipsius vita meminit Plutarchus. Quæ vetabat connubia cum peregrinis iungere, vt si quis ex

9 5 duobus

duobus Atheniensibus non nasceretur, notus esset & ἀπολις, planeque expers honorum ac magistratum civilium.

Et sui voluntatem patris] ἀξίως id est, prater ius natura. Ac nomine πατρὸς τὴν ὕψος est ad vehementiam. Natura enim dicitur parentibus esse parendum. Quam legem complexus est decalogus, habetque promissionem.

Tamen] videtur ἀνακόλουτος sine suis relatiuis, sed ad exaggerationem facit.

Hanc] contemptum notat.

Habere] honesto verbo in re turpi utitur, de quo alibi diximus.

Studeat] pertinacis conatum significanter hoc verbo indicat.

Dedecus. Cum summo probro] dedecore & ignominia. Nihil autem (inquit Cicero) detestabilius dedecoratione. Est verò amplificatio ab effectis. Famam qui negligit, eum insigniter impudentem esse oportet.

Me miserum] Defensionem exorsurus interpellatur à patre, qui & illius miseriam per collationem temporis amplificat, & miseria causam simul indicat.

Demum. Demum] solum, tandem.

Olim istuc, olim] Iteratio insultantis.

Cum] per quo. Et ordo est. Olim eodem die quo animum induxisti tuum, efficiendum tibi quod cuperes, istuc verbum verè in te accidit, id est, tum demum miser factus es, ex eo quidem tempore, quo primum per æqua & iniqua, cupiditati tuæ facere satis voluisti. Nam, ut inquit Plato in Memnone. τὴν ἄλλο ἔστιν ἀθλιον εἶναι ἢ ἐπιθυμῆν τῶν κακῶν καὶ κτᾶν, id est, quid aliud est miserum esse quàm mala cupere et assequi?

Aliquo

Aliquo] quouis. Nam aliquis aliquando pro quouis Aliquis; vel quicumque accipitur.

Sed quid ego?] supple promoueo. Initium perorationis per correctionem.

Cur me excrucio?] ἐπεξεργασία cum epanalepsi ad commiserationem, quam mouet à sua persona & aetate.

Cur me macero?] hoc loco Macerare, est attenuare & macilentum reddere.

Cur meam senectutem] ἀπὸ ἀβητῆ ab aetate.

Sollicito] sollicitudine & cura afficio.

Amentia] indignitas à causa. At τὸ μαίνεται δὲ αὐτὸς ἔργος βροτῶν amor amentia est & furor mortalibus. Amor est amentia,

An ut pro huius peccatis] indignitas ab immerito.

Imò habeat] Permissio epilogi, vicem obtinens perorationis.

Mi pater] rursus exorditur defensionem Pamphilus, sed interturbatur à patre, qui negat se patrem appellandum ex factis illius.

Mi pater] hac appellatione & blandimento benevolentiam sibi comparare nititur.

Quid, mi pater?] μίμνους indignantis.

Patris huius] talis aut eiusmodi qualis ego sum.

Indigeas] magnificias & aestimes. Quibus enim indigemus, ea magnificimus, comme si tu tenois conte d'un tel pere. Videtur argumentari negatiuè ab officio filij. Mihi non pares, non igitur me habes patrem. Sed per tertiam, orationem variat vehementiæ causa. Et antecedens expolit per congeriem & auxesim.

Domus, vxor, liberi inuenti] σύνθησις numerorum & generum, quæ ἀπὸ παρανομίας habet gratiam. Et articulus affectui seruit.

Ad

Adducti qui illam] *Altera pars accusationis de al-
legato Critone, & numero multitudinis usus est ad rei
exaggerationem. Est autem in singulis ἐμφορῆς non
casu reperti, sed consulto adducti aliunde, &c.*

Viceris] *permissio iratorum, qua utimur cum perti-
nacem de sententia non possumus deducere, hacq; abru-
pte finit orationem. Gallicè, ie te donne gagné.*

Pater licet ne pauca?] *bis iam pro se agere parans
interpellatus est à patre. Itaq; dicendi veniam postulat,
quam per Chremetem tandem impetrat.*

Licet ne pauca] *supple dicere, me donnez vous li-
cence de dire deux mots?*

Quid dices mihi?] *interrogatio recusantis. id est, quid
causa dices, quam defensionem afferes?*

Ego me amare] *Concessio criminis per deprecatio-
nem. Fatetur quidem amorem, subornationem hospitis
negat.*

Si id peccare est] *obliquè indicat non esse peccatum
si amet, sed ex hypothese sententiam variat, ut patri sa-
tisfaciat. Hinc pius & modestus erga patrem filij ani-
mum perspicias.*

Tibi pater me dedo] *translatio à re militari ad
misericordiam extorquendam conueniens.*

Quiduis oneris] *alia translatio à iumentis. Obiter
indicat patri has nuptias sibi oneri & molestiae fore, sed
aptis Metaphoris rem patri iniuriam præmollit.*

Hanc vis amittere,] *ῥάθι & miserationis est in ver-
bo, & onus hoc est amanti graue, ideo perstat in Me-
taphora.*

Ut potero] *(inquit.)*

Feram] *An possit ferre dubium patri relinquit.*

Hoc

Hoc modo te obsecro] *Vides ut modeste inficia-
tionem subornationis in deprecationem mutet, ne patrem
offendat.*

Allegatum] *summissum & subornatum. Id enim
proprie hoc verbum Ciceroni significat. Inde allegatio-
nes amicorum intercessionem appellat. Post Ciceronem re-
ceptum fuit, ut significaret proferre in medium, qua si-
gnificatione factum est Gallicum. alleguer.*

Sine me expurgem, atque illum huc coram]
*ἵσθον ἄρῳτῳ. Vult enim prius illum adducere, ut
se purget.*

Expurgem] *defendam, hoc crimine eximam. Trans-
latio à sordidis & reis. Nam reorum status & conditio
olim sordes dicebatur. Et sordidati rei.*

Adducas?] *repetitio irati & recusantis.*

Aequum postulat] *defendit Pamphilum Chremes
à iusto, & enthymema est ab adiunctis.*

Da veniam] *aut peccatum remitte, aut permitte
hospitem adducat. Nam venia, & noxa condonationem
pardon: aut permissionem agendi quidpiam significat. Venia:
congé & licence.*

Sine te exorem] *hoc abs te impetrem. decurrit Epi-
thasis ad catastrophem.*

Dum he] *dum pro dummodo.*

Comperiar] *pro comperiam. Heterosis generis.*

Ab hoc] *Pamphilone an hospite?*

Pro peccato] *ἡνωμὴ de paterna clementia, qua ἀντι-
θέτως habet gratiam.*

Paulum supplicij] *levis poena ut obiurgatio, expo-
sulatio.*

Patri] *amplificatio à persona.*

ACTVS

ACTVS V. SCENA IIII.

CRITO *hospes.* CHREMES. SIMO.
PAMPHILVS.MITTE orare, vna harum quæuis causa
me, vt faciam, monet.Vel tu, vel quod verum est, vel quod
ipsi cupio Glycerio.CH. Andrium ego Critonem video & certè is est,
saluos sis Crito:Quid tu Athenas insolens? CR. euénit. sed hiccine
est Simo?CH. Hic est. S. mén' quæris? EHO, tu Glycerium hinc
ciuem esse ais?CR. Tu negas? S. itáne huc paratus aduenis? CR.
quare? S. rogas?Tu ne impune hoc facias? tu ne hic homines adole-
scentulos,Imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem inlicitis?
Solicitando & pollicitando eorum animos lactas?

CR. sanus ne es?

S. Ac meretricios amores nuptijs conglutinas?

P. Perij: metuo, vt substet hospes. CH. si, Simo, hunc
noris satis,Non ita arbitrere, bonus hic est vir. S. hic vir sit bo-
nus?

Itáne attemperate venit hodie in ipsis nuptijs,

Vt veniret antehac nunquam? est verò huic creden-
dum Chreme?P. Ní metuam patrem, habeo pro illa re illum quod
moneam probe.

S. SY

S. Sycophanta. CR. hem. CH. sic, Crito, est hic. mit-
te. CR. videat qui fiet.Si mihi pergat, quæ volt, dicere: ea, quæ non volt,
audiet.Ego istæc moueo, aut curo: non tu tuum malum
æquo animo feres?Nam ego quæ dixi, vera, an falsa audieris, iam sciri
potest.Atticus quidam olim, naui fracta apud Andrum
eiectus est,Et istæc vnà parua virgo: tum ille egens, fortè ap-
plicatPrimum ad Chrysidis patrem se. S. fabulam ince-
prat. CH. sine.CR. Itáne verò & obturbat. CH. perge. CR. tum is
mihi cognatus fuit,Qui eum recepit: ibi ego audiui ex illo, sese esse At-
ticum:Is ibi mortuus est. CH. eius nomen? CR. nomen tam
citò tibi?Phania. CH. hem, perij. CH. verum hercle opinor
fuisse Phaniam.Hoc certò scio, Rhamnusium se aiebat esse. CH. &
Iuppiter.CR. Eadem hæc, Chreme, multi alij in Andro tum
audiuere. CH. vtinamId sit, quod spero. EHO dic mihi, quid eã tum Crito?
Suam ne esse aiebat? CR. non. CH. cuiam igitur? CR.

fratris filiam.

CH. Certè mea est. CR. quid ais? S. I. quid tu ais? P.
arrige aures Pamphile.

S. Qui

- s. Quis credis? c h. Phania ille frater meus fuit. s. noram, & scio.
- c h. Is hinc bellum fugiens, mecum in Asiam persequens proficiscitur.
- Tum illam hinc relinquere est veritus. post illa, nunc primum audio
- Quid illo sit factum. p. vix sum apud me, ita animus commotus est metu.
- Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
- s. Nae istam multis tuam inueniri gaudeo. p. credo pater.
- c h. At mihi vnus scrupulus etiam restat, qui me male habet. p. dignus es
- Cum tua religione odio: nodum in scirpo quaeris.
- c r. quid istuc est?
- c h. Nomen non conuenit. c r. fuit hercle aliud huic paruae. c h. quod Crito?
- Nunquid meministi? c r. id quaero. p. egone huius memoriam patiar meae
- Voluptati obstare, cum ego possim in hac re medicari mihi?
- Non patiar. heus Chreme, quod quaeris, Pasibula est. c r. ipsa est. c h. ea est.
- p. Ex ipsa millies audiui. s. omnes nos gaudere hoc Chreme
- Te credo credere. c h. ita me dii ament, credo. p. quid restat pater?
- s. Iandudum res reduxit me ipsa in gratiam. p. Alepidum patrem.
- De vxore, ita ut possedi, nihil mutat Chremes. c h. causa

- causa optima est:
- Nisi quid pater aliud ait. p. nempe. s. id scilicet. c h. dos est Pamphile
- Decem talenta. p. accipio. c h. propero ad filiam: eho mecum Crito:
- Nam illam me haud nosse credo. s. cur non illam huc transferri iubes?
- p. Recte admones, Dauo istuc dedam iam negoti. s. non potest.
- p. Quis? s. quia habet aliud magis ex sese, & maius. p. quidnam? s. vincus est.
- p. Pater, non recte vincus est. s. haud ita iussi. p. iube solui obsecro.
- s. Age fiat. p. at matura. s. eo intro. p. o faustum & felicem hunc diem.

COMMENTARIA.

Ne in immensum crescat fabula, non inducit Pamphilum rogantem hospitem: sed id factum esse ex Critonis exeuntis à Glycerio verbis facile intelligi datur. Itaque ex abrupto scenam exorditur, in qua peragitur καταστροφή Pamphili, & Dauus liberatur.

Vna harum] Nam, aut alia redditiva rationis intelligitur. Amplificat autem ἀτιολογία per μετρησόμεν.

Vel tu] Pamphilum dicit.

Vel quod verum est] ipsa rei veritas.

Vel quod ipsi cupio] bene opto Glycerio. Cice. Quid ego Fundanio non cupio?

Andrium Critonem] iam cognitum Chremeti Critonem facit, cum ob compendium fabulae, tum ob fidem

in agnoscenda Glycerio.

Et certè is est] τὸ &, admirationem ob rem insperatam videtur significare. Gallicè. he, Vrayement c'est lui. solet enim Latinis aliquando affectibus inseruire hac coniunctio, sed Hebræis frequentissimè.

Quid tu Athenas insolens] rarus, insuetus, id est præter solitum morem, supple venisti? Id enim propriè insolens significat: vnde hominem præter vsitatum modum ferocem dicimus insolentem, & insolentiam factum insolitum & inauditum, cum eo genere peccamus, quod vsitatum non est.

Euenit] accidit, contigit, pudet causam fateri. Et hæc incerta responsio suspicionem auget simoni falsitatis.

Hiccine est Simo?] hic, quem intueor est ne simo?

Hic est] c'est lui.

Eho tu Glycerium] Intentio accusationis, per interrogationem.

Hinc] d'ici.

Tu negas?] dy tu du contraire? hæc interrogatio asserentis depulsionis vim habet.

Ita ne huc paratus aduenis?] Inficiatio obliqua & propositio accusationis, qua crimen falsi testimonij videtur obiectare.

Aduenis huc] Athenas, vbi est Areopagus scelerum vindex.

Paratus] instructus, edoctus, allegatus, & subornatus.

Quare?] interrogatio admirantis.

Tu ne impune hoc facias?] Comminatione deterret,

&

& accusationem auget expolitione, cuius singula voces pondus habent argumenti.

Tu ne] hospes & peregrinus. Prima circumstantia.

Hic] secunda, Athenis.

Homines adolecentulos] Tertia, & indignitas ab ætate.

Imperitos rerum] Quarta, id est incautos, nulla experientia præditos, omnibus deceptu faciles. Lingua vernacula bonos viros huiusmodi homines vocat. Cicero pro domo sua facultate oblata ad imperitorum animos iucitandos. itaq; imperitos, hoc loco Budæus interpretatur ἀνάγους, ἢ ἀπειρους ἢ ὑπερματῶν. Vide eiusdem commentaria.

Eductos liberè] Quinta, ingenuè & honestè educatos, quiq; nihil dum præter honestatem nouerunt. Ideo si quid delinquunt, non voluntate, sed imprudentia delinquunt. Nam ea per imprudentiam fieri dicuntur, quæ ignorantur ab agente. itaque adolecentuli veniam merentur, interdum misericordiam. In culpa est potius qui impellit & decipit.

In fraudem illicis] Sexta, pertrahis in dispendium. Fraus enim & dolum & damnum seu periculum significat. dommage. vnde fraudi esse dicimus.

Sollicitando,] septima, modi circumstantia sollicitando, id est suadendo.

Pollicitando] promissis & pollicitationibus.

Eorum animos lactas] idem alijs verbis dixit, in fraudem illicis. Estq; metaphora à nutricibus quæ ob lactationem pueros sui maximè cupientes & amantes reddunt, id est, delinis & pellicis animos simplices eorum

r 2 ενάγ

ἐπαγγελίᾳ ἢ διαβουκολῆν dicunt Græci, id est captare
& decipere. attirare par douces paroles, amadouer. Nu-
trices verò ipsis dicuntur θηλάειν ἢ ἐπισχῆν τῶν θη-
λῶν. Pueri verò θηλάζειν, id est lactere. Hæbreis sicut
& Latinis verbum lactandi ad impostores transfertur
Nam ἄνδρ' maximè in coniugatione piel fraude quem-
piam circumuenire significat.

Sanus ne es?] sane mentis.

Ac meretricios amores] acerbè inuehitur & o-
mnem filij culpam in ipsum transfert. Amores non pu-
dicos sed meretricios. indignitatem auget à conditionis
circumstantia, & grauius hoc dicto criminatur Glyce-
rium. Est autem ἐρεώσις primi generis, pro amores me-
reticum. Hic vides, vt ira disertum senem faciat, vtq;
oratorie dilatet hanc orationem. Tu ne hinc impune adole-
scentes corrumpis? Subiectum huius orationis non va-
riatur. Prædicatum partim eputhesis partim circumstan-
tijs amplificatur. Verbum περιφρασιῶς aptis metapho-
ris circumloquitur. Vtiliter obseruabunt has amplifica-
tiones pueri ad parandam copiam, & stylo exercendo
imitabuntur.

Conglutinas] Metaphora ab artificibus glutino dis-
soluta copulantibus, indissolubilem significans conne-
xionem.

Metuo, vt substat hospes.] Vt, ne non expectet, id
est timeo ne discedat fugatus maledictis paternis. De hoc
genere sermonis vbi negatio includitur alibi à nobis di-
ctum est.

Si Simo hunc noris satis] defendit Critonem Chre-
mes, quod facit ad fidem agnoscendæ filia, & accusa-
tionis culpam in Simonis ignorationem transfert.

Hic

Hic vir sit bonus?] Ironica repetitio negantis quod
asseruit Chremes. Et sit, pro esse possit potentiale est.

Ica'ne attemperatè] Refellit dictum Chremetis con-
iectura à tempore sumpta Nunquam antea huc ac-
cessit, nisi nunc ipso nuptiarum tempore. Ergo paratus
& summissus aduenit, nec bonus vir est.

Attemperatè] tempestiuè & opportunè. si bien à
temps, & à l'heure. aliàs moderatè significat.

Hodie] cum celebranda essent nuptia.

Vt antehac] Vt apostaticon est.

Est verò huic credendum?] Conclusio enthymema-
tis per interrogationem, & τὸ verò stomachantis est no-
ta potius quam ironia.

Illum quod moneam] Critonem.

Sycophanta] calumniator, vbi paulatim ira accen-
sa est conuitia ingerit, & ea quæ quidem hospes audire
nollet: id enim se timere paulò antè dixit. Ideo exclam-
mat Hem.

Sic Crito est hic] purgat Simonem à naturà, naturæ
enim ignoscitur non voluntati.

Sic] talis, id est vehemens & iracundus.

Videat] hoc verbum securitatem & contemptum
notat. Et qui, pro qualis est positum.

Si mihi pergit] modesta comminatio, quæ in prouer-
bium abiit. Sophocles apud Plutarchum. Φιλῆ γὰρ γλώτ-
την ἐκχέας μάτιω, Ἀκῶν ἀκείων οὐς ἐκῶν ἐπὶ λόγῳ,
id est interprete Erasmo, Etenim solet qui dicta temere
iecerit audire nolens verba quæ dixit volens.

Ego istæc moueo aut curo?] defensio coniectura-
lis per ratiocinationem quasi velit dicere. Non meum

agitur negotium nihil ad me attinet, itaq, non curo.

Moueo] commoueo, excito, & sollicito? Gallicè me mesle ie ou me soucie ie de cela?

Non tu tuum malum] grauis & prudens parænesis ad iracundum. Malum vocat amorem filij, locutus ex opinione Simonis. Et aptè leniter iniuriæ respondentem facit hospitem, ne si acerbior exarsisset ira inter se, abiret aut ipse hospes aut simo: Oportuit autem vtrunque adesse ad agnitionem Glycery, ad complendam catastrophem.

Nam ego quæ dixi] Variat orationem per relativa & loco sint, audieris apponit. Et est preparatio ad sequentem narrationem quæ pars est argumenti.

Atticus quidam] à persona narrationem orditur.

Eiici.

Nauis fracta] naufragio eiectus est. Et eici dicuntur, qui naufragium passi, vi tempestatis ad littus salui protruduntur.

Tum ille egens] facta iactura.

Applicat primum se] adiungit Cicero. Meq, ad eundem quem Romæ audiueram, Molonem applicaui. Primum abundat.

Fabulam inceptat] occipit, inchoat. Narrationem falsitatis arguit.

Ita ne?] supple, fabulam incepto?

Obturbat] Chremeti hoc dicit, id est interpellat, obstreperit mihi vera narranti.

Tum is mihi cognatus fuit] & hoc ad rei fidem facit.

Ibi] apud cognatum.

Audiui ex illo] Phania, causas scientiæ profert, ut loquuntur

loquuntur pragmatici.

Eius nomen] quod erat, supple?

Nomen tam cito tibi?] edi postulas? Eclipsis est cogitantis.

Hem, perij] Exclamatio agnoscentis & dolentis de interitu fratris.

Verum hercle opinor] affirmatio subdubitantis.

Hoc certo scio] rem. Vbi in memoriam reduxit citra dubitationem affirmat.

Rhamnusia] Rhamnus, Rhamnuntis, ut Trapezus, Trapezuntis, Attica vicus fuit, in quo celeberrimum fuit Nemese Deæ templum, eiusq, simulacrum marmoreum à Phidia factum vlnas decem altum.

Eadem hæc] confirmat à testibus, & alterum horum pronominum aut superfluit, aut asseuerationis causa sunt coniuncta.

Vtinam id sit] votum filiam superstitem desiderantis.

Quid eam tum] τὸ quid absolutum esse videtur, vs sit ordo, eam'ne tum suam esse aiebat?

Quid ais?] Admirantis interrogatio, quæ candorem Critonis indicat, & omnem fallaciæ suspicionem ab hoc remouet.

Arrige aures Pamphile] Metaphora ab animantibus auribus, seu à membro obsceno. Erasmus sæpe vtitur vbi quidpiam, quod attinet ad aliquem, quodq, auditu est iucundum, narratur. ἐπιβάλλειν τὰ ὦτα, Greci videntur dicere.

Qui credis?] Elicit hæc interrogatio occasionem Phaniæ abeundi à patria.

Noram & scio] venit & ipse Simo in partem agnitionis, ut ex hoc quod verum esse novit, facilius ceteris fidem habeat.

Post illa,] tempora, quod Græci μετὰ τῶντα. Plautus in Curculione. Sed cum, inquit, qui mihi vendidit illam, nunquam post illa vidi.

Nunc primum audio] Gallicè, Voicy les premieres nouvelles que j'ay seen qu'il est deueni.

Quid illo sit factum] Subtracta est propositio de. Sed de hoc genere sermonis alibi diximus.

Vix sum apud me] Vix mentis sum compos, Metaphora ab his qui domo absunt. Ἐν τοῖς τῶνθεσι ὄντες, extra se poni, seu ut inquit Cicero, de potestate exiisse dicuntur, quod ratio affectibus precipitetur, videaturque penè sopita in perturbationibus. Itaque disertè Ennius. Tum pavor mihi sapientiam omnem ex animo expectorat. Et Verg.

ut vidi, ut perij, ut me malus abstulit error.

Ita animus] Amplificatio à causis. At cum sint quatuor perturbationes, duæ ex opinione boni, letitia, cupiditas: duæ ex opinione mali, metus & ægritudo: postremam prætermittit in hac enunciatione, ne suam voluptatem huius mentione inquinat.

Metu] amittenda Glycerij propter paternam severitatem.

Spe] ipsius recuperanda, quod sit Attica civis.

Mirando] dum miror interpretatur Donatus. Cuius testimonio probat Linacer, Latinorum passiva verba, habere participia presentis temporis. At mirum est tantam turbam, tantum periculum tam subito in bonum fuisse

fuisse commutatum.

Ne istam] Gratulatur Chremeti de filia agnita.

Multis] supple modis. Bemus legit multi modis vestito more, vbi, detracta est.

At mihi vnus] hæc dubitatio Chremetis est vice occupationis ad soluendum errorem de nomine. Possent enim quis dicere, an non per triennium audito Glycerij nomine, potuit pater filiam agnoscere, aut diligenti inquisitione antea scrutari filiane esset? Ostendit itaque nominis immutationem in causa fuisse. Scrupus est lapillus pedes ambulantium ladens. Per Metaphoram molestiam, dubium, δεισιδαιμονία, & superstitionem significat. Vnde scrupulosos non inepto verbo supersticiosos appellant.

Qui me malè habet] me torquet. perstat in Metaphora.

Cum tua religione] sollicita & anxia cura. Collumella religiosè pro sollicitè & accuratè dixit. Sed de huius nominis significatione aliàs.

Nodum in scyrpo quæris] Proverbum in anxium & nimis diligentem ac meticulosum, qui scrupulum mouet vbi nihil est dubitandum. Ennius apud Festum.

Quæris & in scyrpo, soliti quod dicere, nodum.

Id quæro] obliuio Critonis indicat non fuisse summisum ad fallendum.

Ex ipsa millies audiui] μυριάς numerus certus pro incerto. Indicat consuetudinem, quam cum Glycerio habuit.

Ita me di ament] formula iurisiurandi vulgaris. id est, ita sint mihi propitij Dy. ainst m'ayde Dieu.

τ δ Quid

Quid restat pater?] *obliqua postulatio nuptiarum glycery.*

Olepidum patrem] *venustum. A lepore, lepos vero à nomine lepus, autore Priscia. lib. 1111. Vel ἀπό λέπιδος.*

Aliud ait] *rusticè diceretur, nisi ait contrarium, si non pere ne dit du contraire.*

Nempe] *ἐμειλὶς dubitanter & timidè asserentis, audicndum est verbum, vult.*

Id scilicet] *volo, supple.*

Dos est Pamphile] *Ignominiosum erat indotatas uxores ducere. Apud Romanos priscos, dos æs grave fuit, id est expensum, rude, & informe, deinde signatum pecudis nota. Unde & pecunia dicta. Postea argentum, quod signari cœpit Q. Fabio. C O S. At initio decem millia æris dotes non excedebant. Sed deinde corruptis moribus ad quadraginta millia sunt prætergressæ: adeo ut Megulia, quod quingenta æris millia doti haberet, dotata nomen tulerit. Dotalia prædia, quæ in dotem dantur, fonds donnez pour dote, quæ inuita uxore viro alienari non licebat, Iulia lege prohibente, ne uxor indotata maneat.*

Decem talenta] *Talentum sexcentis coronatis valet, decem talenta sex milibus coronatorum.*

Dauo istuc dedam] *Dauu mentionem inicit, ut sit eius liberandi occasio. Nam esset præter decorum comœdiæ, si cæteris liberatis, solus in periculo relinqueretur.*

Quis] *Admiratio nescientis.*

Quia habet aliud] *supple negotium.*

Magis ex sese] *id est suum, magis ad se pertinens.*

Non

Non rectè] *immeritò, non iuste vincit us est, il est lié iniustement & à tort.*

Haud ita iussi] *potest aut sine spiritu legi, aut interrogationis nota post haud scribenda est: quasi diceret, Non, supple, rectè vincit us est. Ita iussi fieri, vel sine distinctione, non ita iussi ut vinceretur, id est non tam strictè. Potest etiam illud haud sine interrogatione legi, ut sit fatentis non rectè vinci, ut sit sensus: non quidem rectè vincit us est, sed ita iussi.*

O faustum & felicem hunc diem] *Exclamatio amatoris, quam sequenti etiam scena continuat. In ominationibus, solemne fuit hæc duo epitheta coniungere, quod felix faustumq; sit Reipub.*

ACTVS V. SCENA V.

CHARINVS. PAMPHILVS.
DAVVS.

PROVISO, quid agat Pamphilus: atq; eccum. p. aliquis forsan me putet, Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.

Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror,

Quod voluptates eorum propriæ sunt. nam mihi immortalitas

Parta est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.

Sed quem ego potissimum exoptem nunc mihi, cui hæc narrem, daries

c. Quid illud gaudi est? p. Dauum video, nemo est, quem malle omnium:

Nanque

Nanque hunc scio mea solidè solum gauisurum gaudia.

COMMENTARIA.

Cum sit argumenti duplicis hæc fabula, Pamphili absoluta catastrophe, superest ut Charini quoque peragatur, qui eius auxilio alteram Chremetis filiam ducit uxorem.

Prouiso quid agat] Prouiso. compositum pro simplici.

Quid agat] An Philumenam ducat.

Aliquis forsan] Occupatione vititur, quia Epicuri dogma est asserturus, quo nullum fuit omnium ferè Philosophorum suffragijs damnatus.

Me non putare hoc verum] non id sentire quod loquor.

At mihi nunc] quasi dicat, at in præsentia id verum esse existimo.

Ego vitam Deorum] Amplificatio felicitatis, & argumentatio à causis. Vita Deorum immortalitate & voluptatibus perpetuis constat, Ego immortalitatem sum assequutus: Itaque Deorum vitam sum assequutus. Hoc ex sententia Epicuri affirmat. Ille enim vitam iudicabat beatissimam, quæ plurimum haberet voluptatis, tristitiæ quàm minimum.

Sempiternam] Deorum proprium est hoc Epitheton. Est autem æternum ut sentiunt Philosophi, tempus infinitum & interminabile, principium non habens neque finem habiturum.

Voluptates eorum sunt propriæ] non ad tempus mutuò acceptæ minimè fluxæ, & caducæ, sed perpetuæ. Quod enim est verè proprium, omni tempore & semper inest.

inest. Atqui dii non immutantur, non patiuntur ludibria fortuna, non laborant siti, fame, frigore, morbo, senectute, bello, discordia: in eos mors acerba nihil potest, non metuunt: In eadem beatitudine, in eadem sede perpetuo manent.

Nam mihi immortalitas parta] Assumptio argumentationis.

Si nulla ægritudo] Correctio modestiæ causa.

Ægritudo] Dolor, tristitia, nam à Cicerone ita nominatur frequentissimè. Porro non sine causa hac exceptione vititur. Quod infinita sint mala quibus agitur hominum vita, quæ in magna rerum mutabilitate versatur. Et ut præclare dixit Euripides. Οὐ γὰρ ποτ' ὀρθῶς ἢ τὸ χαῖς βέλτοια ἔξαρ τοῦ αὐτοῦ δαίμονος εἰσαὶ δὸνῆρ. id est, non est cur is cui prospera fortuna successit, existimetur semper eandem retinere posse. Nec alienum arbitror quod finxit Socrates in Phedone. Olim voluptatem & dolorem se mutuò apud Iouem accusasse. Cumq; à Deo non posset inter ipsas dissidium componi ob pertinax inter se odium, vinculis insolubilibus ita astrictas & colligatas fuisse, ut tametsi tantopere discordarent, semper tamen vnà essent, simulq; traherentur. Qua fabula disertè significat alteram alterius semper esse comitem. Quamobrem à Romanis diuæ diuæ colebantur in eodem templo: Angeronia ab angoribus dicta, & Volupta à voluptate, indicantibus in vita hominum voluptates ac dolores inuicem mixtas esse. Huc pertinent duo illa Iouis dolia in limine posita, bonis malisq; plena, ex quibus mortalibus elargitur. de quibus meminit Homerus Odys. ω.

Intercesserit] interuenerit, inciderit. Tamen casus fortune

fortune aduersus (inquunt Philosophi) non tollit felicitatem, sed opprimit, & inquinat beatitudinem. Et ut videatur quispiam infelix angoribus & infortunijs afflictus, non est tamen. Propterea quod culpa caret, & in medijs calamitatibus virtutem retinet, nec quicquam inuisum improbum, ideo committit.

Sed quem ego] preparatio ad congressum personarum.

Nemo est] Ordo nemo est omnium quem malle, supple mihi dari.

Nanque hunc scio] Ratio ab euentis & ab adiunctis beneuolentiae.

Gauisurum gaudia] Graecorum exemplo loquutus est, qui χαλπερ χαρα dicunt, & saepe verbis quae αὐτοεπειρῆμα appellant accusatiuum consimilis significationis tribuunt, qui nonnunquam Latinis mutatur in ablatiuum: Vita vino, gaudeo gaudio. Cicero lib. x. episto. In Theatrum Curionis Hortensius introijt, puto, ut suum gaudium gauderemus.

Solidè] perfecte ex animo. Gratiam agnominatiōis querit.

ACTVS V. SCENA VI.

CHARINVS. PAMPHILVS. DA VVS.

PAMPHILVS vbinam hinc est? P. Daue. D. quisnam homo est? P. ego sum. D. O Pamphile.

P. Nescis quid mihi obtigerit? D. certe: sed quid mihi obtigerit, scio.

P. Et quidem ego. D. more hominum euenit, ut quod sim nactus mali,

Prius

Prius rescisceres tu, quam ego, quod tibi euenit boni.

P. Mea Glycerium suos parentes reperit. D. O factum bene. C. hem.

P. Pater amicus summus nobis. D. quis? P. Chremes. D. narras probe.

P. Nec mora vlla est, quin eam vxorem ducam. C. num ille somniat

Ea, quae vigilans voluit? P. tum de puero, Daue? D. ah desine:

Solus est, quem diligunt dii. C. saluus sum, si haec vera sunt.

Conloquar. P. quis homo est? Charine, in tempore ipso mihi aduenis.

C. Bene factum. P. hem, audistin? C. omnia. age, me in tuis secundis rebus respice.

Tuus est nunc Chremes: facturum, quae voles, scio esse omnia.

P. Memini, atq; adeo longum est, nos illum expectare, dum exeat.

Sequere hac me: intus apud Glycerium est nunc. tu Daue abi domum:

Propera, accerse, hinc qui auferant eam: quid stas? quid cessas? D. eo.

CALLIOPIVS.

Ne expectetis, dum exeat huc: intus despondebitur: Intus tranligetur, si quid est quod restet. Plaudite.

COMMENTARIA.

Dauus vinculis solutus querit Pamphilum, colloquio interuenit Charinus, qui opem Pamphili implorat, ut Philum

Philumenam ducat.

Hic abundās. Pamphilus vbinam hic est:] hic, abundat, initio quidem orationis durius. *Aemilius probus Chabrias Atheniensis, hic quoque in summis habitus est ducibus. Longiore vero orationis tractu elegantissimè, ut apud Livium. Ita geniti atq; educati, cum primum adoleuit etas, nec in stabulis, nec hi ad pecora segnes, venando peragraré saltus, &c.*

Quisnam homo est:] alia pleonasmos Terentio familiaris.

Nescis quid mihi] exultantis interrogatio, & dicere cupientis, qua etiamnum nostrate lingua utimur.

Certè] supple nescio.

Sed quid mihi obtigerit, &c.] de vinculis hoc dicit ridiculè.

More hominum euēnit] locus communis per contentionem de fama mali, quæ quam boni est celerior & peruagatior inuidia & malignitate hominum, quibus bona aliena displicent: Mala delectant magis.

Mea Glycerium] rem omnem prius varijs personis actam vna sententia complexus est, ut breuitati studeat: hanc si velit euoluere, odiosè iam dicta repeteret.

O factum benè] exclamatio gratulantis.

Hem] letantis est.

Pater] Glycerij.

Quis] interrogatio ad rem dubiam tollendam, incertum enim erat de patre an de socero loqueretur.

Narras probè] Est & hæc forma gratulandi. Et tò probè non audientis consensum, sed letitiam significat, ac si diceret, narras quæ sunt mihi voluptati. Nam quæ vera & proba sunt, auditu quoque sunt iucunda.

Num

Num ille somniat:] Prouerbiū in magna rei admiratione, cum quempiam gaudio exultare nimio, ob causamq; nobis incognitam conspiciamus. *Plautus in Capiui duo. Hic vigilans somniat. quasi diceret, Num ille tanquam somnio est beatus? Nam quicquid optaris id sepe somniare contingit. Aristoteles enim somniorum causam efficientem duplicem esse dicit: Extraneam, quam cali influxus, elementi circūstantia, necessitatis, aut casus fortuiti occasio præbet. Internam, quæ ex corporum diuerso temperamento proficiscitur: aut à mente, quæ corporibus somno sopitis, & omni cessante sensu, recogitat ea quæ vigilando concupiuerit, aut metuerit. Quare cum somnia ferè vigilantis phantasiā & imaginationem sequantur, præcipit vulgaris poëta ea ne curemus,*

— Nam mens humana quod optat

Dum vigilans sperat per somnum cernit id ipsum.

Quæ voluit] appetiuit.

Tum de puero Daue] amatoriè.

Ah, desine] reiectio, ob nimiam curam & importunitatem.

Solus est quem diligunt Di] *Ἐπεροβολὴ* de magna cuiuspiam felicitate. Porro felicitatis causas enumerat Philosophus ἠθικῶν primo. disciplinam, consuetudinem, exercitationem, Deum, & fortunam. Quarum (quæ primò collocantur) principia in nobis sunt, ad nosq; magis pertinent: At causæ duæ postremæ nimirum Deus, & fortuna, non sunt in nostra potestate. Cum itaque mentibus humanis insita sit persuasio Deos esse, eosdemq; omnis boni & felicitatis autores, nemo est qui eos sibi propitios non optet, & sacrificio demereatur. Ac propterea illustrissimos quosque heroes Deorum filios, cognatos, &

amicos

amicos fuisse fabulatur antiquitas: ut Herculem Iouis, Plissem Mineræ, Aeneam Veneris, Ideoq; felicissimos. Est autem argumentum ab antecedentibus, Djs est amicus, felix igitur futurus. Terentius alibi. Solus à Djs diligere Antipho.

Quis homo est? Prior alloquitur Dauum, & Charinum Pamphilus, Nam visurus Glycerium querit compendium, nec vult detineri diutius.

Benefactum] Gratulatio est de fortuna Pamphili, sed negligentior prætermissa exclamationis nota: Erat enim subtristis Charinus cui non æquè ac Pamphilo amores cedebant. At hæc gratulatio vice exordij est, quam sequitur propositio per deprecationem, mox confirmatio illius à facili.

Age me in tuis] Propositio pathetica ad commiserationem,

Me]amicum, emphasis.

Secundis] prosperis, & ad voluntatem tuam fluentibus. Metaphora à fluminibus & mari. De secundis rebus meminit, quod non raro ipsæ nos non modo amicorum, sed nostri etiam obliuisci faciant.

Tuus est nunc]suasio à facili, & enthymema ab antecedentibus.

Memini]tui nequaquam sum oblitus.

Arque adeo] properat ad finem, Ideo longiorem abrumpt actionem.

Accerse hinc qui] Quàm artificiosè causas inuenit, ut omnes persona proscenium deserant, At paulò ante dixerat Simo, Cur non illam huc transferri iubes?

Quid stas? Quid cessas?]amatoris affectum indicant hæc interrogationes.

Intus

Intus despondebitur] Charinus. on fera la dedans les accordances, les fiançalles. Potest enim hoc verbum sumi etiam ἀποσπονδῆς.

Intus transigetur] peragetur, absoluetur de dote Philumena, de Chrysidis hæreditate, quàm ad se pertinere dicebat Crito. De cæteris rebus quæ supersunt.

Plaudite] Hoc verbum solet addi in fine comædiarum, ut testatur Quintilia. Cicero. his in Theatro plaudebatur.

FINIS COMMENTARIO-
rum P. Menenii in Andriam
Terentii.

EUNUCHVS

TERENTII.

PERSONAE.

PHAEDRIA,	<i>adolescens.</i>
PARMENO,	<i>seruus.</i>
THAIS,	<i>meretrix.</i>
GNATO,	<i>parasitus.</i>
CHAEREA,	<i>adolescens.</i>
THRASO,	<i>miles.</i>
PYTHIAS,	<i>ancilla.</i>
CHREMES,	<i>senex.</i>
ANTIPHO,	<i>adolescens.</i>
DORIAS,	<i>ancilla.</i>
DORVS,	<i>eunuchus.</i>
SANGA,	<i>seruus.</i>
SOPHRONA,	<i>nutrix.</i>
LACHES,	<i>senex.</i>

PROLOGVS. *Trimetri.*



Siquisquam est, qui placere se studeat
 bonis
 Quàm plurimis, & minimè multos
 ledere:
 In his poëta hic nomē profitetur suū.
 Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
 Existimat esse, sic existimet: sciat,
 Responsum, non dictum esse, quale sit prius.

Qui

Qui bene vertendo, & eas describendo malè,
 Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.
 Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit:
 Atque in Thesauro scripsit, causam dicere
 Prius, vnde petitur aurum, quare sit suum,
 Quàm Illic qui petit, vnde is sit thesaurus sibi,
 Aut vnde in patrium monumentum peruenerit.
 Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet:
 Defunctus iam sum, nihil est quod dicat mihi.
 Is ne erret, moneo & desinat laceffere,
 Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur:
 Quæ proferentur post, si perget lædere
 Ita vt facere instituit. Nunc quam acturi sumus
 Menandri Eunuchum, postquam ædiles emerunt,
 Perfecit, sibi vt inspiciundi esset copia.
 Magistratus cum ibi adesset, ocepta est agi.
 Exclamat: furem, non poëtam: fabulam
 Dedisse, & nihil dedisse verborum tamen:
 Colacem esse Næui, & Plauti veterem fabulam,
 Parasiti personam inde ablatam, & militis.
 Si id est peccatum, peccatum imprudentia est
 Poëtæ: non qui furtum facere studuerit.
 Id ita esse, vos iam iudicare poteritis.
 Colax Menandri est, in ea est parasitus Colax,
 Et miles gloriosus: eas se non negat
 Personas transtulisse in Eunuchum suam
 Ex Græca: sed eas fabulas factas prius
 Latinas scisse sese, id verò pernegat.
 Quòd si personis iisdem vt alijs non licet:
 Qui magis licet currentes seruos scribere,
 Bonas matronas facere, meretrices malas,

s 3

Para

Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruum senem,
Amare, odisse, suspicari; denique
NULLVM EST iam dictum, quod non dictum
sit prius.

Quare æquum est, vos cognoscere, atque ignoscere,
Quæ veteres factitarunt, si faciant noui.
Date operam, & cum silentio animaduertite,
Ut pernoscat, quid sibi Eunuchus uelit.

COMMENTARIA.

Si quisquam] Inuehitur suo more in aduersarium,
quem quibusdam erratis ipsius commemorandis, in
quàm maximum potest odium & inuidiam adducit.
Deinde poetam defendit ab eo furti insimulatum, qui
dicebat hanc fabulam ex Nævio & Plauto magna ex
parte ablatum esse. Tandem attentionem postulat ad fa-
bulam agendam. Status partim coniecturæ, partim qua-
litate esse videtur. Quæ cum sit duplex autore Fabio,
Altera, qua factum defenditur: Altera, qua tantum
reus: Vtraque hinc quidem utitur. Sed magis de reo quàm
de facto laborat. Ac tametsi videatur subesse purgatio
per imprudentiam, ea quidem imprudentia magis ad
facti negationem, quàm ad criminis concessionem spe-
ctat, ut diligentius exquirenti manifestum erit, si
quæstionem querat more rhetorum. Est enim aduersarij
intentio. Fur es non poeta Terenti. Αἴτιον. Nam bonam
huius fabulæ partem ex Nævio & Plauto abstulisti.
Depulsio. Non abstuli ab illis, sed à Menandro, ex cu-
ius colace Græca, personas duas parasiti & militis, in
Eunuchum Latinam transtuli. Firmamentum, At
colax

colax fabula à Nævio & Plauto iam dudum traducta
est, qui priores personis parasiti & militis vsi sunt,
Itaque ab illis furatus es. Hinc oritur indicatio. An cum
Menandri Colax iam diu à Nævio & Plauto Latina
facta sit, & in ea sint personæ parasiti & militis, ab
ipsis has abstulerit Terentius? Vides præcipuam huiusce
defensionis quæstionem coniecturalem esse. Sed defen-
soris ad firmamentum responsio quæstionem immutat
& qualitatem facit utriusque à Rhetoribus dictam.
Quæ & ipsa coniecturæ seruit, ut in causa Miloniana
coniectura qualitati. Nam cum proprius illius orationis
status sit, An iure Clodius sit interfectus, Tamen ad
qualitatem facti probandam facit coniecturalis qua-
estio, An Clodius fuerit insidiator. Quæ planè deiecta
colligitur Clodium iure interfectum fuisse. Contra, in
hac defensione qualitas coniecturæ probationem præstat,
quæ ex abundantia tractatur, perinde ac si quis dicat:
si occidisset, iure quidem à me factum esset, et non
occurri. Similiter ad firmamentum aduersarij respondet,
si in hac re peccatum est, poetæ imprudentia est pecca-
tum, Ignorauit enim has fabulas prius Latinas factas:
sed nullum est peccatum. Caterum hæc imprudentia
magis, ut iam dictum est, ad coniecturam quàm ad
qualitatem assumptiuam pertinere videtur, ad hunc
modum: Nemo imprudens & inscius furtum facit:
Nemo siquidem quæ ignorat furatur, Ego ignorauit has
fabulas prius Latinas factas, Non igitur sum furatus.
Sed nullum esse peccatum etiam si verum esset quod
obijciunt aduersarij, usdem scilicet personis uti quibus
Plautus & Næuius priores vsi sunt, defendit enume-

ratione similium. Meretrices, seruos, milites, pueros, senes, ceterasq; personas omnes, quibus veteres comici vtuntur, licere nouis poetis etiam introducere, Igitur & istas, parasiti & militis. Alioqui sequeretur personas omnes, quibus nomi vtuntur à veteribus acceptas esse, quia ipsis priores vsi sunt. Nihil enim iam dicitur quod ab illis ante dictum non fuerit. At mirum quam breuiter omnia perstringat, quam aptè ad suam causam accommodet, vt nihil ῥηδοεμὸτὸρρον inuenire queas. Partes prologi sunt. Exordium, narratio, diuisio, refutatio, & conclusio.

Si quisquam] Exordium beneuolentia habet conciliationem, cum à personis poetæ & aduersarij, tum etiam à causa equitate. Commendat enim poetæ studium, & aduersarium in odium trahit.

Bonis quam plurimis.] Præcipiunt Græci illi sapientes, omnibus vt placeamus, sed cum id fieri non possit, bonis certè si non omnibus, at quamplurimis vitam nostram probari studeamus. Bonitatis omnino iudicium est placere bonis. Nam iuxta prouerbium ἄλιξ ἄλιγα τέρπει.

Et minime multos lædere.] Primum iustitia munus est ne cui noceamus. Et inter summas hominis uirtutes (inquit Lactantius) innocentia censetur.

Minimè multos] paucos. Variatio per ἰσοδυναμίαν contrarij, aut multos pro malis posuit, vt doctè explicat Gryphius ex Nonio Marcel. Nam veteres paucorum numerum pro bonis posuerunt, multorum contra pro malis. Est itaq; sensus poetam velle, si quis alius, placere bonis, nec tamen malos lædere.

In his

In his] Enallage Græca. Nam ad singulare redditur plurale. Vide Linacrum.

In his] inter hos.

Poëta hic] honoris causa Poëtam appellat Terentium ἀντομασινῶς.

Nomen profiteretur suum] Metaphora à conscriptione militari & censu peragendo. Est autem profiteri publicè & apud acta denuntiare, quod Græci ἀπογράφειν dicunt. Nam qui militia sacramento addicebantur, nomen suum actis publicis inferebant, sicut & ij qui censabantur: id nomen dare, & profiteri dicimus. Profiteri. s'enroller, ou bailler son denombrement. Et nomen accipere, recevoir à la monstre, & se faire enregistrer. Nomen enim quisque suum tribunis militaribus dabat, & quaestoribus publicis facultates in censu denuntiabat. Vnde imperatorio edicto coactus est Ioseph ille virginis matris maritus, profiteri in ciuitate Bethlehemitica, vt meminit Lucas 1. cap.

Tum si quis] aduersatio ad excusandum cur in aduersarium inuehatur. Tum pro sed, verum, aut simili. Tum pro sed.

Qui dictum esse] periphrasis futuri infiniti actiui. Dicere interdum est quempiam dictis mordacibus & conuitijs petere. Dicere.

Inclementius] acerbius, immitius, & asperius. At probrosa acerbitas, & libido conuitiandi amarulenta apud viros honestos est maximè odiosa. ideo extenuatione verbi vitur, quæ est amplificationi eiusdem generis contraria. Donatus hic comparatiuum pro absoluto poni censet, sed κατ' ἑλλειψιν altera pars comparisonis intelligitur, quod ἀναῶ ἀπόδοτον Latinis est familiare.

Sic exiltimet] In reprehensionibus repetitione verbi

s s amat

amat ut Terentius, ut supra. Qui cum hunc accu-
sant, &c. Item alibi, unum cum noris, omnes novem.
Faciunt ne intelligendo, &c. sed in posterioribus pluscu-
lum est vehementia. hanc figuram Rhetores πλονδω
Sic adverb. appellant. τὸ sic demonstrationis adverbium indicat se-
quentia.

Sciat responsum, non dictum esse] Ab aequitate
causa benevolam reddit auditorem per correctionem
quandam.

Dictum. Non dictum] conuitium, scomma. genus pro specie.
Complectitur enim dictum τὰ γελοῖα, apophthegmata
dieteria, sales, scommata, & id genus alia.

Quia læsit prius] ἀτιολογία, qua argumentatur ab
antecedentibus. Læsit prior, igitur responsum est non con-
uitium. Negat enim videri debere conuitium, sed re-
sponsum. Qui enim læsisset, iacit dictum: qui regerit læ-
sisset, respondet. Erasmus in conuiuio poetico legit
Quale sit, ex codice antiquo, quem ipsi Thomas Linacer
Londini aliquando ostenderat. Cum enim minitetur se
vicissim reprehensurum aliquid in fabulis L. Lavinij,
à quo fuerat reprehensus, τὸ quale sit, indicat exemplum
subijciendum reprehensionis: idem enim est quod Græcis
Quale sit. οἷον, Latinis, quod genus, aut veluti, siue videlicet, aut
puta. Deinde ipsam reprehensionem subijcit.

Prius qui benè vertendo] veteres omnes Lavinij
fabulas damnat, quod adverbium prius indicat, opposi-
tum sequenti nuper. Et in his quas nuper dederat qua-
dam vitia notat. At ex arte quidem priusquam ad
Poëtæ defensionem accedat, ab aduersario auditorū ani-
mos alienat, illius inscitiam arguens, cui etiam contem-
ptum & odium conciliat. Imperitos enim contemptus,
nocentes

nocentes odium sequi solet, ut autor est Fabius.

Benè] accurate, anxie, ac nimis diligenter. Hic enim
Lavinij conuersionem supersticiosam nimis & exquisitam
ac morosam carpit, qui tantum verba verbis reddere
curabat, et dictionum totidem numero respondere. Cumq;
vellet nimium fidus (ut inquit Horatius) interpres vi-
deri, aut sententiæ pondus amittebat, aut reddebat obscu-
ram & intellectu difficilem orationem, nulla figura-
rum amœnitate, nulla concinnitate numerosa, nulla ser-
monis venustate, & elegantia commendabilem. Itaque
in Andriæ prologo hanc κακοσίλια & nimis exactam
vertendi curam, appellauit obscuram diligentiam, quod
perplexam & minus perspicuam efficiant orationem,
quicunque tam anxie verba totidem annumerare Lati-
na Græcis verbis student. Atque ob id malè ipsum fa-
bulas descripsisse obiecit Terentius. Metaphora à picto-
ribus ducta, qui à describendo vel Græcis ζωγράφου δι-
cuntur, ὅταν ἀπὸ εἰκόνας εἰκόνα γράφωσι, & viuos
vultus exprimant, tam aptis lineamentis, & coloribus,
ut inspectis imaginibus, statim agnoscas cuius vultum
referant. Quare non mirum si Rhetores descriptionem
appellent orationem, quæ exprimat rem, personam, af-
fectum, mores, sermonem & attributa omnia, adeò per-
spicue, & copiosè, ut res audienti ob oculos quasi præsens
videatur, non secus ac viua pictura, quam in tabula
spectandam proponimus. Itaque describere est rem ver-
bis, ac figuris idoneis ita effingere, ac illustrare, ut quàm
maxime fiat evidens perspicuaq;.

Eas] fabulas, relatiuum sine anteposito, de quo aliàs.

Ex Græcis bonis Latinas, &c.] ἀντιδῶστος captat
gratiam, ut & in superiori carmine: ad cuius finem
spectat arg

Descriptio.

Describere.

spektare praepositionem (Ex) in metiendo notat Erasmus.
Non bonas] malas, Variatio à contrario.

Expositio
vim proœmij
habens.

Duo narra-
tionum gene-
ra.

Idem Menandri] Quadam errata in aduersarij fa-
bulis, quas nuper dederat, reprehendit. Atque hæc ex-
positio proœmij vim obtinet, cum auditorem præparet: si-
cuti indicat Fabius lib. IIII. cap. II. Ideoq; à principio
minimè distinguenda. Ceterum duas narrationum spe-
cies idem facit: alteram ipsius causæ propriam: Alte-
ram rerum ad causam pertinentium. Posterioris gene-
ris esse dicuntur, quæ versantur circa criminis intenti-
ti argumenta, de antea acta vita, de causis odij, alijsq; qui-
bus credibile id fiat quod obicitur, quæq; ad inuidiam
reofaciendam commemorantur, Vt in Verrem de L. Do-
mitio, &c.

Idem] ille ipse aduersarius cui respondeo.

Menandri Phasma] duas nouissimè ex Menandri
fabulas Lucius conuerterat, & dederat: Phasma, &
thesaurum. Priorem veteribus illius, id est, malè descri-
ptis annumerat: Posterioris δίκονομία damnat. Vtriusq;
quale fuerit argumentum explicat Donatus, quod absq;
eo quidem nunc ignotum esset. φάσμα Grecis visum, seu
spectrum dicitur.

Nuper. Nunc nuper] nunc alteri aduerbio additum signifi-
cat recentissimam rei memoriam. Gall. tout maintenant.

Atque à thesauro] legisse videtur Donatus in the-
sauro. Vult dicere, fecit in Thesauro, Vt qui aurum re-
perit, prior causam dicat, quare ad se pertineat, quam
qui illud petit, roget, vnde habuerit, aut qua ratione per-
uenerit in patrum monumentum. Id est, præpostero iu-
ris ordine vsus est. Nam reus causam agit, priusquam
actor quicquam petat. Sic Verò ordinanda est oratio.
scripsit

scripsit enim, vnde petitur aurum, causam dicere quare
sit suum, priusquam eum, supple, dicere qui petit. Illic
(in thesauro) vnde is sit thesaurus sibi. Itaque illic ad- Illic.
uerbium loci facio potius quam pronomen, Vt vult Do-
natus. Alioqui sit ολοκλόφαιες. Nam præter Latino-
rum consuetudinem, quam, electina diuersos casus con- Quam.
iungeret. Nec si subaudias post illic verbum dicat, erit
ὄνυμα, Vt idem vult, sed potius Syllepsis dura & in-
solens, quarum figurarum discrimen ex ipso Donato tra-
dit Linacer lib. VI.

Vnde] à quo, aduerbium loco pronocabuli cum præ-
positione. Verg.

Genus vnde Latinum.

Aut vnde] quomodo.

Peruenerit] potest hoc verbum & ad reum & ad
thesaurum referri, Vt sit sensus duplex: nempe quomo-
do ad patris monumentum senex accesserit, Aut quo-
modo thesaurus eò sit delatus, sed mihi posterior arridet
magis. Erat enim actoris, qui thesaurum in paterno se-
pulcro defossus ab auaro sene ablatum querebatur, ex-
ponere, quomodo illic esset positus. Porro fabula huius
argumentum tale Donatus esse scribit. Adolescens qui-
dam Atheniensis paterna bona decoxerat, & inter hæc,
agrum etiam in quo gentile & patris erat sepulcrum
magnificè extructum. Testamento cauerat pater, Vt post
decennium sibi ad monumentum filius epulas inferret.
Is seruum præmisit patris sepulcrum aperturus, qui se-
nem cui venundatus ager fuerat, cum ibidem reperis-
set, eius opera ad id aperiendum vsus est, qui repertum
in eo thesaurum cum epistola abstulit. Adolescens in
ius senem vocat, & thesaurum suum esse contendens
postulat.

postulat. Senex qui aurum retinebat, contra litigantium consuetudinem prior causam suam agit, quam adolescens qui id petebat: dicitq; ibi à se defossam fuisse, cum Athenienses cum Rhodiensibus bellum gererent. At adolescentem (qui petitor erat) oportebat prius dicere, & causam suam proponere. eum ordinem præposterum in aduersario reprehendit Terentius. Atqui non est hoc loco monitu alienum, impium priscos existimasse maiorum monumenta ad alienos transire. Nam & Pomponius autor est, Dominis, qui agros vendidissent, in quibus sepulcra gentilia essent, ea ius esse ad eundem, etiam inuito emptore. Sed & moris erat, pecunias cum cadauere inhumare. Nam apud Egesippum lib. 1. excidij Hierosolimitani legas de Hircano ab Antiocho Hierosolimis obsesso, qui aperto Davidis sepulcro, tria auri talentorum milia reperit: ex quibus trecenta dedit Antiocho, ut urbem obsidione liberaret.

Ius sepulcrorum.

Mos pecunias inhumandi cum cadauere.

In patrium monumentum] patris sepulcrum. Variandi ratio per ἐτέρωσις primi generis.

Dehinc] Epilogus exordij per occupationem.

Ne frustretur] fallat sese.

Aut.

Aut] &.

Defungi.

Defunctus iam sum] Amplificatio per διαλόγιον. defunctus, liberatus, elapsus. Est enim defungi, explicari negotio aliquo, aut molestia, & ei finem imponere, unde defuncti fato, id est soluti, & exempti, nec ultra illi fato obnoxij. Est etiam defungi non toto conatu, non magnopere aliquid accurare, sed tepidè, & negligenter, & eo tantum animo, ut officio functi videamur, & quatenus satis sit, ad vitandam reprehensionem. Lissius. Ita velut defuncti regis imperio in proxima allu-

ue,

nie, ubi nunc ficus ruminalis est, pueros exponunt. Unde defunctorie & perfunctorie agere. id est, non ex animo, & bona fide, sed languidè, & remissè. Gall. par manière d'acquies. Vide Bud in Pandect.

Defunctorie & perfunctorie agere.

Nihil est quod dicat] deest, enim. Nam Verbi prioris explanationem subiungit.

Dicat] dicere possit. Nam in hoc genere sermonis, Non est, nihil est, verbum semper est δὲ ἄντικρυ.

Non est, nihil est.

Ne erret moneo] ab honesto.

Et desinat lacessere] ab æquo, & iusto.

Quæ nunc condonabitur] à modestia spectatorum benevolentiam conciliat Poeta. At quidam hic legendum putant condonabuntur, sed perperam, cum nusquam videas senarium claudi spondeo. alij condonabitur ἀποσώπωρ, quæ verior est lectio: sed tamen si constructionem aduertas, personale verbum potius videbitur. Nam τὸ quæ auferendi casus, verbo à posteriori hæret, & ea ratione dicitur qua, is docetur Grammaticam. Fuit enim Condono ex illis verbis, quibus olim geminus accusatiuus dabatur, quod ex Phormione licet colligere. Argentum (inquit Chremes) quod habes condonamus te. Nec me præterit Donatum illud te ablatiuum facere, quàm rectè, ipse viderit: æquidem accusatiuum esse putato, ut (quæ) hoc loco nisi queis pro quibus legendum censeas, quod non esset prorsus absurdum.

Condono.

Quæ proferentur] κατὰ πλῆξιν, qua terret aduersarium.

Ita ut facere instituit] pertinax maledicendi studium in aduersario notat, ut ipsi odium conciliet.

Nunc quam acturi, &c.] Narratio causæ propria, qua aduersarij accusationem profert. hæc tametsi contra

Poëtam

Poëtam videatur esse, ita tamen omnia mitigat, & de facto adeo molliter loquitur, ut Terentio favore, aduersario inuidiam pareret. Quod ex causa dicit esse Fabius.

Quam acturi sumus] ex recenti iniuria, non vlllo suo odio & inuidia, defensionem proficisci significat.

Menandri Eunuchum] breuiter & nomen fabula, & cuius ipsa sit profert.

Aediles emerunt] facit ad Poëta commendationem, quod empta sit. Venit autem, si Donato credimus, octo milibus sestertiū, quanti nulla cuiusquam, ante hanc empta fuerat, quod inuidia causam aduersario præbuit.

Aediliū duo ordines.

Aedilium duos ordines fuisse scribit Plutarchus in Mario. δύο γάρ (inquit) εἰσι τάξεις ἀγορανομίων, ἢ μὲν ἀπὸ τῆς δλίφρωρ τῆς ἀγκυλοπόδωρ, ἐφ' ὧν καθεζόμενοι χρηματίζουσιν, ἔχουσα τὸ νόμον ἀρχῆς, τὴν δὲ ὑποδεξέρας δημοτικῶν καλεῖται. Id est, sunt enim duo ordines aedilitatis, vnus cui nomen magistratus est, à sellis curulibus, in quibus sedentes ius dicere solent: inferiorem autem plebeiam vocant. Hæc ante illam prior fuit, ut ait Cicero

Aediliū cura.

ad Atticum lib. v. Qui etiam de legibus lib. III. de officio Aedilium duodecim tabularum verba citat. Sunt quoque Aediles curatores vrbis, annonæ, ludorumque solemnium. Ollis quoque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto. Lege Pompo. titu. xx. lib. I. Gell. lib. xvii. Dionys. lib. v.

Perfecit] mirè conatum malitiosum, & animum reprehendendi cupidum hoc verbo significauit. Gallicè. Il ha tant fait.

Esset copia] facultas & potestas. hoc nomen ferè cum verbo facio iungi, duntaxat apud oratores scribit Valla.

Magist

Magistratus] L. Posthumius. L. Cornelius. qui tum aediles erant. Magistratus nomen & ad personam refertur, ut hoc loco, & ad rem, id est, officium, & honorem, ut cum dicimus magistratu se addicare: ducitur autem à magistrando (ut autor est Sex. Pomp.) quod regere, ac moderari significat. Nam & magistri sunt, quibus princeps rerum cura, magis quam cæteris incumbit. Et magistratus qui imperio præditi priuatos regunt, apud quos legis actio est, qui quoque plenam iurisdictionem habent, & ordinaria (inquit Pomponius.) Apud quos experiri omnium actione aduersus nocentes possumus, de quorum imperijs hæc duodecim tabularum verba habentur: his iusta imperia sunt. ius quoque ciuis modeste, ac sine recusatione parèto. Magistratus nec obedientem, & nocuum ciuem, multa, vinculis, verberibus ue coercento, ni par maior ue potestas prohibesit, ad quos prouocatio esto. Cum magistratus iudicasset, irrogasset ue, per populum multa, pœna certatio esto. Militia ab eo qui imperabit, prouocatio ne esto. Vide Bud. in Pandect.

Magistratus autoritas.

Cum ibi adesset] periphrasis, id est presente magistratu.

Occcepta est agi] Ne putes tum publice actam fuisse, sed domi L. Ambinij aut Attilij actorum, coram Aedilibus, ut ipsi fabulae emptæ probationem & experimentum sumerent. Quod etiamnum fieri solet, cum intra priuatos parietes fabulas agimus, & experimur, priusquam publice illas agamus, id vulgò dicimus, faire record ou l'essay du ieu.

Exclamat] Cum indignatione vociferatur. ῥοξνοῖς est in verbo & mire struit singula ad exaggerandam inuidiam.

uidiam. Exclamat furem esse, non poetam, quod sanè im-
meritum est conuictum, idq̄ presente magistratu, &
actoribus omnibus, & cum tantum fabula agi cepta es-
set, nondum peracta.

Mos inuido-
rum.

Exclamat] intentio est aduersarij, & propriè loqui-
tur, Inuidi nanque in hoc oris sunt præduri, vt obstre-
pant ingenti clamore, & medios sermones intercipient,
omniaq̄ tumultu confundant.

Dare verba.

Et nihil dedisse verborum tamen] duplex sensus
esse potest. Nam dare verba fallere est, aut sententiam
alienam proprijs verbis eloqui, & quasi oratione vesti-
re. Vult dicere, Terentium fabulam furto ablatam pro
sua adere voluisse, sed aduersarios id non latuisse, qui fa-
cile furtum deprehenderint. Aut fabulam dedisse aliena
iuuentione factam, & interpretatione, nimirum Neuij
& Plauti. Nam qui interpretem agit, aliena iuentioni
dat verba, id est, elocutionem. Potest itaque esse sensus
Terentium nihil de suo dedisse, ne verba quidem.

Colacem] ἀτιοῦ aduersarij, quod est paulo post nega-
turus. κόλαξι Latinè assentator dicitur, homo inanis &
nihil, qui non solum ait more Gnathonis, quod alius ait,
sed etiā qui crepitu thus dicat esse, vt refert Athenæus.

Parasiti personam] quàm aptè omnia ad suam cau-
sam accommodat, non verba Parasiti aut militis Plautini,
sed tantum personam ablatam esse dicit. Quid illud tan-
tum mali est, vt propterea fur Terentius sit appellandus?

Si id est peccatum] Hic initium refutationis facio.
Nam sequens narratio ad hanc omnino pertinet. Ceterum
ad intentionem aduersarij respondet per qualitatem ex
abundanti, vt dictum est, si inquit, peccatum est, impru-
dentia

dentia poetæ est peccatum, At nullum esse peccatum
postea defendit. Hic peccatum nomen est.

Peccatum imprudentia est] Hic peccatum, cum
subsistendi verbo, est periphrasis præteriti perfecti im-
personalis verbi peccatur. Sed tametsi videatur esse pur-
gatio per imprudentiam, tamen potius obliqua est crimi-
nis deprecatio, qua vtimur, cum certo scimus nobis obji-
ci, qua ipsi non fecimus. Sic enim respondemus καὶ δὲ. Ἐπι-
θεοῦ: si id feci, imprudens & inscius feci. Je lay fait
donques, que ie n'en scay rien. Hac sermonis figura non
tam criminis est concessio quàm negatio, qua obiectionem
absurdam eludimus.

Imprudentia] ignorance Aristoteles III. ἀδικῶν Imprudentia
Νικουα χέωυ hac diuisione vtitur. Quæ fiunt, inquit, ab
inuitis, aut per vim fiunt, aut per imprudentiam: Aut
enim sciunt quid agunt, aut nesciunt. Si nesciunt, impru-
dentia est: si norunt, uolentia. Quæ quidem exemplis de-
inde explicat, & colligit per imprudentiam fieri, quæ
ignorantur ab agente: docetq̄, non idem esse agere per im-
prudentiam, quod agere imprudentem. Ebrius enim &
iratus agit imprudens & velut cæcus, non tamen per
imprudentiam. Sicuti omnis improbus, adductus opinio-
ne boni imprudens agit, Non agit tamen per impruden-
tiam. Nouit enim quid susceperit.

Non qui furtum facere] ac si diceret. Si furtum est,
non id quidem factum est poetæ voluntate, sed ipso igno-
rante & inscio. Nam Fabij præceptum est, vt in his quæ
negari non possunt, elaboremus, vt aut minora quàm di-
ctum est, aut alia mente & consilio facta esse videatur.

Id ita esse] preparatio ad sequentem narrationem.

Colax Menandri est] quasi dicat, non Plauti aut
 Neuij. Narratio est contraria superiori ad imprudentia
 Narratio, confirmationem. Itaque refutationi annuero. Nec mi-
 rari oportet, toties hinc narrari, Cum ab eodem Fabio di-
 catur narrare sapius non esse nefas, idq; Ciceronem pro
 Cluentio fecisse sapius. Est enim, inquit, non concessum
 modo, sed aliquando etiam necessarium. Præterea, cum
 res contra nos erit, non omnino prætermittenda est narra-
 tio. Sed non eodem modo quo aduersarius, si fieri potest,
 narrandum. Aliqua enim neganda, aliqua adijcienda,
 aliqua mutanda, aliqua sunt dissimulanda, alias causas
 rationesq; damus. Quæ omnia hinc probe obseruat. Porro
 Colax vnde
 dicatur. Colax dici videtur, vel ἀπό τ' κολακώδεα, id est, ab
 adulando. Vnde Diogenes Cynicus dicebat κρείττον ἐπι-
 εὖς νόρανας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κολακας. Satius esse in cornus
 quam in adulatores incidere, quod illi mortuos, hi viuos
 deuorarent. Vel ab aue Colace seu melancorypho, cui no-
 men à ciborum auuiditate est inditum. Veteres enim κολ-
 αου cibum dixere, vt ait Athenæus LIB. VI.

In ea] fabula. Relatiuum ad genus subauditum, non
 ad speciem refertur.

Parasitus. Parasitus] παρασίτος conuictor Latine dicitur, à
 πάρα & σίτου, id est, frumentum & cibus. Nec fuit
 aliquando inhonestum verbum. Parasiti enim diceban-
 tur sodales Pontificum, & magistratum, eorumq; qui
 honoris causa, in Prytaneo, publico sumptu simul viue-
 bant, quod sacro frumento coemendo, & asseruando præ-
 essent, vt scribunt Athenæ. & Cal. antiqu. lect. LIB.
 VII. CAP. I. Postea verò leuitate & vanitate ho-
 minum infamari ceperunt, vt ydem essent parasiti &
 assen

assentatores. ὁλοπάγοι, qui lautas epulas sectantur &
 diuitibus obsequuntur, ad ipsorum nutum voluntatemq;
 omnia agentes ac loquentes, ventris gratia,
 Quos cæna nobis (inquit ille) quos mēsa parauit amicos.
 Qui aprum amant, & mīlos & sumen, & ostrea
 non te.

Et miles gloriosus] Ex duabus Græcis Eunuchus &
 Colace Menandri, suam Eunuchum Latinam scripserat
 Terentius, ob idq; hunc comminabantur æmuli. Sed oppor-
 tunè hinc vnā tantum nominat, cum alteram paulò antè
 nominarit, ne si duas simul dixisset, furtum auditoribus
 maius videretur.

Non negat] fatetur, ἰσοδιωμικά contrarij. Est autem
 diuisio post narrationem, qua indicat, quid cum aduersa-
 rio conueniat, quid in controuersia relinquatur. Diuisio.

Ex Græca] non ex Latina Neuij & Plauti, vt di-
 cunt aduersarij.

Sed eas fabulas] Eunuchum & Colacem. Porro
 cum tantum colacem Latinam factam diceret aduersa-
 rius, cur & Eunuchum comprehendit? vt quod falsum
 est, quod obijcitur verum, obruat.

Scisse sese] cacophaton.

Id verò pernegat,] id est, non negat ex colace Me-
 nandri se personam militis & parasiti transtulisse in
 Eunuchum suam, sed accepisse se ex Neuij & Plauto
 pernegat. Nesciuit enim has fabulas prius Latinas fa-
 ctas. Vides hanc imprudentiam seu ignorationem neces-
 sariam defensionem præstare, hoc modo. Nemo quæ igno-
 rat furatur. Equidem ignorauit has fabulas prius Lati-
 nas factas. Non igitur sum furatus. τὸ id cum mira

Id abundans.
 t 3 gratia

gratia πλιονάζει, ut apud Sallust. in Catil. sed Urbana plebs, ea vero præcepta erat multis de causis.

Quod si] defendit à pari licere iisdem, quibus illis uti personis, Idq; argumentatione hypothetica. Si ijs personis Parasiti & militis, uti non licet nouis poetis, neque cæteris omnibus tum personis, tum factis similibus veterum Comicorum: sed his omnibus uti licet, igitur & illis. sed huius syllogismi propositionem tantum apposuit. Cuius consequens variat interrogatione, & amplificat enumeratione specierum, in qua attende propria personarum epitheta.

Quod pro verum.

Supponere.

Testamentum supponere.

Suppositor.

Suppositrix.

Quod si] Quod discretiva vox pro Verum, at.

Puerum supponi] subdi, sicut in Andria suppositivum Glycerij partum Simo putavit. Est autem supponere proprie, tenere aliquid inferius ad excipiendum, quod indatur. Ἐπέχειν. aliquando Ἐποβάλλειν & Ἐποβάλλειν, quidpiam falsum pro vero subijcere. mettre une chose faulse pour une vraie. Testamentum supponere dixit Cicero. Plautus. Suppositorem ac suppositricem appellat, qui alienum partum pro vero ac legitimo subijciunt.

Deniq;] omnino, seu postremo.

Nullum est iam dictum] ἐπιφώνημα, quo enumerationem claudit. Dictum ῥήμα, est quicquid effatur.

Quod non sit dictum] Hic dictum est participium, prius nomen.

Quare æquum est] Conclusio defensionis, atque adeo totius prologi.

Cognoscere atq; ignoscere] Hanc vocum resultationem affectasse poetam diximus, exemplo Plauti, qui

qui illa penè immodicè utitur. At in rectè factò etiam veniam precatur ad emerendum fauorem.

Quæ veteres factitarunt] brevis repetitio superioris argumentationis, à pari per ἀντιθεσίμ. In verbo factitarunt est δειψοίς, nam hæc frequentia Terentio patrocinator.

Date operam,] id est, audite, discite, attentionem captat, id est, dat operam amico, qui eius causa laborat. Dat operam quoque, qui docentem audit. Ut Cicero Miloni operam dedisse dicitur.

ACTVS I. SCENA I.

PHAEDRIA adolescens. PARMENO seruus.



VID igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum accessor ultroscian potius ita me comparem,

Non perpeti meretricum contumelias?

Excludit: reuocat. redeam? non, si me obsecret.

P. Siquidem hercle possis, nihil prius, neq; fortius:

Verum si incipies, neq; perficies gnauiter,

Atque ubi pati non poteris, cum nemo expectet,

Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans

Te amare, & ferre non posse: actum est, ilicet,

Peristi: eludet, ubi te euictum senserit.

P. H. Proin' tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita.

P. Here quæ res in se neque consilium, neq; modum

Habet vnum, eam consilio regere non potes.
 In amore hæc omnia insunt vitia, iniuriæ,
 Suspiciones, inimicitia, induciæ,
 Bellum, pax rursus: incerta hec si tu postules
 Ratione certa facere, nihilo plus agas,
 Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
 Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
 Egone illam? quæ me? quæ illum? quæ non? sine
 modo,
 Mori me malim: sentiet qui vir siem.
 Hæc verba vna me hercle falsa lacrumula,
 Quam oculos terendo miserè vix vi expresserit,
 Restinguet, & te vltro accusabis, & dabis ei
 Vltro supplicium. P. H. ò indignum facinus: nunc
 ego &
 Illam scelestam esse, & me miserum sentio:
 Et tædet, & amore ardeo: & prudens, sciens,
 Viuus, vidensq; pereor: nec quid agam, scio.
 P. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam
 queas
 Mínimo: si nequeas paululo, at quanti queas:
 Et ne te afflictes. P. H. itane suades? P. si lapis,
 Neq; præterquam quas ipse amor molestias
 Habet, addas: & illas, quas habet, rectè feras.
 Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas:
 Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

COMMENTARIA.

*Hæc scena pereleganter exprimit miseros esse qui
 amant & mille doloribus vnam emi voluptatem.
 Incipit*

*Incipit à dubitatione adolescentis, ex insano amore per-
 turbati, ac cum seruo nequicquam deliberantis quid
 agat.*

*Quid igitur? Tametsi (igitur) nonnunquam ingres-
 sum quendam materia significet, hinc tamen quasi colli-
 gere videtur, quæ multa cum seruo fuerat locutus,
 priusquam in scenam prodiret. Præterea apud Comicos,
 abrupta sæpe colloquiorum solent esse principia.*

*Non eam? Vtranque dubitationis partem exprimit,
 irène debeat vocatus à Thaide an non. & τὸ non, inter-
 rogandi, non negandi vim habet.*

*Ne nunc quidem? ne quidem auget, soletq; ferè in- Ne quidem.
 terponi vnum verbū, aut plura. Cic. Tusc. 111. Ne qui-
 dem vllum esse malum, nisi quod idem dici turpe pos-
 set. Philipp. v. sed ne quidem de vtilitate sua cogita-
 runt. in quo exemplo, ne quidem est continua, quod est
 rarius.*

*Cum accersor vltro? Vtrique deliberationis parti
 causam addit propriam, per προσαιπόδωσις, Irène de- προσαιπόδω-
 beat, quod vltro vocetur, an non, quod fuerit exclusus. σις.*

*Me comparem? parem, animum inducam, que ie me
 dispoſe & delibere, que ie mette en ma teste.*

*Non petpeti? Oppositā deliberationis partem addit
 magna cum inuidia. Nam singula voces augent indi-
 gnitatem.*

*Perpeti? perpetuò ferre, non vnam, sed plures con-
 tumelias, easq; meretricum, quod est indignius. Et de
 vna meretrice loquens, numero multitudinis vtitur in-
 iudie causa.*

*Exclusit, reuocat? lentè & cum pondere singula
 pronuncianda, & prius verbum iniuriam acceptam
 t s continet,*

continet, ob quam reuocanti parere non debeat.

Redeam:] repetitio indignantis iram maximam perturbati adolescentis indicans.

Non] negatio iracundi & animi obfirmati.

Si] etsi, tametsi. Heterosis figura.

Me obsecret] non roget, sed obsecret. ἀβήσις est in verbo.

Siquidem herclè] Prudens & cordata Parmenonis responsio per παρομολογία, qua heri deliberationem videtur infirmare, à rei difficultate, & futuro incommodo. Nam, ut inquit Fabius, qui non ipsa honesti natura ducitur, laude, vulgi opinione, secutura utilitate, & potissimum malorum timore est permouendus: quiquidem apud permultos plus valet, quam spes bonorum, sicuti facilius est eiusmodi turpius quam honestorum intellectus.

Si quidem possis] difficile innuit esse, etiamsi velit,

Siquidem:] & τὸ σὶ quidem duplex est dictio.

Prius.

Nihil prius] utilius, melius, σιωεδοχνηὸς. quæ enim sunt utiliora, & magis necessaria, priora exequimur. Aut ad tempus refertur, sicuti nostrate lingua dicimus. Il n'y ha rien plus hastif.

Fortis animus.

Neque fortius] ab honesto. Magni siquidem animi est, fortisq;, non frangi cupiditate, voluptati non succumbere. Et.

Fortior est (inquit Horatius) qui se, quam qui fortissima vincit

Oppida.

Verum si incipies] aduersatio ad concessionem redita. Id est, etiamsi inceperis, non tamen perficies, id est constanter insistes, & perseuerabis.

Gnauiter

Gnauiter] strenuè, fortiter. σονγεusement, diligement.

Atque vbi pati non poteris] amplius sustinere & vim amoris ferre.

Cum nemo expectet] de Thaidè dicens, generatim loquitur, ad maiorem amoris ipsius obliterationem futuram indicandum.

Infecta pace] non reconciliatus. Metaphora à re bellica, & incrementum. Atqui pudendum est eò concedere, vbi non desideraris, multò magis vbi sis odiosus.

Actum est, ilicet, peristi] Hyperbolica auxesis ad exaggerationem subsequunturi incommodi. Hac tria in incremento quodam indicant desperationem. Donatus existimat actum est, sumptum à iure: ilicet à iudicio: peristi à supplicio. Et quia de re eadem non licet bis iudicium sententiam adipiscier, vulgò receptum est, ut de negotijs desperatis, actum esse dicamus. Aut ideo dicitur, quod quicquid peractum est, hoc iam infectum esse non potest. Plautus. Nisi quid rei præsidium apparatus, acta hæc res est. Græci τῶν παύσαι dicunt. Vide Erasmm in Chiliad.

Actum est.
Ilicet.
Peristi.

Eludet] ludibrio habebit, translatum putat Donatus à gladiatoribus, qui eludere dicuntur, cum ictum intentare simulantes, aduersarium qua parte sibi non cauet, percutiunt.

Eludere.

Vbi te victum senserit] perstat in translatione bellica.

Proin] Conclusio est enumerationis consequentium, quæ est instar propositionis, qua herum admonet, ut cogitet quid agat, priusquam in hoc dedecus, & illusionem se dedat. Ostendit autem magno dedecori futurum ipsi, si inceperit

διανομιὰ ορα-
tionis Parme-
nonis.

si inceptet quod proposuit, neque perficiat, multò satius esse id non tentare, quàm deinde amoris impotentia vitium, ceptis desistere, & meretrici se illudendum præbere. At ut dispositionem & διανομιὰν seruilis orationis, quoad fieri possit, complectamur paucis. Exorsus est per concessionem, quæ vim habet suasionis ab utili, & honesto: deinde sequitur aduersatiua, quæ est propositio exordij: quam sequitur enumeratio consequentium, qua probat dedecorosum fore, si id incipiat, neque perficiat gnauiter: Totumq; hunc locum concludit per consequentionem. Est enim hæc conclusio ut dictum est, instar propositiois totius orationis. Secundo subijcitur confirmatio quadam difficultatis, & ἀδωάτης per congeriem vitiorum, quæ amori insunt, adeò ut fieri non possit, ut se quisquam, inter tantam incertitudinem & mutabilitatem consilio, & ratione gubernet. Tertio addit refutationem quandam pertinacis propositi, & animi ob iram obstinati, facile quidem vincendi dolo, & illecebris meretricis. Quarto concludit per adhortationem, ad æquo animo patiendas amoris molestias, si ex eo se captum liberare non possit.

Proin. Proin] illatiua vox.

Dum est tempus] dum tibi est liberum, dum res est adhuc integra, cum nondum quicquam inceperis. Amplificatio à temporis opportunitate.

Here] Confirmat, ne quicquam deliberatione, ac consilio in amore uti velle: & locum ἀδωάτης tractat, colligitq; ab antecedentibus ad hunc modum. Quod caret consilio, ratione, modoq; regi consilio, & ratione non potest: At amor consilio, ratione, & modo caret. igitur ijs regi non potest. Sed loco minoris eius probationem subiicit

iecit per congeriem vitiorum, quæ in amore esse solent, ut iam diximus.

Here] rem seriam & grauem dicturus, vocandi casu attentionem parat.

Quæ res in se] Maior syllogismi.

Neque consilium] intelligentiam, mentem, & rationem. Sunt enim planè idem numero. Cicero. Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos, nec vllum habet cum virtute commercium.

Consilium.

Neque modum] Cum vitia in excessu, defectiue consistant, ideo modo carent, & rectæ rationi aduersantur. Verg.

- Quis enim modus adsit amori?

modus.

Porrò hîc modum moderationem, modestiam, & temperantiam intelligit, quæ idem omnino significare docet Cicero de officijs. Sequitur (inquit) ut de vna reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia, & quasi quidam ornatus vitæ temperantia, & modestia, omnisq; sedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Est autem fons omnis modestiæ, ut appetitus rationi pareat: Nam qui appetitus longius euagantur, & tanquam exulantes, siue cupiendo, siue fugiendo, non satis à ratione retinentur, hi sine dubio finem & modum transeunt. Itaq; verissimè à Parmenone dicitur, amorem consilio, modo, ac ratione carere. Nec enim libidine dominante (inquit Cicero) temperantiæ locus esse potest.

Fons modestiæ.

Regere] Metaphora ab equis, qui destituti freno regi non possunt. At ratio instar freni est, quo pars animi rationis expers domatur ac regitur.

In amore hæc omnia, &c.] Prætermissa minore, subiungit

subiungit eius probationem à contrario per enumerationem. In amore multa sunt vitia, igitur nullus modus, neque ratio. Tametsi & minor esse videri possit, propterea quod sunt Isodynamæ propositiones. In amore insunt vitia, & amor ratione ac consilio caret. Extat autem huius loci elegans μετὰ φρασὶς apud Horat. Sermo. lib. I. Saty.

I I I. Amator, inquit.

Exclusus quæ distat? ait Vbi secum, eat, an non,
Quod rediturus erat non arcesitus, & heret
Inuisis foribus. Nec nunc cum me Vocet Vltro
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit: reuocat. redeam? non, si obsecret. ecce
Seruus non paulò sapientior, ô here quæ res
Nec modum habet, neq; consilium, ratione, modoq;
Tractari non vult. in amore hæc sunt mala. bellum,
Pax rursus. hæc si quis tempestatis propè ritu
Mobilia, & cæca fluitantia sorte, labore
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione, modoq;
Suspiciones] Zelotypiæ.

Induciæ. Induciæ] sunt feriæ belli institutæ vtriusque partis consensu & pacto inter hostes, quibus vtrinque nulla vi debet attentari quicquam, sed tuto & sine metu agere. Grecis dicuntur ἐνεχειρία quasi ἐχεχειρία à continendis manibus. Gall. treues. Inducias facere, pacisci, inire, pangere, ἀνοχὰς ποίσασι. faire treues ἐνεχειρίαρ ἐχειρ, inducias habere.

Pax. Pax rursus] Nam discordia fit charior concordia, ut inquit Mimus Publianus, & firmitus post dissidia coalescit amor. Caterum similis est congeries in Plauti Mercatore. Sed amori accedunt, inquit, etiam præter quæ dicimus,

dicimus, insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga, ineptia, stultitiæq; ad eò & temeritas, incogitantia excors immodestia, &c.

Incerta hæc] Conclusio ratiocinationis per collationem contrariorum. Ut nemo cum ratione potest insanire, ita si ne hac sapere non potest.

Incertus pro
istabili & mu-
tabili.

Incerta] mutabilia, fluxa. Voluptates enim ad quas fruendas (ut Architas dicebat) libidines temere, & effrenatè incitantur, sunt incertæ, & mutationi obnoxia. Primum quod naturæ & rationi aduersantur, ex quo fit, ut à bonis vituperentur, ab improbis laudentur: Cur voluptates incertæ.
Ut quæ bellum graue & ingentem perturbationem animo concitent. Deinde quod eidem nunc placent, nunc displicent: ut turpis amor, qui non semper est idem, quia is non est naturalis. Et tanta est alternatio voluptatum & dolorum, ut nihil sit ijs instabilius. Nam scitum illud est Democriti, αὐτὸ μὲν ἰδὸν αἰ βραχέια, αὐτὸ δὲ λῦσαι πολλά, voluptates breues dolores multi sequuntur. Incertum, stabili est contrarium, ut autor est Cicero. Ouidius.

Quauis incertior aura.

Nihilo plus agas] promoueas. tu n'aduanceras non plus, &c.

Ut cum ratione insanias] Hyperbolica collatione ἀδύνατον colligit à contrario.

Et quod nunc tute] Occupatio qua irati Phædria cogitationem eleuat, & propositum non fore stabile, & firmum ostendit. τὸ & pro autem est positum. & quod, Et pro autem.
pro qua. Ut sit Synestrammenon cum Heterosi. Vel erit Quod pro
epanalepsis (resumpto quod prius erat positum) cum ecli- Synestram-
psi pronominis illud, quod est subaudiendum. Illud quod menon.
tute

tute iratus cogitas, &c. De hac loquendi figura vide Linacrum lib. v i.

Egône illam] ἐλλειψίς oratio & ἀποσιώπησις irati, qua amantium iracundiam irridet. Fabius hunc defectum μέωσις vocat.

Egône illam!] adeam aut Vliscar, sicut Donati interpretationem sequare.

Quæ illum!] ad militem admisit?

Quæ me!] exclusit?

Quæ non!] amat me, aut quæ non admisit!

Sine modo] obtundentibus monitis suis, aut precibus, sic loquimur, cum quidpiam agendi stat sententia. laissez cela à cest heure, ne m'en parlez plus.

Mori me malim] quam ad eam ire, Hyperbole recusantis.

Sentiet qui vir siem] Comminationis formula iratis familiaris.

Vna me hercle] τανένωσις ad facilitatem iræ restinguenda, ab amica. Et vna sententia condensat verba, quæ mirè augent indignitatem.

Lacrymula] diminutione rem eleuat.

Falsa] Nam & hæc pars fraudis in illis, inquit Ovidius.

Oculos terendo] modi circumstantia.

Vix vi] ταρανομοσία indignitati aptissima.

Expresserit] Translatio à rebus quarum liquores torculari, & vehementi compressione extrahuntur. & est elegans energia.

Restinguet] Metaphora à flamma, quæ aqua extingui solet.

Te vltro accusabis] Indignitatem auget ab ipsius persona,

persona, non accusaberis inquit. sed te accusabis volens, & tua sponte. Et quod peius est dabis ei supplicium, quod accusationem ferè sequi solet. Vides quàm aptè incremento augetur oratio.

O indignum facinus] Querela per ἀναφώνησις, cui amplificationem subiungit per ἀύξησις, variatam ἀσιωδέτω, πολυσιωδέτω. & ὁμοιοτελεύτω quæ figura orationi vehementiam addunt.

O indignum facinus] O vilain cas & meschant.

Nunc] tandem, serò. Orprimes, Trop tard.

Et illam scelestam & me miserum] disunctio indignitati seruiens. Non miser natura est qui in periculum malum'ue aliquod cadit, sed qui prudens, sciens subit discrimen, volensq; sibi malum accersit, aut qui in id lapsus non statim conatur sese expedire: Is enim dignus est, qui miser in miseria pereat miserrimè.

Sentio] ὄνυμα duplex. ἰ'apperçoy.

Et tædet] ἀτιολογία posterioris verbi, cur scilicet sit miser. & videtur rationalis coniunctio audiri, vt sæpe aliàs.

Et amore ardeo] τὸ &, pro tamen accipitur, vt apud Ciceronem in Catone maiore. Defendi legem Voconiam magna voce bonisq; lateribus, & videtis annos meos. nisi malis tamen post & intelligi. Je men fasche neantmoins. ie brusle d'amour.

Et prudens, sciens] Prudens, inquit Donatus, qui intelligentia sua aliquid sentit. Sciens qui alicuius inditio rem cognoscit. Ergo prudens per sese, Sciens per alios.

Prudens sciens] sachant & congnoissant.

Viuus videns] Cicero in Oratione pro P. Sextio, indicat prouerbiali figura dictum esse. Ille Cyprius
miser

miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla unquam suspicio durior ad senatum, aut imperatores nostros allata est, vivus, ut aiunt, & videns est cum victu suo ac vestitu publicatus. Gal. vivant & voyant ie meurs. Vides quam misere torqueatur animus cupiditate mala deumctus, quantaq; huic cum appetitu pugnata sit, ut non agat quod velit bonum. Ut amans Medea fatetur apud Ouid. lib. VII. Metamorph.

Excute (inquit) virgineo conceptas pectore flammis,
si potes infelix, si possem sanior essem.
Sed trahit inuitum nova vis, aliudq; Cupido,
Mens aliud suadet: video meliora, proboq;
Deteriora sequor.

Ovidius quoq; Trist. lib. IIII. Eleg.

Sentit amans sua damna ferens, tum haret in illis,
Materiam culpa prosequiturq; sua.

Nec quid agā scio] exaggeratio miseriae per ἀπορία.

Quid agas?] Interrogatio nullum esse remedium indicantis. Gall. qu'y voudrois tu faire? est enim agas potentiale verbum.

Nisi ut te redimas captum] Perstat in Metaphora bellica iandudum sumpta, id est, nisi te huiusmodi libidinum vinculis liberet, quocumque possis modo. Si non que tu te rachettes & delivres de captivité, au moins que tu pourras. Caterum ex bello servorum conditio orta est.

Servorum conditio unde.

Qui enim capiuntur, nec se redimere possunt præ inopia, in servitute rediguntur. Alludit itaq; ad rationem bellicam, ut non sit mirum si tot translationibus bellicis

Amor militiae species.

utatur de amore loquens. Nam militiae species amor est inquit Ovidius.

Si nequeas paululo] sub, redimere. ἄλλεψις. si tu ne
peulx

peulx de bien peu.

At quanti queas] At, saltem. au moins à quelque pris que tu pourras. At.

Ne te afflictes] Ne te tormente, ne te afflige point. Frequentativum ab affligo. Unde afflicari morbo, amore & de re aliqua dicimus. Afflicari.

Itane suades?] me le conseilles tu ainsi?

Si sapias] ad sequentia iungi vult Donatus.

Nec præterquam] Hic & præter locum haberet, sine constructionis & significationis detrimento. & subauditur accusativus (eas) N'en adionstes point d'ennuis & fascheries, outre celles qu'amour ha. suadet ab utili, & expolit prius dictum, Ne te afflictes. Est autem affligere (ut id obiter dicam) proprie in terram prosternere. Cicero. Statuam eius deturbant affligunt, comminuant. Affligere.

Rectè feras] equo animo patiare. que tu les portes patiemment.

Sed ipsa] τὰ παρακρούσθαι ad sequentem scenam.

Nostri fundi calamitas] id est possessionis nostrae vastitas, le degast & destruction de nostre bien. Est enim calamitas grandis, & tempestas, que segetes prope maturas procellit & conterit. gresle derompant le tuyau du bled. Unde Cicero Verrem appellat calamitosam tempestatem, quod quacumque iter fecisset, omnia devastasset, tanquam grandis quaedam procellosa. Detorquet hanc vocem Nanius, ad Græcam καλαμαία, id est locustam, que messes depascitur. Et hanc coniecturam sumit ex sequenti verbo intercipit, quod grandis non intercipiat, sed contundat. Sed si diligenter attendas, hoc verbum non de grandine, sed de Thaide dicitur. Et digressus est iam Parmeno à translatione. Nec fuit causa cur propter hoc verbum,

aliam à Donato Metaphora rationem quæreret Nanus.

Nam quod nos] ἀτιολογία superioris dicti.

Capere oportet] car ce que nous deus recueillir & recevoir. Ut in Phormione. Ex his prædijs talenta argenti bina capiebat. Hæc] Thais.

Intercipit] aufert, & totum capit, ut exponit Donat. elle prend & emponne ce pendant tout. At eum esse morem meretricum, certius est amatoribus, quam ipsis expedit. Plaut. in Trucul. Meretricem ego esse reor mare, ut est quod des, deuorat, nunquam abundat.

ACTVS I. SCENA II.

THAIS meretrix. PHAEDRIA. PARMENO.

MISERAM me, vereor ne illud grauius
Phædria
Tulerit: ne'ue aliorum, atque ego feci,
acceperit,

Quod heri intromissus non est. P. H. totus Parmeno,
Tremo horreoq̄, postquam aspexi hanc. P. bono
animo es:

Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.

T. H. Quis hic loquitur? ehem, tun' eras hic mi Phæ-
dria?

Quid hinc stabas? cur non rectà introibas? P. cæterum
De exclusionem verbum nullum. T. H. quid taces?

P. H. Sanè quia verò hæc mihi patent semper fores:

Aut quia sum apud te primus. T. H. missa istec face.

P. H. Quid missa? ò Thais, Thais, utinam esset mihi

Pars æqua amoris tecum: ac pariter fieret, ut

Aut hoc tibi doleret istidem, ut mihi dolet:

Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.

T. H.

T. H. Ne crucia te obsecro anime mi Phædria.

Non pol quò quenquā plus amem, aut plus diligā,
Eò feci: sed ita erat res: faciundum fuit.

P. Credo, ut fit, misera præ amore exclusit hunc
foras.

T. H. Siccine ais Parmeno? agè, sed huc qua gratia

Te accersi iussi, ausculta. P. H. fiat. T. H. dic mihi

Hoc primū, potin' est hic tacere? P. egone? optumè.

Verū heus tu, lege hac tibi meam astringo fidem:

Quæ vera audiui, taceo, & contineo optumè:

Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo pa-
lām est:

Plenus rimarum sum, hæc atq̄ illac perfluo.

Proin tu taceri si vis, vera dicito.

T. H. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.

P. Potest taceri hoc. T. H. ibi tum matri paruolam

Puellam dono quidam mercator dedit,

Ex Attica hinc abreptā. P. H. ciuē mne? T. H. arbitror:

Certum non scimus: matris nomen, & patris

Dicebat ipsa: patriam, & signa cætera

Necq̄ sciebat, necq̄ per ætatem etiam potuerat.

Mercator hoc addebat: è prædonibus

Vnde emerat, se audisse abreptam è Sunia.

Mater ubi accepit, coepit studiosè omnia

Docere, educere ita, uti si esset filia.

Sororem pleriq̄ esse credebant meam.

Ego cum illo, quo cum vno rem habebam tum ho-
spite,

Abij huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo omnia.

P. Vtrunque hoc falsum est, effluet. T. H. qui istuc?

P. quia

U 3

Necq̄

Nec tu vno eras contenta, nec solus dedit:
Nam hic quoque bonam, magnamque partem ad te
attulit,

TH. Ita est: sed sine me peruenire quod volo.

Interea miles, qui me amare ceperat,

In Cariam est profectus: te interea loci

Cognoui. tute scis, post illa quam intumum

Habeam te: & mea consilia ut tibi credam omnia.

PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. P. Oh, du-
biumne id est?

TH. Hoc agite amabo. mater mea illic mortua est

Nuper: eius frater aliquantum ad rem est audivor.

Is ubi hanc forma videt honesta virginem,

Et fidibus scire, pretium sperans, ilico

Producit: vendit. forte fortuna adfuit

Hic meus amicus. emit eam dono mihi,

Imprudens harum rerum, ignarusque omnium:

Is venit: postquam sensit me tecum quoque

Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo:

Ait, si fidem habeam, se iri prepositum tibi

Apud me: ac non id metuat, ne ubi acceperim,

Sese relinquam: velle se illam mihi dare:

Verum id vereri. sed ego quantum suspicor,

Ad virginem animum adiecit. P. etiamne amplius?

TH. Nihil: nam quaesivi nunc ego eam. mi Phaedria,

Multae sunt causae quamobrem cupio abducere.

Primum, quod soror est dicta: praeterea ut suis

Restituam, ac reddam. sola sum: habeo hic neminem,

Necque amicum, necque cognatum quamobrem Phaedria

Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.

Id amabo adiuta me, quod id fiat facilius.

Sine

Sine illum prioris parteis hosce aliquot dies

Apud me habere. nihil respondes? P. H. pessuma,

Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?

P. Hei noster. laudo: tandem perdoluit: vir es.

PH. At ego nesciebam quorsum tu ires. parvola

Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:

Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.

Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique,

Ego excludor, ille recipitur, qua gratia?

Nisi illum plus amas, quam me. & istam nunc times,

Quae aduecta est, ne illum talem praeripiat tibi.

T. Egon' id timeo? P. H. quid te ergo aliud sollicitat?
cedo.

Num solus ille dona dat? nunc ubi meam

Benignitatem sensisti in te claudier?

Non ne ubi mihi dixisti cupere te ex Aethiopia

Ancillulam, relictis rebus omnibus,

Quaesivi? eunuchum porro dixisti velle te,

Quia solae vtuntur his reginae: repperi.

Heri minas viginti pro ambobus dedi.

Tamen contemptus abs te, haec habui in memoria.

Ob haec facta abs te spernor. TH. quid istuc Phae-
dria?

Quanquam illam cupio abducere, atque hac re ar-
bitror

Id fieri posse maxime: veruntamen

Potius quam te inimicum habeam, faciam ut iusseris.

PH. Utinam istuc verbum ex animo, ac vere diceres,

Potius quam te inimicum habeam. si istuc crederem

Syncere dici, quiduis possem perpeti.

P. Labascit, victus vno verbo, quam cito.

U

TH

T H. Ego non ex animo misera dico? quam ioco
 Rem voluisti à me tandem, quin perfeceris?
 Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
 Saltem vt concedas solum. P H. si quidem biduum:
 Verùm ne fiant istì viginti dies.
 T H. Profectò non plus biduum: aut. P H. aut? nihil
 moror.
 T H. Non fiet: hoc modo sine te exorem. P H. scilicet
 Faciundum est quod vis. T H. meritò te amo. P H.
 bene facis:
 Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
 Ita facere certum est, mos gerundus est Thaidi.
 Tu Parmeno huc fac illi adducantur. P. maximè.
 P H. In hoc biduum Thais vale. T H. mi Phædria,
 Et tu: nunquid vis aliud? P H. Ego ne quid velim:
 Cum milite isto præsens, absens vt sis:
 Dies, noctesq; me ames: me desideres:
 Me somnies: me expectes: de me cogites:
 Me speres, me te oblectes: mecum tota sis:
 Meus fac sis postremo animus, quando ego sum
 tuus.
 T H. Me miserã, forsitan hic mihi parua habeat fidẽ,
 Atq; ex aliarum ingenijs nunc me iudicet.
 Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certò scio,
 Neq; me finxisse falsi quicquam: neq; meo
 Cordi esse quenquam chariorem hoc Phædria.
 Et quicquid huius feci, causa virginis
 Feci: nam me eius spero fratrem propemodum
 Iam reperisse, adolescentem adeò nobilem: &
 Is hodie venturum ad me constituit domum.
 Concedam hinc intrò, atq; expectabo, dum venit.

Phædria purgat se Thais de exclusione, & per occasio-
 nem narrat argumentum. Tandem ab ipso impetrat
 aliquot dies militi vt concedat.

Miseram me] leuis exclamatio, indulgentia, & as-
 sentationi meretriciæ conueniens. moy pourette.

Ne illud] hoc pronomen sequentium habet indicatio-
 nem, quo tamen carere posset oratio.

Grauius] molestius sub. quàm debeat, vt vult Lina-
 cer. alij pro absoluto capiunt. qu'il n'ayt esté bien marri
 & courroucé. Id Græci δυσφορέω, & δυσφορέω] di-
 cunt. Δυσφορέω.

Aliorsum] pro aliter. Qu'il ne l'ayt prins ou enten-
 du autrement, ou en autre partie que ie ne l'ay fait.
 Nam aliorsum loci aduerbium propriè significat alium
 locum aut partem versus. Vers autre lieu, costé, ou part.

Quod heri intromissus non est] de ce qu'on ne le
 laissa entrer hier. Intromissus, non exclusus, hoc verbo
 factum extenuat.

Tremo horreo] αὐξῆσις perturbationis. Tremunt Vnde tremor
 membra, cum calor ipsum cor deserens, ad inferiora de-
 scendit, hinc horror quidam sequi solet frigore cogente
 cutem. Je tremble & suis tout effrayé.

Postquam aspexi hanc] depuis que ie l'ay regardé.

Bono animo es] adhortatio Ironica. & τὸ es antiquus Es imperati
 est imperatiuus. Aye bon courage.

Accede ad ignem hunc] per faceta Ironia ex verbi
 translatione. Thaidem ignem appellat, cuius amore in-
 cendebatur adolescens. Vrit autem videndo fœmina, in- Vrit fœmina.
 quit Verg. Et Horat. carminum lib. Ode. I X.

Vrit me Glyceræ nitor. Catullus.

Ille non minus actu,

Pectore vritur intimo. Item.

Vt multo mihi maior acriorq̄

Ignis mollibus ardet in medullis.

Ardere. Vnde ardere pro amare passim legas. Verum persona Parmenonis herum & Thaidem iridentis ad spectatorem delectandum inseritur.

Iam] bien tost, incontinent.

Calesces] calesces. Tu t'eschaufferas, tu viendras en chaleur. Ouid.

Flamma propiore calesco.

Plus satis.

Plus satis] nimium, plus qu'assez. plus quam satis sit. plus qu'il n'est de besoin. Quintilianus (quam) electivam intelligit, quæ frequenter post plus, minus, amplius, & comparativa desideratur. Donatus mavult superfluere.

Ehem] latitiam deprehendentis innuit.

Tunc eras hinc?] admirantis interrogatio.

Mi Phædria] blandimento vtitur ad reconciliatorem.

Quid hinc stabas?] Pourquoy t'arrestois tu icy? his amicis obiurgationibus benevolentiam sibi conciliat.

Cur non recta introibas?] Introitus mentione, occasionem præbet de exclusione loquendi, & recta addit ad facultatem introeundi indicandam.

Quid taces?] Taciturnitate molestiam exclusionis satis prodebat Phædria, hanc tamen simulat ignorare se meretrix. Ideo cum admiratione rogat.

Sanè quia verò] ἐπεὶ οὐκ ἔστιν qua ad expostulationem exclusionis hesternæ aditum facit. Pource que vrayement

ment cest huius m'est toujours ouvert. Respondet ad id quod rogat Thais. Cur non recta introibas.

Primus] Præcipuus, gratia plus cæteris apud te valens. Pource que j'ay plus de credit envers toy que les autres, ou que tu m'aymes & tiens plus de conte de moy que des autres. Et que ie suis le plus estimé de toy. Occasionem injicit de milite loquendi.

Missæ istæc face] deprecatio sermonis odiosi, ne parle plus de cela, laisse ce propos.

Quid missas?] Repetitio excandescentis.

O Thais Thais] Querela per optationem, cui vim patheticam addit παλιολα.

Vtinam esset mihi pars æqua amoris tecum] que i'euße part ou portion d'amour egale avec toy. que de ta part, ou de ton costé, tu m'aymasses autant que ie t'ayme.

Ac pariter fieret] Ac, pro idest. ἐπεὶ ἕνεκεν cum distinctione, qua interpretatur sententiam, qu'il aduint egalement. Næuius. Vt pariter disperiantur bona patris.

Aut hoc tibi doleret itidem, vt mihi dolet] Que tu fusses autant marrie ou desplaisante de cecy, que ie suis. Que cecy te despleust autant que à moy.

Aut ego istuc abs te factum] esse.

Nihili penderem] Ou que ie ne tinße conte, que ie n'estimasse rien ce que tu m'as fait.

Ne crucia te] Exordium purgationis per obsecrationem, quo studet animum amatoris à se alienatum, exasperatumq̄, placare. Cui subiungitur narratio magnam partem argumenti fabulæ continens, deinde confirmatio causas petitionis adferens, tandem conclusio per petitionem, quæ summa est totius orationis.

Ne crucia te] videtur hæc dicens amplecti, & osculari

lari adolescentem.

Anime mi] blandimentum meretrici familiare, non petit cœur, Plautinum est, & hoc vocatiuo benevolentiam parat. Donatus putat pro nominatiuo esse positum, sed frustra.

Non pol] depulsio intentionis Phædriæ, qua negat quod obiectum fuerat, se exclusum, quod non amaretur, quodq; alius priores apud illam haberet.

Plus] sub.te.

Amen] ad inopiam amoris obiectam redditur.

Plus diligam] ad id quod dixerat, se non esse apud illam primum.

Diligere. Plus diligam] chariorem habeam. præ cæteris ad amandum eligam. certes ie ne l'ay point fait, pourtant que j'ayme ou cherisse aucun plus que toy.

Non quo. Non quo] Ad ideo, eo, idcirco, propterea, respondere solent. Quo, quia, quod, ut, & negatio: ut non quo, non

Quod & quia, non quod, non ut. Sed id discriminis esse vult Valla, lib. I. cap. XXXVII. Ut quod & quia de causa efficiente dicantur: Quo vel ut de finali. Tamen hic quo, in efficiente positum vides, quod per ut minimè resolvas, sed per quod aut quia, maxime post negationem, quod negat Valla. Nisi quod, non quo, hic legendum censeas.

Sed ita res erat] eo in statu res erat, ut id mihi faciendum fuerit. Mais la chose estoit en tel estat, qu'il ha esté force de le faire, id est, ut excluderem te. Et est purgatio à necessario.

Credo] Thaidis purgationem refellit ἰpovixōs, ab incredibili, & contraria consuetudine. Et ex effectis contrarium eius colligit, nimirum Phædriam non amari.

ut

Ut fit] ut fieri solet.

Præ amore] propter amorem quo illum prosequitur. de grand' amour qu'elle luy porte.

Exclusit hunc foras] videtur, ut dixi, ab effectis contrarium colligere. Exclusit hunc foras, igitur non est credibile illum amare.

Age] corripientis. Or sus.

Sed huc] Præparatio, & attentionis captatio, ad sequentem narrationem.

Qua gratia] Pour quelle cause. in ablatiivo tantum hac significatione reperitur hoc nomen. Cicero. Hominum gratia generatas bestias videmus, & c. Gratia pro causa.

Te accersi iussi] ut sequentia prioribus conveniant, præcipua poëtis cura esse debet. dixerat enim paulò ante. Cum accersor vltro.

Te accersi iussi] Je t'ay enuoyé querir.

Dic mihi] ridiculè silentium petit fœmina, & meretrix, qua nihil vanius & futilius.

Potin' est] potest'ne.

Hic] Parmeno.

Heus] significationem habet intentionem considerationemq; reuocandi.

Lege hac] conditione. par tel si & condition. Cicero. Ea lege esse nos natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali. Faceta conditione pollicetur silentium, & de sua fide dubitanti, vicem mendacij reponit.

Astringo fidem] Astringit fidem qui promittit, Liberat qui præstat promissum. Mais escoute, ie le te promes sus ma foy, par tel si & condition. Astringere fidem. Liberare.

Quæ vera] Si ce que j'oy dire est veritable, ie n'en dis mot, & le tiens secret fort bien.

Continet

Continere. Contineo] Metaphora à vasis quibus quippiam continetur ἐπιλαμβάνειν, dicunt Græci. Demost. ἐπιλάβε τὸ ὕδωρ.

Falsum. Sin' falsum] Complexionis pars opposita Falsum est mendacium quo fallimur, cum putatur esse verum, quod

Vanum. non est. Vanum, quod non creditur, nec meretur fidem.

Fictum. Ne possible, ne vray semblable. Fictum, quod fieri quidem potuit, factum tamen non est: sed excogitatum aut fallendi, aut delectandi gratia, & quia probabile est, facile fidem habet. Hic observa singulare ad plurale redi. Nam quæ vera audiui cum dixerit, falsum, vanum & fictum subdit.

Palam est] quartum genus enallages. Il est congruis & manifeste, tout le monde le sait. Plautus. Res palam est. Plinius. Palam est pisces audire.

Plenus rimarum sum] Expolitio oppositionis, & perstat in Metaphora à vasis sumpta. Je suis plein de fentes ou creuasses. Vnde agere rimas, fatiscere rimis, explere rimas.

Perfluo] Je laisse tout aller, je ne tiens rien de secret. Perfluere, est per medium fluere, couler & passer à travers.

Taceri si vis] taceri ἀποσιωπῶς. si tu veux qu'on n'en die mot.

Samia mihi] Narratio ad fabulae argumentum pertinens. Nam quod præcessit, præparatio quædam fuit. Samos est insula Mediterranei maris, & vrbs in ea eiusdem nominis in Ionia de qua Strabo lib. xiiii. patria Pythagoræ. Ex ea aduehebantur vasa fictilia commendatissima.

Ea habitabat Rhodi] Rhodos quoque insula in Lycia.

cia. Significat matrem fuisse meretricem. Quæ enim instituerant corpore questum facere, vertebant solum. Nam pudebat in patria inhonestè viuere, ut in Andria vidimus de Chryside. Itaque peregrinæ pro impudicis mulieribus habebantur, & iratus Simo conuitiandi causa Glycerium peregrinam vocat. Horat. lib. i i i. Carminum Ode. i i i.

Ilion ilion

Fatalis, incastusq; iudex,

Et mulier peregrina vertit

In puluerem.

Ideoq; apud Euripidem Medea se excusat mulieribus Corinthijs quod peregrina esset,

Κορινθια, inquit, γυναικες Ἐχιδνοῦ δόμων,

Μὰ μοι τι μεμψῶδ'. οἶδα γὰρ πόλλας βροτῶν

Σεινὸς γηγῶτας, τὰς μὲν ἐμεικτῶν ἀπὸ

Τὰς δὲ ἢ θυραίοις. οἶδ' ἀπ' ἰούχης ποδῶν,

Δύσκληαυ ἐκτίτατο ἢ ῥαθυμιαυ.

Corinthia fœmina egressa sum ades,

Ne mihi quicquam crimini detis.

Non enim multos mortalium

Honestos, sanctos, illos quidem procul ab oculis,

Hos verò in externis, sed homines ab otioso pede

Infamiam sibi contraxerunt, & ignauiam.

Hæc transtulit Tullius ad Trebatium lib. epist. vii.

Potest taceri hoc] quasi dicat, hoc quidem verum esse puto, matrem peregrinam, id est meretricem fuisse.

Ibi cum] omnia ad verisimilitudinem narrat et obiter semina quædam causarum spargit, quibus puellam abducere velle debeat, nimirum quod matri olim sit data, & Attica ciuis, à matre edocta, & educa-
ta, ac

ta, ac soror credita.

Paruulam puellam] *Ab etate commendatio muneris ad verisimilitudinem, ut cum Thaide educari potuisse credatur, & patriam ac signa cætera ignorare.*

Abreptam] *rauiæ, emmenee par force.*

Certum non scimus] *Nous ne le savons pas au vray, ou pour certain.*

Signa cætera] *autres enseignes, ut urbem, domum, viciniam.*

Potuerat] *supple scire.*

Hoc addebat] *il disoit d'avantage, il adioustoit en outre.*

Audiuisse] *l'auoir ouy dire.*

E prædonibus] *des pillars & escumeurs de mer.*

Vnde] *à quibus, ut supra enallage,*

Sunium. E Sunio] *sunium Atticæ est promontorium, in quo circumflexa est nauigatio, & quam in Piræo periculosior, ut scribit Strabo, in descriptione Atticæ & Plinius.*

Mater ubi accepit] *μαυρολογία muliebris, cum enim iam dixerit dono datam puellam, satis inde, acceptam fuisse intelligi potuit. similiter infra, Cepit omnia docere. At cum causæ totius fundamentum sit narratio, permagni interest, ab ijs, apud quos dicimus, hanc intelligi: propterea membratim narrandum esse præcipiunt Rhetores, ac pedetentim, perspicuitatis causa: quod hic facit Thais. Hanc energia speciem Donatus βάσις appellat.*

Cepit docere] *docuit.*

Vt si, & quasi post ita.

Ita ante ut si intellectum.

Ita ut si] *quasi, quo & Cicero post ita utitur. Quam in re ita diligens erat, quasi ij qui, &c. Aliquando abest ita. Cicero de offic. lib. 1. Et qui alijs nocent ut in alios liberales*

liberales sint, in eadem (puto) sunt iniustitia, ut si in suam rem aliena conuertant. At frequentius ac si dicimus, quàm ut si. elle l'ha apprinse & nourrie songneusement en toutes choses, ne plus ne moins que si elle fust sa fille.

Sororem plæricq;] *ob matris in ea docenda, & aduocanda diligentiam.*

Cum illo hospite] *peregrino, & amico Attico, quem hospitio suscipiebamus. auec vn amy estrangier. honesto nomine turpem amicitiam obtegit.*

Quocum] *τμήσις.*

Rem habebam tum] *auec lequel seul i'auoye affaire pour lors.*

Abij] *compositum pro simplici, id est, illinc huc accessi. de la ie vins ici, Rhodo Athenas.*

Qui mihi reliquit] *moriens. quasi velit dicere, hunc sua beneficentia meritum, ut solus amaretur. Et callidè. ut Phedriam ad dandum pariter commoueat.*

Vtrunq; hoc] *interpellatio faceta, ad risum concitandum. l'un & l'autre est mēterie, mensonge, chose faulse.*

Effluet] *perstat in Metaphora, il s'escoulera, il sortira Effluere. hors, ie ne me tairay point de cela.*

Qui istuc?] *comment cela?*

Necq; tu vno eras contenta] *quia meretrix.*

Necq; solus dedit] *hospes. Consequens enthymematis.*

Nam hic] *δενικῶς herus meus. Antecedens, hic magnam partem ad te attulit, igitur hospes non solus dedit.*

Bonam magnāq; partem] *incrementū, ut herile beneficentiam cōmendet. la meilleur & plus grand partie.*

Attulit] *amplificatio verbi, alter reliquit moriens, cum amplius uti non posset: hic attulit.*

Ad te] otiosam, nullo tuo labore & industria meritā.
Ita est] non negat Thais ne Phædriam exasperet: sed
præteritione rejicit.

Peruenire] Metaphora à viatoribus, laisse moy dire
ce que ie veux.

Interea miles] si duos habeat amatores, in causa fuit
militis diuturna absentia. Excusat amatorum multitu-
dinem.

Me amare occeperat] nondum confirmatus, sed tan-
tum inchoatus erat amor. Id dicit, ne illum plus se amari
Phædria putet.

In Cariam est profectus] Non temerè militem Ca-
Cares. rem esse videtur significare. Sunt enim Cares φιλοσό-
φισοδέμοι. λέμοι, ut vult Theocritus, qui tota quondam Græcia er-
rasse, passimq; stipendijs meruisse dicuntur, ut scribit
Strabo, lib. Geograph. XIII. Herodotus ostendit illos bar-
baro seruilisq; fuisse ingenio, & ad quiduis malorum fe-
rendum paratos, lucri gratia.

Te interea loci cognouit] priorem fuisse indicat mi-
litem amatore, ut is potius quam Phædria querendi ra-
tionem habere videatur. Cognoscere est rem habere: &
ad utrunq; sexum pertinet, sicut apud Hebreos וָיָרָא.

Tu te scis] præteritio obliqua, ad præmolliendū quod
Phædriæ dolet. & suū in illum amorem cōmendandum.

Post illa] supple, tempora, quod nomen aliàs sepe au-
ditur, ut in Ex quo, Ex illo, toymesme fais, combien de-
puis, ie te tiens non plus priuè, & familier. Intimus su-
Tempus intel- lectum.
Intimus. perlatius est, qui maximè intro est, qui est la plus auant
& dedens, & tout au fond. Cic. In eo sacrario intimo fuit
signum Cereris per antiquū. Intimus amicus, quem cha-
rissimum habemus. que nous aymons du plus profond du
cœur

cœur. Vnde in intimis alicuius esse dixit Cicero, id est, In intimis esse.
inter amicissimos & familiarissimos.

Habeam te] non habuerim, ut amorem suum in mi-
litem præterisse, sed erga Phædriam etiamnum durare
significet.

Et mea consilia] comme ie te communique, & des-
couure tous mes conseilz & entreprises, & ce que i'ay
proposé & deliberé. Expositio est ab effectu, & in tute,
tibi, te, traductio non inuenusta.

Transductio.

Ne hoc quidem] Ex consequente antecedens datur
intelligi, nimirum falsum id esse.

Dubium ne id est:] en doute on? scilicet falsum esse?
ad antecedens enthymematis respicit, quod dixi ex con-
sequente intelligi. Hoc falsum est igitur non tacebit Par-
meno: qui respondet non esse dubium quin sit falsum.
Aut ut vult Donat. Dubium ne id est? scilicet me non
taciturnum?

Hoc agite] audite. Plautino more. Et est hortatio ad
institutum reuocantis. entendez ceci ie vous prie.

Nuper] temporis circumstantia, credibile facit puel-
lam nuper emptam fuisse.

Eius frater] viden' ut breuitati narrationis consulat?
Nam ex his verbis ea quæ præcesserunt conijciuntur fa-
cile, nimirum ad fratrem matris, bona eius morte re-
disse, seq; spuriam, & notham fuisse. Aliàs heres inscri-
pta fuisset.

Aliquantum] pro aliquanto κατὰ χρονικόν, ut censet
Valla, aut accusatiuus est per eclipsim, Græco idiomate
positus, ut scribit Linæer in hellenismis.

Ad rem auidior] lucri & quæstus cupidior. Un peu
bien aspre au gain, ou subiet à son proufit. Ab animi na-
tura

Expositio probabilis. tura fidem facit, & causas productionis puella ostendit à persona ipsius, & heredis ad verisimilitudinem. Fit autem expositio probabilis, ut doctè scribit Agricola, si sit argumentosa, si consentanea rebus, si per se consequens: Res. quæ omnia probè hîc Teren. observat. Res divitias significat. Cic. de Off. 1. 1. Tum illud malè dixit, non esse in civitate duo millia hominum qui rem haberent.

Forma. Forma videt honesta] venusta, pulchra, Græci enim vno nomine καλὸν & honestum pulchrumq; significat. At puellam de forma commendat, ad οἰκονομίαν amoris Chærea, ut hac visa non sit mirum, si in eius amorem exarserit. sed & prisca quasi feruorem formam dixerunt, ex qua ignis amoris oritur. Forma, inquit Pompeius, modò significat faciem cuiuscunque rei, modò calidam, ut cum exta quæ dantur, deforma appellantur. Deforma ex- lidam, ut cum exta quæ dantur, deforma appellantur. ta. Seruius sentit à foruo dici, quod calidum significat.

Sono aut ca- no intellectu. Et fidibus scire] desideratur sonare, aut canere, ut vult Linacer. savoir iouer de la harpe. Laus ab studio & disciplina.

Pretium [perans] illatio ex attributis puella. Itaq; auarus pretium sperans, scilicet magnum de virgine, eaq; venusta, & fidibus docta, esperant la bien vendre.

Illico] matre mortua.

Producit] venum exponit. Il l'ha met en vente.

Vendit] rerum ordinem seruat.

Forte fortuna. Forte fortuna] iuncta hæc duo subinde legas, vbi inopinatum bonum accidisse significamus, de bon heur, de bonne aduenture, ce mien amy s'y trouua. Amicum nominat, ut causa sciatur cur Thaidi puella dono data sit.

Emit eam dono mihi] il l'ha acheptee pour m'en faire

faire vn present.

Imprudens harum rerum] ab inopinato rem auget, ut id fortuna beneficio, & quasi deorum voluntate corrigisse videatur. Ne sachant rien de ces affaires, & ignorant du tout. Is venit] redijt.

Postquam sensit] non planè cognouit, sed id sibi prius incognitum olfecit.

Tecum] ἐμπατικῶς.

Fingit causas] il controuue tant qu'il peult des excuses à fin qu'il ne me la donne.

Fidem habeat] Fidem facere, & fidem habere sunt **Fidé facere.** relatiua. Fidem facit, qui inducit ad credendum, de quo antea dubitabatur, probatum planè et exploratum exhibet. qui fait qu'on croye, qui monstre & fait apparoir pour estre creu. Habet fidem qui specimen & probatio- **Habere fidè.** nem accipit, ita ut credat, & amplius nihil dubitet. Itaq; ουwendοχικῶς posterius pro priori sumitur hoc loco. Si ie lui donnois à congnoitre, si ie lui faisoye apparoir, sil sauoit certainement.

Se iri præpositum] in tertio passiuorū genere hanc periphrasim futuri tantum reperias, autore Linacro. Hinc vides causam cur biduum militi postulet concedi, ad hanc quam postulat fidem faciendam. ut Phædria, qui solus causa esse potest amittendæ virginis, habendæ etiam esse debeat.

Velle se] vult dare, non debes meo commodo obsistere. si benigna in me ipsius est voluntas, tua diuersa esse non debet.

Verū id vereri] ait, ut in superioribus est repetendū.

Sed ego quantum] Acuta inuidiæ declinatio. Ne odio riuialis neget quod petitur, sed amatorem, hoc dicens,

multò magis Zelotypia accendit.

Etiã ne amplius? est supple, ny ha il plus rien?

Nam quæsiui] scopus narrationis, & propositio confirmationis. Nam iubet Fabius eò produci narrationem, vnde quæstio oritur. Nam pro sed aut simili discretiva est positum.

Participio. Multæ sunt causæ] Partitio bimembris causas complectens propter quas, virginem sibi quarat

Quamobrem. Quamobrem] propter quas, enallage. Cic. de Finibus III. Satis autem esse argumenti videtur, quamobrem illa quæ natura prima sunt à se ita diligamus.

Abducere] retirer, soustraire. Præterea] deinde, alterum partitionis membrum, & potius: ideo ultimo loco positum. Restituam ac reddam] Restituimus deiecta, & suo loco deturbata. Reddimus amissa. aut restituimus ablata, reddimus reperta.

Sola sum] Confirmatio ab utili per occupationem, qua præmollit aditum ad postulationem multò odiosissimam Phædriæ.

Habeo hic] Athenis. Expositio per distributionem. Nam solitudo non ad infrequentiam, sed ad præsidij & amicorum carentiam refertur. Itaq; hanc explanat.

Necq; amicum] rectè quia Phædria amator erat.

Amicum] qui iuuare velit.

Cognatum] qui debeat. Amicos cognatis præfert, quòd ex illis plus auxiliij feras, quàm ex his.

Id amabo adiuta me:] ie te prie mon amy ayde moy en ceci. duplicem accusatiuum huic verbo tribuit, vt alibi. Eis onera adiuta. Est autem epilogus orationis per petitionem, ad quam priusquam accederet causis aperiendis, quoad eius fieri potuit, aditum præmunuit, &

animata

animum Phædriæ delinuit, vt ingrata postulatio minus offenderet.

Siue illum] in verbo facilitas includitur. Non ad eam rem labore aut sumptu tuo opus est, sed tantum per mitte, quo nihil est tibi facilius. modo velis.

Priores partes habere] Translatio ab actionibus scenicis, quarum sunt prima, secunda, aut tertia partes. πρῶταγωνισαί, δευτεράγωνισαί, & τεταράγωνισαί. Gall. permets qu'il ayt le premier lieu enuers moy & le principal credit. Vide vt rem odiosam verbo leniat, non dixit vt excludi te patiaris, sed vt sinas admitti illum in potiori parte, neque per multum tempus sed tantum hisce aliquot diebus.

Pelluma] Querela Phædriæ ob exclusionem. Cuius status est: se excludi, militem verò recipi, eò quòd magis ametur. Hunc confirmat argumento à remotione, aut inquit largitio munerum, aut amor militis in causa est, vt recipiatur: sed non munerum largitio, igitur ipsius amor. At cum duo sint defensori peculiare loci, propter contrariam signorum interpretationem, inuersio & absolutio: posteriori vtitur. Et aliter quàm Thais causam facti interpretatur. Dicebat siquidem ipsa, cupere se puellam abducere vt suis restitueret, vtq; suo beneficio amicos sibi pararet: imo, respondet Phædria, id facis, quod vereris ne illa tibi militem præripiat. Constat autem principio, propositione, confirmatione & epilogo. Exoritur ab indigno, & mutuos verba Thaidis repetit, propositio mox subditur per οὐκ ἔστιν non sine indignatione. Confirmatio munerum quandam habet commemorationem & quasi exprobrationem. Epilogus rursum indignitatis affectum.

Duo defensoris loci. Absolutio.

Ego quicquam] *Exordium reprehensionis ducit ex re ipsa, quod variat per habitum orationis.*

Cum istis factis] *gravius quā dictis, Et numero multitudinis utitur ad invidiam. Veu tes beaux faits.*

Respondeam] *respondere debeam potentialis modus, quasi dicat. Tibi ne quicquam respondere debeam, talia cum mihi facias?*

Hei noster] *τὸ noster blandientis est. Ut alibi, noster Hei. Socer, video venit. Et hei excitantis potius quā dolentis significationem habere mihi videtur, la la nostre maître, ie vous estime, ie vous prise.*

Tandem perdoluit] *hoc ad spectatores. quasi dicat, tandem diu passus meretricum ludibria, perdoluit, & indignè tulit. En fin finale, si en ha il pris marrison. Sunt qui de Thaide hunc loqui existiment.*

Vir. Vir es] *tu es vaillant homme, & courageux. Vir enim sicut & ἀνὴρ non modo sexum, sed & præstantiā significat. Quemadmodū homo non genus, sed generis conditionem, & sensum notat. quod præclare explicat Cic. lib. v. Epist. ad P. Sestium. Ut & hominē te, & virum esse meminisses. Herod. ἀλλοὶ δὲ ἐποιεῖωτο ὅτι πολλοὶ μὲν ἀνδρωποὶ εἴεν, ὀλίγοι δὲ ἀνδρες, multos homines esse, pau-*

Aut pro an. *cos viros. Aut ego] aut pro an Græcorū more positum videtur, apud quos, non ea est inter has voces differentia, quæ apud Latinos. vide Vallam lib. II. cap. XVII. Pense tu que ie ne seusse pas bien ou tendoyent tes paroles? Alij citra interrogationem legunt, reponentes At, loco aut. Quorsum tu ires] quo spectaret tua oratio. Metaphora ab iter agentibus.*

Paruula hinc est] *Repetitio elusoria verborum Thaidis, ut ipsi odium faciat, eleuetq̄ causas, quibus ipsa nitebatur.*

batur. *At ὁμοιοτέλευτα, acriorem reddunt μίμνοι.*

Nempè] *magnam asseuerationem hac vox indicat sicuti nimirum & ὅτι. Vide Vallam.*

Huc redeunt] *perstat in Metaphora. certainement toutes ces paroles, tout ce propos reuient à cecy.*

Denique] *Propositio conuersionis per antithesim & in pronomibus est ἐμφορα. Bref, somme toute, ie suis mis hors & debouté, & lui est recen.*

Qua gratia? nisi, &c.] *subiectio ad indignitatem. Est autem ratiocinatio, qua exclusionis causam aliter interpretatur, quā Thais.*

Et istam] *Confirmatio causa exclusionis à signo.*

Talem] *contemptum notat.*

Egon' id timeos?] *insiciatio per interrogationem.*

Quid te ergo aliud?] *interrumpit inchoatam defensionem, & argumento à remotione probat militis amorem sua exclusionis causam esse. Porro hoc ex diuisione argumentum (quod à remotione appellat Fabius) et probanti, & neganti commune fit. Sed probanti satis est unum enumerationis membrum retinere, ut hoc loco. Aut detrectatio munerum causa est, aut militis amor: Atqui detrectatio non est causa, igitur amor militis. Neganti utrunque tollendum esset, ut, Si ciuis: aut natus est, aut factus: sed non factus nec natus, igitur non est ciuis.*

Argumentū à remotione.

Num ille solus dona dat?] *Minor seu assumptio argumentationis quam expolit, & variat per habitum orationis. Maiorem autem prætermittit tanquam notissimam.*

Benignitatem] *liberalitatem. as tu iamais apperceus qu'en quelque chose que ce soit, ma liberalité & lar-*

gesse t'aye esté serree ou close? Metaphora ab œconomis familiarum, qui penu famulis & seruis claudunt: aut ab rusticis, qui riuos claudunt, ne aqua in prata influat.

Nonne] minoris confirmatio ab effectis, quæ præterea indignitatem auget, & aditum parat ad futuram Eunuchi deductionem: sub persona cuius omnis fallacia struitur. Sed perpende quantum suam in Thaidem beneficentiam commendat, augeatq̃. Dixti tantum, non rogasti.

Cupere] auoir enuie d'auoir.

Ancillulam] non grandem & ætate prouectam, eamq̃, ex Aethiopia regione hinc remotissima, non expectaui dum huc ad mercatum adueheretur, sed relictis necessarijs meis negotijs quæsiui. Inde quàm benignè largiatur, sciri potest.

Aethiopia. Ex Aethiopia] Duplicem Aethiopiam Strabo facit Homerum sequutus: alteram Aethiopia, Asia alteram. Ita dictam esse vult Plinius ab Aethiopo Vulcani filio, qui in hac regnasse fertur. Alij verius à nigredine & exustione. Nam αἰθω cremo, & ὄψω visum seu aspectum significat. Vnde αἰθίοψ. Sunt autem Aethiopes inter omnes totius orbis populos, nigrore vultus insignes, quem ex vicini sideris vapore putat accidere Plinius. Sunt & intortis capillis: ob calorem externum capillos cremantem, vel propter tortuosos pororum meatus. Sunt & præ cæteris tumentibus Labris, & dentibus candidis: quod sicca eorum corpora minus habent putrium humorum, quàm nostra, qui ex cerebro in dentes fluant, ipsosq̃, inficiant. Ideo vitæ spatium, quàm nos, longius ferè dimidio agere scribit Mela. Ad Orientalem plagam deserta est regio. Quod fertile est sub Meridiano iacet. Ad

Occiden

Occidentalem plagam montuosa est, & Atlantico monte terminatur, & Septentrione Nilo. A Meridie Oceano. Aethiopiam Hebræi עֲבֵדָא appellant, à Chus filio Noah, qui Cham dicitur: ac Aethiopes, Madianitas & Ismaëlitas, eosdem esse putant, vt scribit R. David Kimhi.

Eunuchum porrò] sigillatim de muneribus agit, ad maiorem suæ benignitatis commendationem. A Persis & Syris aduehi Eunuchos indicat Cicero. Porrò fuerunt hi non solum in delitijs Orientis populis, sed fide etiam dignitati habiti. Disputatio hac de re habetur in VII. institutionis Cyri, apud Zenophont. qui dicit hoc genus quietum esse, & attentum, ac in primis fidele. Ideo vxorum ac filiarum custodia à principibus ac diuitibus ipsis credebatur. Ex quo etiam nominantur. Nam εὐνὴ cubile, & εὐνοστροφία custodia significat. hos etiam Græci quidam δαλαμνὸδῶς appellant. A Persis primum factos esse quidam scripserunt, spadonesq̃ appellari: vel à conuulsione id est, ἐκ τῆς ἀσπασίας, quibus testiculi euulsi essent: vel à vico Persico nomine ἀσπασία. Vbi aliquibus primum virilia exempta fuerint. vt testatur Stephanus de Urbibus. Magnus ipsis apud reges & diuites honos fuit. Vnde & principes Eunuchi appellantur, maxime apud Hebræos, vt Bagous Alexandri magni Eunuchus, Putiphar Pharaonis Aegypti regis. Et ille Candaces reginae de quo meminit Lucas in actis apostolorum. Iudæi tamen si ne castrarentur legibus diuinis cautum esset, tamen ipsorum reguli ex alijs barbaris Eunuchos habebant, quos vxorum suarum custodia præficerent. vt sciri potest ex libro (111). Regum, cap. VII. Ipsi verò Eunuchus עֲבֵדָא nimirum, vt scribit David Kimhi

Eunuchi in delitijs orientalium.

Vnde nigror aethiopum.

Cur eorū intortis capilli.

כִּי־יִירָא שׁוֹבְרֵתוֹ בְּיָדוֹ cui euulsi sunt testes nominatur. Fieri autem duobus modis idem scribit: in בְּיָדוֹ, & בְּגִידוֹ. id est cum virilis mentula abscinditur, aut cum cremasteres & nerui; quibus sunt colei suspensi euelluntur. hiq; proprie spadones Græcis dici solent. Paulus quoque Aegineta duabus rationibus fieri scripsit: vna collisione, nimirum cum pueri infantes in aqua calida insidere iubentur in pelui, & digitorum attritione colliduntur testes, donec euanidi abeant. Altera verò executione, cum simul virga amputatur, cuiusmodi habent Turca, vt audio.

Dixi velle te] mirum amatoris obsequium, qui preces non expectarit, sed eius voluntatem instar mandati habuerit.

Quia solæ vtuntur] Par ce qu'il n'y ha que les Reines qui en ayent. ἀτιολογία ad muneris commendationem.

His] Enallage numeri à Græcis sumpta, ad singulare (Eunuchum) reddit pluralis numeri relatiuum. vt supra: si quisquam est, &c. Cicero pro Milone. si tempus est vllum iure hominis necandi (quæ multa sunt). vide Linacrum. Et emphaticôs reginas, principes, & diuites mulieres appellat.

Reperi] magna quærendi opera posita, tandem inueni. Auget à rei difficultate.

Heri minas viginti] à pretio. id est, ducentos coronatos. μνα, Græcis, nobis mina, ab Hebræa voce מִנָּה fluxisse videtur, quam sexaginta siclis constare scribit Kimhi.

Heri] recens beneficium exclusionis indignitatem auget.

Tamen contemptus] eo die, quo exclusus fuerat, emerat mancipia, magnum itaque oportet esse muneris meritum, quod in recenti iniuriam collatum est: magnitudine amoris ea benignitas indicat. Videtur quamuis aut similis aduersatiua intelligi. Quamuis contemptus abs te, tamen hæc in memoria habui. Quamuis auditum.

Ob hæc facta] Conclusio per indignationem.

Facta] benefacta, Heterosis figura.

Quid istuc?] est supple, Linacer aduerbium facit de opinione cedentis. Facta. Quid istuc.

Quamquam] Astute meretrix contentionem remittit, vt quod non potest precibus, blandimento, & simulatione amoris extorqueat.

Faciam vt iusseris] cedendo vincit adolescentem.

Istud verbum] Ceste parole. hanc sententiam οὐτεκδοχικῶς.

Ex animo] ἐκ θυμῶ. du bon du cœur.

Ac] id est.

Verè] syncerè, non simulatè, vrayement sans faintise.

Potius quàm te] οὐτεκδῶς sententiam repetit.

Labascit] hac Metaphora significanter exprimit amatoris inconstantiam. il commence à cheoir, à changer courage.

Victus vno verbo] μέλως aptissima, non longa oratione, sed vno verbo.

Quàm citò] tout incontinent. potest & interrogatiuè legi.

Ego non ex animo?] Quod minus adolescenti videtur credibile, vrget, confirmatq; à maiori, & ἀθικῶς per interrogationem variat. Factis meum erga te amorem testatus sum, & meis dictis fidem non habes? sunt qui

qui argumentum referant ad sequentia, & collatione contrariorum rem augeri existiment. Quicquid non petisti, sed voluisti, à me non tantum serio, sed ioco perfecisti. Ego serio biduum tantum postulans impetrare precibus non possum. Commendat sui obsequij facilitatem significatq; sui copiam amatori nunquam denegasse.

Saltem] Elattotica, & solum, aptè rem imminuunt.

Ego] ἐμφοσιῶν habet, ego quæ amica sum. & gratia plurimum valere apud te debeam, cui nihil denegare verum amatorem deceat.

Concedas] Verbum facilitatem rei appositè indicat, quæ in sola voluntate posita sit.

Siquidem biduum] ἀποσιώπῃς ad alia transeuntis, ex Hypothesi concedentis. Si biduum, supple sit solum, concedo. Hæc enim omnia desiderantur.

Ne fiant isti] Non refert biduum hoc pronomen, sed demonstratiuum est, estq; hic ordo, ne isti dies bidui fiant viginti.

Non plus biduum] erit supple, & quam electiua omittitur.

Aut nihil moror] inchoatam adiectionem repetit cum indignatione.

Moror. Nihil moror] curo, aestimo. Plaut. Nihil moror istas magnas dotes. hæc significatione, vix aliter quàm cum negatione id verbum reperias.

Non fiet] videtur absoluerè quod interceptum fuerat à Phædria. Profectò non plus biduum, aut non fiet. vel desideratur sensus loco nominatiui. Quod vereris non fiet.

Hoc modo] Pronomen non ad fiet, sed ad exorem redditur à posteriori, quod ex illis est, quæ duplicem accusa

accusatiuum recipiunt.

Scilicet faciendum est, &c.] coactum, & agrè ab iniurto extortum consensum indicat hæc oratio.

Merito amo te] formula gratias agendi amatoria.

Benefacis] c'est bien fait à toy.

Rus ibo] non tam id dicit, vt riualis amica potentis conspectum effugiat, quàm vt sua absentia locum fraternæ fallacia præbeat.

Macerabo] macrum & macilentum reddam. Ie m'amaigriray.

Certum est] l'ay proposé, & arrêté ainsi faire. Asserueratio pathetica ad tadium indicandum ob militis receptionem.

Mos gerundus est Thaidi] il fault obeir & faire la volonté de Thais. Cicero. Gestus est mos, & voluntati, & dignitati tuæ.

Illi] Eunuchus & Æthiopissa. οὐλληψίς generum implicita.

In hoc biduum Thais vale] Adieu Thais pour ces deux iours. τὸ biduum tempus præscribit, ultra quod, nolit militem recipi, & amicam commonefacit promissi.

Et tu] vale supple.

Ego ne, quid velim?] In epeterosi eiusdem verbi, scilicet vbi mutatur modus, Rogas est subaudiendum. In Adelphis. Quid is fecit? Quid ille fecerit? Nunquid aliud vis? Ego ne quid velim? Perique rogas intelligitur. Vide Linacrum.

Cum milite isto] volo, οὐλλειπῆνός repetendum. Et est ridicula, & amatoria digressio Phædriæ.

Præsens, absens] Ordo. vt tu præsens corpore cum milite isto, sis absens animo.

Dios

Dies noctes] ἐμπασιώτερον, quam iugiter, aut semper. Habet enim nunquam intermissi temporis significationem.

Me desideres] hac ἰσοκωλία cum dissolutione, repetitione, & ὁμοιοτελείῳ orationi addunt vehementiam. Verum in hac congerie, effectuum seriem sequi videtur. Siquidem ex amore nascitur desiderium: ex desiderio, somnium: recogitat enim mens, dormiente corpore, & cessante sensu, ea quæ vigilans concupiuerit. Desiderata expectantur. De ijs subinde cogitamus, speramusq; nos tandem aliquando ea consequuturos. Quod cum acciderit summa oritur lætitia, & oblectamentum, qui amoris ipsius finis est.

Me te oblectes] ἀμφιβολία, ex geminis pronomini- bus, tamen sensus omnino poscit, ut me, casus sit auferendi. Gall. que tu prennes ta recreation en moy.

Mecum tota sis] id est toto animo. Philosophicè loquitur. Socrates enim apud Platonem cum Alcibiade disputans, colligit animum solum, hominem esse. Et Cicero in Tuscul. 1. Neque nos, inquit, corpora sumus. Neque ego tibi dicens hoc, corpori tuo dico, sed animo. Idem in lib. de Repub. Nec enim is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusq; is est quisque.

Meus fac sis postremo animus] Ea fit inter amantes animorum permutatio, ut vicissim unus in alterum animus quasi demigret, & verè à gravissimis autoribus dictum est animum hominis non illic esse ubi animat, sed ubi amat, unde ὁ φίλος & ἄλλος αὐτὸς dicitur.

Quando ego sum tuus] αἰτιολογία à iusto.

Me miseram] querela Thaidis ad spectatores de Phæ-
dria,

dria. Et οἰκονομία ad futurum congressum Chremetis adolescentis.

Paruam habeat fidem] ne parum mihi fidat, ἐπέρω-
σις secundi generis, qu'il n'ayt bien peu de fiance en moy.

Atque ex aliarum ingenijs] qu'il m'estime estre de
la nature des autres.

Aliarum] meretricum.

Iudicet] iudicare velit, præsens potentiale. Est autem maior syllogismi theorici, qui assensum Phædriæ impe-
dire, ac retinere potest, ne ipsi fidem habeat. Sic enim
animus cogitat: Meretrices sunt fallaces, igitur & Thais.

Ego pol] Non fictè loquitur meretrix, ut vult Lato-
mus, sed ex animo: nam meretricem bonam facit.

Quæ mihi sum conscia] qui le say certainement en
mon cœur. Mendacij paulò antè à Parmenone insimulata
fuerat, deinde à Phædria obiectum, quod militem plus se
amaret, & ea gratia illum recipi, se verò excludi.
Vtriusq; obiecta insciatur, conscientiamq; suam testatur,
quæ loco mille testium esse solet, ut habet proverbiū.
Huius autem tria sunt officia, primum iudicare, prout
cognoscimus quidpiam nos fecisse, aut non fecisse, & ita
dicitur testificari & coarguere. Alterum cum quid-
piam iudicat faciendum, aut non faciendum: ut Turnus
& Mezentius apud Verg. Hac instigantur ad agendum
viriliter. Tertium cum iudicamus à nobis bene, aut per-
peram factum esse. Itaq; à Paulo in Romanis dicitur, con-
scientiam unicuiq; testimonium reddere. Hinc illa fu-
riarum & dirarum apud Poëtas fictio. Sed hæc ad Phy-
siologiam remittimus.

Nec me finxisse] Neq; præterquam quod negandi,
ita & distinguendi significationem habet.

y Falsi

Conscientiæ
tria officia.

Falsi quicquam] in antegressa narratione, id est nihil esse mentitam, ut mihi à Parmenone obiectum est.

Necq; meo cordi] animo. Nam in corde animum esse vulgò est creditum, idq; ab Homero defluxit. Plantus. Ego atque in meo corde (si est quod mihi cor) Eam rem volutavi. Cicero Tuscul. 1. Alijs, inquit, cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesq; dicuntur.

Hic. Chariorum hoc Phædria] aduersus Phædria obiectiorem id dicit. Et τὸ hoc demonstratiuum, de absente dicitur, quod fieri solet, cum recens præsens fuit, vel de eo paulò antè facta est mentio. Ut in Andria. Pamphilus hic firmavit fidem.

Et quicquid huius, &c.] Excusatio de exclusionem per quandam occupationem. Posset enim obijci, si adeo tibi charus est, cur excludis? Huius, aut rei substantiuum intelligas, aut passiuè hunc genitiuum per ablatiuum interpreteris oportet. Huius, de hoc Phædria.

Spero. Spero] καταχρηστικῶς pro credo.

Adolescentem] laus ab etate. Adeo] valde.

Nobilis. Nobilem] à fortuna. Nobilis autore sex. Comp. notum significabat. Actius in Diomede. Ego me Argos referam, nam hic sum nobilis. Unde ignobilis pro ignoto. Plaut. in Amph. Vapulabis, nisi hinc abibis ignobilis. Ad generis claritatem refertur.

Et is hodie, &c.] ad rei probabilitatem circumstantijs orationem communit. Is, persona. quid fecit? constituit se venturum. Ad quem? ad me. quo? domum. quando? hodie.

Dum venit] Cicero. Ego in arcano operior, dum ista cognosco.

ACTVS

ACTVS II. SCENA I.

PHAEDRIA. PARMENO.



AC ita, ut iussi: deducantur isti. PA. faciam, PH. at diligenter.

PA. Fiet. PH. at maturè. PA. fiet. PH. factin' hoc mandatum est tibi?

PA. Ah rogitare? quasi difficile sit. utinam.

Tam aliquid inuenire facile possis, Phædria,

Quam hoc peribit. PH. ego quoq; vnà pereo, quod mihi est charius:

Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. minimè, quin

Effectum dabo. sed nunquid aliud imperas?

PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: &

Istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.

PA. Memini, tametsi nullus moneas. PH. ego rus ibo, atq; ibi manebo.

P. Censeo. PH. sed heus tu. PA. quid vis? PH. censen' posse me obfirmare, &

Perpeti, ne redeam interea? P. tene: non hercle arbitror.

Nam aut iam reuertere: aut mox noctu te adigent horsum insomnia.

PH. Opus faciam; ut defatiger vsque, ingratus ut dormiam.

P. Vigilabis lassus, hoc plus facies. PH. abi sis: nihil dicis Parmeno.

Eijcienda hercle hæc mollities animi: nimis me indulgeo.

y z

Tandem

Tandem ego non illa caream, si sit opus, vel totum triduum? P. hui,

Vniuersum triduum? vide quid agas. P. H. stat sententia.

P. Dii boni, quid hoc morbi est? adeón' homines immutarier

Ex amore, vt non cognoscas eundem esse? hoc nemo fuit

Minus ineptus, magis seuerus quisquam, nec magis continens.

Sed quis est hic, qui huc pergit? at at, hic quidem est parasitus Gnatō

Militis: ducit secum vnā virginem huic dono. papæ, Facie honesta: mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo

Cum meo decrepito hoc eunucho. hæc superat ipsam Thaidem.

COMMENTARIA.

Rus concessurus Phædria mancipiorum deductionem ad Thaidem, seruo mandat, & multa ridicule loquitur, illudente interim Parmenone, qui heri mutationem, ob nimium amorem, admiratur.

At. At diligenter] At cuiusdam attentionis seu comminationis vim habet. Mature] cito. mais tost.

Fiet] varietatem respondendi obserua.

Satne hoc?] odiosa mandati inculcatio amatoris ineptiam prodit.

Ah rogitare] indignatio stomachantis, & actiuum passiuo commutat, quod quandoq; à poetis factitatū legas. At istiusmodi Enallage antiquitatem redolet, quæ singulis

gulis actiuis Græcorum more suum medium, seu commune verbum dabit: aut subauditur decet, siue vt vult Donat. vis, aut pergis.

Quasi difficile sit] supple, facere, aut deducere.

Vtinam] heri inconsultam liberalitatem reprehendit, & sententiam per habitum orationis variat, & collatione contrariorū amplificat. Vtinam tam facile quidpiam reperias quàm hoc perdes. pleut à Dieu qu'ainst facilement tu treuve quelque chose, comme tu perdras ceci. Videtur mihi potius inuenire accipi in propria significatione pro reperire, quàm pro parare & acquirere, tamen cuiq; esto liberum vtram sententiam malit sequi. Quàm hoc peribit, & quàm hoc perdes, sunt ἰσοδωάμεντα.

Hoc] munus. Peribit] malè & inutiliter collocabitur. Nam vt inquit Plautus in rudente. Bonis quod beneficit, haud perit, sed quod malis.

Ego quoque] defensio à maiori.

Quod mihi est charius] pro qui mihi sum charior, ἑναλλαγῆ generis, vt vult Donatus. At puto promocabulum quod, sensum priorem repetere, quod scilicet me perire.

Ne istuc] deest illatiua vox, est enim consequens argumentationis, id frequens est admodum. τὸ istuc relationum comicū, repetit rursus infiniti sensum, hoc perire.

Minimè] supple, patiar iniquo animo.

Quin] age, verum.

Effectum dabo] hac periphrasi quid absolutius & perfectius significatur, quàm per verbum efficiam.

Munus nostrum ornato] comendato, καλλιλογεῖσθαι dicunt Græci.

Verbis] hic ablativus explicat Metaphoram, enri-
chis nostre present par paroles.

Quod poteris] id est quantum, prima enallage. Et
quod pro quoad est contractum.

Et istum æmulum pellito] repellito, remoueto. Et ra-
tio est in epitheto, quia æmulus & rivalis.

Memini] in animo habui, constitui μεμνημένος,
quæ enim semel agere constituimus, fixa memoria no-
stra habere solent.

Nullus pro
non.

Nullus] non, ut alibi. Etsi nullus dixeris.

Sed heus tu] renocat iam abeuntem.

Quid vis?] iam pridem tadebat seruum herilis lo-
quacitatis. Me posse obfirmare] confirmare, firmum
& constantem fore. Perpeti] biduum integrum sustinere.

Ne redeam] ad urbem.

Te nec?] emphasis est in pronomine, ac si diceret, te
tam misere & perditè amantem.

Nam aut] Faceta & irrisoria responsio.

Iam] temporis celeritatem significat. bien tost.

Adigent] agent, te pulsferont, rameneront.

Horsum] ceste part, id est huc versus urbem.

Insomnia] curæ, perturbationes, animi inquietudo,
μετωνομικὸς effectus pro ipsa causa: hæc enim somnum
excitant, efficiuntque insomnium, id est, vigiliam. Dici-
mus autem insomnium & insomniam, hoc quidem dis-
crimine, ut insomnia sit somni privatio, id est ἀπνία seu
ἀγρυπνία, quo nomine singulariter vsi sunt Pacuvius
& Ennius, ut scribit Servius in lib. III. Aeneidos. Id

Insomnia.

Insomnium.

nomen postea Plinius ex vsu remouit. Insomnium vero,
id est ἐμπνίον est (autore Macrobio) cum cura oppressi
animi vel corporis, vel fortune, talem se ingerit nobis
dorm

dormientibus, qualis defatigauit vigilantes. Vult dicere
parmeno te absentis amicæ imago & varia, inanisq; de
tuo amore cogitatio prosequetur, adeo ut hic tuus ani-
mus peregrinetur.

Opus faciam] operabor. ie travaillera.

Vsque] vsq; absolutionem spatij tum in loco, tum in
tempore, tum in re alia significat. Ordo est opus faciam,
vsq; ut defatiger. Est autem defatigari, ita fatigari, ut
non queamus amplius, & sæpe ob laborem, institutum
deseramus. Cicero. Profecto nunquam conquiescam, ne-
que defatigabor, antequam illorum ancipites vias per-
cepero.

Ingratus ut dormiam,] id est inuitus enuy, par con-
trainte, malgré que i'en aye. per synecdoche n prius pro
posteriori. quæ enim ingrata sunt inuiti facimus. Ingratis
legit Bemus id est inuitè, non vltro. Plaut. in Amphi-
trio. Hoc noctis in portu ingratis excitauit. Politianus ad
Odaxium. Est & hæcathonis amatorium, quo te vel in-
gratis ad amandum compellam. Huius loco, nomine in-
gratus interdum & Plautus vtitur.

Vigilabis lassus] Reprehensio ab inutili & incommo-
do, ac si diceret, ex vna geminâ tibi conficies molestiam.
Nam ad insomniam & vigilias, addes lassitudinem.

Hoc plus facies] hoc amplius facies. tu feras cela
dauantage, id est nihil promouebis, sed malū malo addes.

Abi his] obiurgatio seipsum colligentis, & ad exclu-
sionis tempus sustinendum confirmantis.

Eijcienda herclè] eijci debet, participiale nomen, quod
Gracè per ea quæ in eos finiuntur conuerti solet, ut
ἐπιπλέα ἐπιρ αὐτῶν ἢ μαλακότης, ut interpretatur Li-
nacer.

Mollities. Mollities animi] teneritas muliebris, remissio & imbecillitas animi, quæ fortitudini aduersatur. Metaphora à cera cæteris'ue rebus mollibus, quæ duris corporibus cedunt. Et animus qui pericula, dolores, & erumnas, desideriaq; sua, quibus recta ratio iubet obsistere, non perfert: sed voluptatibus, ac cupiditati obsequitur, adeo ut præter decorum & honestatem agat, mollis appellatur. Unde molliter viuere Ciceroni dicitur, id est delicatè & parum viriliter. Ad alia etiã transfertur. Quintil. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Seneca. Mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere munditijs nostrorum adolescentium specimen est. Emolliti eneruesq; manent. Nonnunquam & in bonum sonat. Cicero in Catone maiore. Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, ut non modò omnes absterferit senectutis molestias, sed effecerit mollem & iucundam senectutem. id est, autore Nonio Marcello dulcem & gratam.

Nimis me indulgeo] vetustè dictum, id est nimium mihi concedo & permitto, nimis obsequenter ac delicatè me tracto. Je m'amignarde trop. Atticorum more accusatiuum loco datiu posuit. Aristoph. in Pluto. ἤν μ' ἐν ἀπέροναι. τὸ με accusatiuus est pro μοι positus.

Tandem] breuiter. hinc enim absolutionem & certam deliberationis sententiam cum celeritate significat. Huius loco interdum, breuiterq; fingitur Plin. de Lusciis. Breuiterq; omnia tam paruulis faucibus, quæ tot exquisitis tiliarum tormentis ars hominũ excogitauit. Hæc vox cū affectui seruit habet aliquid vrgens & accelerans. Sed tunc obseruare conuenit, per interrogationē ferè efferrī:

efferrī: ut apud Cic. Quousq; tandē abutere patientia nostra Catilina! Itaq; vix vlli dictioni quàm interrogatiuis, & inde declinatis, & compositis aduerbys iunctam reperias, idq; in subiunctione.

Non illa caream] Non in interrogatione positum affirmationem subintelligit, autore Valla Num Verò, negationem. At mihi præterea videor obseruasse, cum per non interrogamus, subaudiri notam interrogationis, an. ut hinc, An non illa caream, &c. In num Verò nulla est istiusmodi subauditio. Nam huius significatio est penè eadem quæ an.

Caream] carere possim διωρισμόν. Carere, inquit Cicero in Tuscul. questio. significat egere eo, quod habere velis, se passer de ce qu'on voudroit bien auoir. Carere in malo non dicitur, non enim esset dolendum. Attamen carere culpa, peccato, Febri idem dixit. Et Ouid.

Morte carent animæ.

Vel totum triduum] Vel habet augmenti significationem, voire trois iours entiers. Cicero. Cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Sed hoc ridiculè dixit quasi magnum quiddam sit triduum sustinere posse.

Hui vniuersum triduum?] exclamatio heri dictum irridentis.

Vide quid agas] hortatio ad eos qui maiora suis viribus conantur, & quidpiam incauti subeunt.

Stat sententia] ἀειπαρίας nominis & verbi, pro verbo placet, ut vult Linacer. Sed plus vehementia est in periphrasi. Stant enim quæ non mouentur, ut flumen cum stagnat, avis in arbore sedens, homo erectus non ambulans. Quare stare sententia dicitur quæ firma est, constans,

constans, & immobilis, c'est vn propos deliberé. c'est vne chose arrestee.

Di boni quid] Exclamatio admirantis. Excusat herum, & culpam ineptiarum illius à persona in rem, id est, amorem transfert.

Quid hoc morbi est?] ἐρέως elegans, pro quis hic morbus est. At amorem morbum esse testatur Propertius.

Solus amor morbi non amat artificem.

Nam vt morbo perturbantur corpora, & ex bona illa habitudine decidant, sic animus amore ex sua tranquillitate constantiaq; deturbatur. Est itaque purgatio Phædræ per remotionem criminis, & Metaphora à melancholicis. Siquidem nemo mentis alienationem seu desipiscenciam melancholicis vitio tribuit, quod morbi, non personæ vitium sit. Sic heri immutationem amoris potius quam ipsi acceptam referri oportere censet.

Adeon' homines?] Valla, ad sententiæ absolutionem desiderat. Veré ne ita est? Et est altera heri purgatio. ab adiacentibus amoris, cuius culpam omnibus amatoribus communem facit. Videturq; imperfecta inductio. Nam exemplo Phædræ miratur homines adeo ex amore immutari. Hanc immutationem poëtae eleganter pinxerunt in fabula Circes, homines in pecudes commutantis.

Vt non cognoscas] secunda pro qualibet, vt non cognosci possit.

Eundem] pro eosdem enallage numeri.

Hoc nemo fuit] Accommodatio sententiæ, seu conclusionis imperfectæ inductionis, per enumerationem: & hoc ablatiuus est.

Magis seuerus] grauis & constans, quiq; voluptates asperna

aspernatur, homme austere qui fuit toutes voluptez. & quisquam abundat. Caterum, magis, repetitum & positino additum pondus addit orationi. Magis.

Continens] temperans, & modestus. Est autem continens qui cupiditatem consilij gubernatione regit. Porro alteram contentionis partem, vt odiosam, & laudi Phædræ aduersam prætermittit, opportuno Gnatonis interuentu. Effet enim inhonestum seruo herum vituperare.

Sed quis est!] Parasceue ad sequentem scenam.

Gnato] ad spectatorem docendum, simul & parasitum nominat, & cuius ipse sit parasitus. At Gnato à maxillis, & edendi auaritate dici videtur. Nam Græcè Gnatonēs, ὑαθῶνες, id est, buccones & manducones appellantur, qui inter edendum maxillarum collisione ingentem sonum edunt. Fuit etiam Gnato Siculus quidam obsonator insignis, qui narium mucum in escam emungebat, vt ceteri conuiuia ab ea abstinerent solusq; ipse vesceretur.

Secum vnà] alterutrum abundat.

Papæ] παπαί Græcum est. Admiratur formam virginis ad ipsius commendationem. Vt digna videatur, propter quam Chærea periculum adeat. Et quia rivalalem Phædræ opponit, decet militis munus vincere.

Micum ni] ἄνασσοπὴ Poëtica pro nimirum. Donatus ni pro nisi, & dabo pro dederò esse putat. At ni & nisi finitiuis sepe iunguntur.

Me turpiter hodiè hic dabo] honesta loquutio. Dare seu gerere se turpiter, est ludibrio & dedecori sese exponere, se faire moquer, se monstrer infame.

Cum meo decrepito] κῶφῳ capulari & ad extremam

Decrepitam

mam senectutem prouecto. Decrepitos senes dictos puto, quod crepitu & sono multo sint pradi, puta tussi continua, excreatione ingenti, querela, gemitu planctusue ob dolorem podagra, frequenter calculosi alteriusue senilis morbi, & pedum ac baculi cui inhaerent strepitu. Aut quia iam ob mortis propinquitatem lugentur, & planguntur. Nam & crepare olim lugere significabat. Plautus. Qui crepat defunctum patrem. Est autem muneris aduersarij commendatio per contentionem. Virgo, soboli apta: Eunuchus, ad eam inepto: Formosa deformi, puella decrepito opponitur.

Crepare.

Hæc superat] *Comparatione munus extollit.*

ACTVS II. SCENA II.

GNATO parasitus. PARMENO.



II immortales, homini homo quid prestat? stulto intelligens
Quid interest? hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi?

Conueni hodie adueniens quendam mei loci hinc, atque ordinis

Hominem, haud impurum, in eadem patria qui abligurierat bona:

Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisq; oblitum.

Quid istuc, inquam, ornati est? quoniam miser quod habui perdidit: hem

Quo redactus sum: omnes noti me, atque amici deserunt.

Hic ego illum contempsi præ me: quid homo inquam ignauissime?

Itane

Itane parasti te, ut spes nulla reliqua in te fiet tibi? Simul consilium cum re amisti? viden' me ex eodem ortum loco?

Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo corporis? Omnia habeo, neque quicquam habeo: nihil cum est, nihil deficit tamen.

At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pari

Possum. quid tu his rebus credis fieri? tota erras via.

Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seculum prius:

Hoc nouum est aucupium: ego adeo hanc primus inueni viam.

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,

Nec sunt tamen: hos confector: hisce ego non paro, me ut rideant:

Sed his vltro adrideo, & eorum ingenia admiror simul:

Quicquid dicunt, laudo: id rursus si negant, laudo id quoque.

Negat quis, nego: ait, aio. postremo imperaui ego: met mihi

Omnia assentari: is quæstus nunc est multo vberimus.

P. Scitum hercle hominem: hic homines prorsus ex stultis insanos facit.

G. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi venimus,

Concurrunt, læti mi obuiam cupedinarij, cæteri,

Lanij.

Lanij, coqui, fartores, piscatores, aucupes,
 Quibus & re salua, & perdita profueram, & pro-
 sum sæpe:
 Salutant, ad coenam vocant, aduentum gratulantur:
 Ille ubi miser, famelicus, videt me esse in tantum ho-
 norem,
 Et tam facile victum quærere: ibi homo coepit me
 obsecrare
 Ut sibi liceret discere id de me. sectari iussi,
 Si pote, tanquam philosophorum habent disciplinæ
 ex ipsis
 Vocabula, parasiti itidem vt Gnatonici vocentur.
 p. Viden' orium & cibus quid faciat alienus? g. sed
 ego cesso
 Ad Thaidem hanc deducere, & rogare ad coenam
 vt veniat.
 Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem vi-
 deo,
 Riualis seruum: salua res est, nimirum hic homines
 frigent.
 Nebulonem hunc certum est ludere. p. nã hoc mu-
 nere arbitrantur
 Suam Thaidem esse. g. plurima salute Parmenonem
 Summum suum impartit Gnato, quid agitur? p. sta-
 tur. g. video.
 Nunquidnam hic quod nolis vides? p. te. g. credo:
 at nunquid aliud?
 p. Quidum? g. quia tristis es. p. nihil equidem, g. ne-
 sis: sed quid videtur
 Hoc tibi mancipium? p. non malum hercle. g. vro
 hominem. p. vt falsus animi est.

g. Quam

g. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse?
 p. hoc nunc dices,
 Eiectos hinc nos: O M N I V M R E R V M heus vicif-
 situdo est.
 g. Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum
 reddam,
 Ne sursum, deorsum cursites: neue vsque ad lucem
 vigiles.
 Ecquid beo te? p. men' papæ. g. sic soleo amicos.
 p. laudo.
 g. Detineo te fortasse. tu profecturus aliò fueras.
 p. Nusquam. g. tum tu igitur paulum da mihi ope-
 ræ, fac vt admittar
 Ad illam. p. agè modò, nunc tibi patent fores hæ,
 quia istam ducis.
 g. Num quem euocari hinc vis foras? p. sine bi-
 duum hoc prætereat:
 Qui mihi nũc vno digitulo fores aperis fortunatus,
 Næ tu istas faxo, calcibus sæpe insultabis frustra.
 g. Etiam nunc hic stas Parmeno? eho num nam tu
 hic relictus custos,
 Ne quis fortè internuntius clam à milite ad istam
 cursitet?
 p. Facetè dictum: mira verò militi quæ placeant.
 Sed video herilem filium minorem huc aduenire.
 Miror quid ex Piræo abierit: nam ibi custos publi-
 cè est nunc.
 Non temere est: & properans venit: nescio quid
 circumspectat.

C O M M E N T A R I A.

*Parasiticos mores sub persona Gnatonis, eleganter de-
 pingit:*

pingit: & vitiosos sui temporis mores reprehendit. Exorditur per admirationem, in sui ipsius laudem, deinde narratione rem explanat, & institutum suum commendat cum amplificatione per προσωποποιίαν. Tandem in Parmenonem incidens, ad Thaidem munera deducentem eum multa dicacitate illudit.

Di immortales] Exclamatio admirantis per ὑπομολογίαν, quam statim ad institutum suum accommodat, & per contentionem explanat.

Homo homini] traductio pondus addens orationi.

Quid] ἀντιπῶσις. quid, pro in quo, autore Valla, aut accusatiuus per eclipsin Græcorum more positus. Illi enim similiter τὶ pro τί τὶ sæpè usurpant, lege Linacrum lib. VI.

Stulto intelligens] expolitio per ἀντιθεσίαν. Stulto improvido, imprudenti, datiuus est. Intelligens, peritus: & multa rerum experientia præditus. Nam Iuuenalis gentem adulandi prudentissimam appellat.

Interest] pro differt, datiuo à posteriori iunctum, vix vsquam alibi reperias.

Hoc adeo] accommodat sententiam ad rem ipsam & traducit thesιν ad hypothesin. Similiter exorditur Cicero epistolam quandam ad Trebatium per sententiam generalem, quam statim ad suum exemplum accommodat. Quam, inquit, morosi sunt qui amant, vel ex hoc intelligi potest, &c.

Hoc] sensum præcedentem refert, scilicet stulto intelligentem præstare. Preparat autem spectatorem ad sequentem narrationem.

Adeo] sanè, profectò.

In mentem] memoriam.

EX

Ex hac re] quæ sequitur. Nam pronomen indicationem habet sequentium.

Conueni] insignem parafiti prosopographiam continet hæc narratio, in qua circumstantia intersecuntur ad probabilitatem.

Mei loci] vicinitatis, aut meæ Urbis, & hinc adiunxit explanationis causa, d'icy. Potest etiam per synonymiam coniunctim legi, mei loci atq; ordinis. Gall. de more est & condition. In Pandectis, Diuus Marcus de Officio præsidis. Cum autem ex literis tuis cognouerimus tali eum loco atq; ordine esse.

Atque ordinis] meæ sortis, conditionis, de ma sorte, d'un mesme reng quæ ie suis. Hæc causa fuit colloquij, quod esset eiusdem loci, ordinisq;. Ordo hic significat quod vulgus statum appellat, Græci τάξις. Est autem ho-
Ordo.
nestum imò necessarium, ciuium discrimina & ordines esse, secundum publica vel priuata officia: vel secundum nobilitatem, prudentiam, & virtutem: vel secundum facultates. Quanta enim esset in Republic. confusio si quilibet vel infimæ sortis æquaretur patricio? Si pauperes diuitibus? Idiotæ magistratibus? sordidi honestis? stulti rudesq; sapientibus miscerentur? Itaque Romanus populus primo in tres ordines diuisus erat, in ordinem Senatorium qui & amplissimus dicebatur, cui laticlauium, & lunatus calceus insigne fuit. In equestrem ordinem, cui ius erat annuli aurei gestandi: & in plebeium. His tribus ordinibus quartus postea accessit ex hominibus ignobilibus, atque humilibus ex plebe, pauperibus ac diuitibus quoq; cōstans, quos Græci ἀγοραίους, Latini circumforaneos vocant. cuiusmodi sunt, artes sordidas & questuarias exercentes, quiq; operam suam
ζ locant

locant mercedis causa. Illi etiam qui otiosi domi sedentes, otium agunt, inutiles sibi, & Reipubl. ideo quod nullam artem nouerint. Quintus ordo seruorum est, qui ius non habet ciuitatis. Debet itaque quisque suam conditionem agnoscere, & ea vel humili contentus esse, vel excelsa non efferi immodicè. Ideo census à Seruio Tullio Rege institutus Reipubl. saluberrimus fuit, qui secundum censum & facultates ciuium, populum in certos ordines classesq; distribuit, ne pauperes & humiles immodicis oneribus opprimerentur, neu diuites & opulenti otiosè & contra Reipubl. agerent: sed quisque obiret munia & onera ipsius, eamq; iuuaret pro facultatum suarum proportione geometrica. Est autem appellata classis à Græco verbo κλάσις, id est vocando, quod ciues ad censum vocarentur, vel ad comitia, & suffragia, secundum ordinem classium. Et qui non essent classici, id est digni vel idonei censi in vlla classe, non vocarentur ad censum, nec ad comitia, nedum ad vllos honores ciuitatis. Hi autem capite censi, & proletarij dicebantur. nempe quod eorum bona censu & estimatione sint indigna, nisi quis caput & vitam eorum censi velit, cum nihil præter corpus & vitam habeant, nec vllò tributo, commoditate ue alia iuuare Reipubl. possint, quàm prole, id est, liberis creandis, & fouendis. Fuere autem quinque classes, vt ex Liiuo lib. 1. ab urb. cond. constat. Prima erat octuaginta centuriarum, quarum quadraginta seniorum erant, & totidem iuniorum, quæ in comitijs prærogatiuam sortiebantur. Huius classis census erat centum millium aris, id est mille coronatorum aut amplius. Secunda, ex viginti centurijs conscripta, possidebat intra centum vsque ad quinque & septuaginta

ginta millia aris, id est septingentos & quinquaginta coronatos. Tertia totidem centurijs constans possidebat quinquaginta millia, id est quingentos coronatos & vltra. Quarta continens viginti quoque centurias, censebatur viginti quinque millibus aris, id est ducentis & quinquaginta coronatis. Quinta continens triginta centurias, vndecim millibus censebatur, id est centum, & decem coronatis, & amplius. At centuria tamen si centum ciuium numero fiebat, tamen aucto postea populo, longe plures ciues quàm centum continebat. Postea cum Romanum Imperium creuisset, tempore quo bellum cum Annibale gerebatur, censa est prima classis senatorum & patriciorum, equitumq; senatorij ordinis, quindecim aut certè duodecim millibus coronatorum. Deinde Asia deuicta ex spolijs rapinisque prouinciarum orientalium, adeo aucta sunt opes vrbis Romæ, vt Senatorius census non esset minor viginti millibus coronatorum, quam summam qui non haberet, non legebatur in numerum senatorum. Equestris vero census non esset minor duodecim millibus coronatorum. Quem qui non haberet, non admittebatur in equestri ordine, neque in eo sedebat. Tandem Cæsar Augustus ita vtrunque censum ampliauit, vt equestris esset viginti millium coronatorum, Senatorius trium millium. Tertia classis, trium millium. Quarta millium. Quinta & infima quingentorum coronatorum, quam summam qui non habebat classicus non erat. Hæc de discrimine ciuium & ordinibus τὰ γένετα adijcere volui, quod permultum lucis afferant historijs Romanorum rectè intelligendis quæ ex Liiuo & Gellio, maxima ex parte ferè ad verbum ex Velcurione annotaui. Similiter apud Græcos

potissimum Athenienses, trifariam populus diuisus erat. Primi erant qui *πρωτασοσιομέδικοι* vocabantur à mensura frugum, quas capiebant ex agris suis. Deinde *ἰππῆες* equites. Tertij *δῆμεις* qui ad magistratum non admittebantur. Classes autem distributæ secundum censum & facultates ciuium (quas *τιμῆματα* appellant,) quatuor à Solone sunt factæ. Vide orationem Demosthenis de muneribus.

Hominem haud impurum] *Λιπτότε*, id est non sordidum, non auarum. videtur ad Priscum morem diuitum alludere. Liberaliter enim educati subinde balnea, præsertim calida adibant, nitoris & elegantia causa. Auari autem minimè. Quare Aristoph. in Pluto auaritiam ingentam Patroclo inesse significans, ipsi à pueris *ἀλκῆσαι*, sordes, & illuuiem, ac impuritatem placuisse obijcit: quòd nunquam lotus sit in balneis. Auari neglectiori ferè sunt cultu, vna veste eaq; sordida contenti.

Itidem patria, &c.] Ideo sui ordinis esse dixit, quòd similiter atque ipse sua bona deuorasset. Et est *ἑκαταπόδοτος*, audienda enim altera pars similitudinis, itidem atque ego.

Patria bona] patris *ἐτέρωσις*. adiectiuum pro substantiuo, *πατρὸς ἀπόδοτος* & *ἑσῆσαι*. Plautus. Degulato patrimonio pauper est factus.

Abligurierat] per luxum & propinationem deuorarat. & hæc parasitica laus est, quòd bona sua decoxit. At ligurire est lautiores cibos carpere. consumer & despandre son bien en friandises. Ius tepidum ligurire dixit Horatius. Et ligurire lucra. Cicero.

Video sentum] Icon & descriptio *φιλωδάπυς* à corporis

poris habitu, qui ob ingluuiem & liguritionem, in paupertatem incidit: cuiusmodi multos passim videre est, qui amplo patrimonio nequiter exhausto, ad istam inopiam sunt redacti.

Sentum] horridum. *hydeux*. Verg.

Per loca senta situ cogunt, noctemq; profundam.

Squalidum] sordidum. *sale, ord, crasseux*. à *squaleo*, cui contrarium nitidum.

Aegrum] exanguem, macie ob inopiam pallidum, instar agrotantis. *μετρονυμῖως*, causa pro effectu. Solent enim agri pallefcere.

Aegrum] triste & ennuyé, dolent.

Pannis annisq; obsitum] *παρωρομασία* ad contemptum faciens. fort vicil, mal habillé, d'habillemens deschirez & rapiecez. Pannis id est varijs fragmentis panni indutum.

Annis] auxesis ab etate.

Obsitum] fœdatum, deformem & putidum. Solet enim quidam situs esse in vultu, & corpore senum, & habitu: præsertim inopum. Lucanus de Venefica.

Fœda situ macies.

Obsitus ab obserendo ductū est, ideo Metaphorā ab agris esse ait Donatus. Columella. Campum in singula iugera tritici, quinque & adorei octo modijs obserere præcipiunt. Obsitus auo dixit Vergilius.

-Rura obsita pomis,

dixit Ouidius, & agrum vineis obsitum, idem Columell. Significat itaque Metaphoricòs refertum & plenum.

Quid istud ornati] interrogatio superba contemnens, & amplificatio per *προσωποποιίαν*. Ornati geni-
Ornati-
τιμῆς

tinus est antiquus. in quo est Ironia, potest tamen simpliciter accipi, ut ait Donat. quoniam μέσος est verbum.

Quoniam miser] viden' ut Laconicōs ad interrogationem respondeat? nempe miseram paupertatem istiusmodi ornatus causam esse, & simul docet quomodo in eam inciderit.

Perdidi] μέσος qua crimē facti declinat, non enim dixit absumpsit, aut abligurivi.

Hem. Hem] & dolentis, & demonstrantis esse potest. Est autem μάδ@ ad commiserationem mouendam.

Redigi. Redactus sum ε] videtur Metaphora à certamine gladiatorum, cum victus retrocedens & ad extremam repulsus arenam, populi opem implorabat.

Omnes noti atq; amici] querela de fucatis amicis qui sunt μέγχι προσήγορίας φίλοι, iuxta vulgarem παροιμίαν, Ζῆ χύτρα, ἤ φίλια: feruet olla, viget amicitia. Est autem auxesis ad indignitatem exaggerandam. non solum noti, inquit, quibus cum epulabar, sed etiam amici, quos mihi fidiſsimos beneficio meo parasse videbar.

Hic ego illum] accommodatio sententia à qua exorsus est: hominem homini prestare. Contempſi illum tanquam stultum.

Præ me] intelligente. Fortuna equalium contemptum solet inducere. τὸ hic indicationem generalem significat. Cicero Attico. Hic tu in me illud desideras. Idem. Hic ego quantum humano consilio efficere potui.

Quid homo inquam ignauissime] Obiurgatio superba. Hinc vides quàm immodicè efferantur quidam felici rerum successu, adeo ut aequales suos aduersa fortuna vtentes contemnant. τὸ quid eleganter abundat.

Ignau

Ignauissime] fort defailli de cœur, & lasche.

Te parasti] as tu mis si pouure ordre à tes affaires? causam miserie in ipsius ignauiam transfert.

Vt spes nulla] qua ad extremum vsque spiritum miseros comitatur. Nam ut habet fabula de Pandoræ pyxide, reliquis morbis omnibus euolantibus sola spes in huius labro hesit. Et notum est illud Nasonis,

spes bona dat vires, animum quoq; spes bona firmat.

Viure spe vidi, qui moriturus erat.

Obiurgatio est sententiosa. Iubent enim Philosophi omnia bona à nobis ipsis petamus, fortuna quidem ut opes dat, ita auferre potest: virtutem, industriam, & mentem non potest. Ideo in te dixit, quod fortunæ bona extra nos sint.

Sicul consilium] Expolitio obiurgationis. vulgò iactatur, sensum perdere qui suum amittit. qui perd le sien perd le sens. quod sic Naso extulit de Ponto lib. IIII. eleg. XII.

Crede mihi miseros prudentia prima relinquit,

Et simul cum re consiliumq; fugit.

Viden' me ex eodē] Amplificatio à suis ipsius exemplo dissimili. Locus hic, non tam patriam & natale solum quàm natales, conditionem & fortunam significat. Ut cum dicimus, quempiam humili claròue loco naturam obscuro, infimo, summo, ignobili, equestri loco.

Qui color] quia exemplum per dissimilitudinem tractat, hæc superioribus opponit ἀσυνδέτως. At color, corporis qualis sit habitudo indicat.

Nitor] elegantia scolori opponitur. Horat.

Me pinguem, & nitidum, & bene curata cute vises.

Ζ 4 Vesti

Vestitus] ornatus.

Quæ habitudo est corporis?] quelle est la disposition de ma personne, comme ie suis en bon point? Habitudo præcedentia omnia videtur complecti. Nam sine vestitu integro, bono ue, læderetur corpus, & natium sanitatis colorem amitteret. Habere cum ad corpus pertinet, μέτρον est, & aduerbijs bene & malè distinguitur, sic & habitudo.

Omnia habeo, neque quicquam habeo] Dux sunt sententia ἑναρτίας ἀντικείμενα, quæ simul vera esse non possunt in necessarijs, in fortuitis falsa esse possunt. At in eiusmodi propositionum oppositione, ut vera sint contraria, necesse est eadem extrema esse, ipsorumq; eandem significationem sine vlla ἀμφιβολία, de eodem tempore, loco, &c. intelligi. Aliàs non pugnabunt. Sicut hæc singulares, Omnia habeo, neque quicquam habeo. Nam (omnia) mobilia tantum (ut appellantur) bona, ad victum necessaria complectitur, (Nihil verò) immobilia, ut possessiones, & prædia. Rursus ambiguitas est in verbo habere, prius adesse & suppetere, posterius possidere significat. Ac si velit dicere. Omnia quidem mihi abundè suppetunt ad victum, etiamsi nihil quicquam possideam.

Nihil cum est] ἑρμηνεία & expolitio sententia. Id genus ἀντιθέσεως ὀξύμωρον Donatus appellari scribit.

Nihil deficit] deficit. Verg.

Lac mihi nec æstate nouum, nec frigore deficit.

At ego infelix] Obiectio ad purgationem. Verum duo olim fuerunt Parasitorū genera. Vnum scurrarum, qui ridiculis scommatibus & dicterijs, risum captantes,

Duo parasitorū genera.

à ditio

à ditioribus in conuiujs expetebantur. Vnde cuidam apud Plautum inde Gelasio nomen datum est. Alterum eorum qui flagris obdurati, verbera aliasq; iniurias patiebantur: sicuti hoc tempore pueri à pedibus nobilium, siquid deliquerint, nudati flagris se inuicem cadere coguntur ad oblectationem herorum. Hi plagipatida & Lacones Plauto dicuntur. Lacones enim pueros flagris assuescebant, eosq; conflagrare scutica iubebant ad aram Dianæ. Itaque hic miser neutrum se facere posse ait, seq; ineptum & ad iocos & dicteria, & ad plagas perferendas. Vide Nanum primo Miscellaneorum.

Quid tu his rebus] interrogatio corripientis. & rursum quid ὠλεονάξει.

Tota erras via] Prouerbialis Metaphora à viatoribus, sumpta ex Aristopha. Pluto. Ἡ δὲ ὁδὸς τὸ παράπῃν ἡμαρτήκαμεν. Vidæne tota prorsus errauimus? Vide Erasmi Chiliad. Est autem solutio obiectio, & refutatio à temporibus.

Errare tota via.

Isti fuit generi] parasitorum vapulantium, & ridiculorum.

Quondam] hæc vox, aut olim abundat.

Quæstus] lucrum.

Secundum prius] prioribus temporibus. Nam seculum & statum temporis atque habitum notat, ut seculi mores & errores dicuntur. Maro

Aspera tum positis mitescent secula bellis.

Hoc nouum est aucupium] hoc tempore hic nouus aucupandi modus repertus est. Aucupium ab auibus capiendis nomen habet, & Metaphora est parasito digna. Nam sicut aues esca, ita philodoxi assentatione capiuntur.

Aucupium.

Σ 5

Ego

Ego adeo] videtur subaudiri vox rationalis. Confirmat suo exemplo, & id deinde latius exponit.

Via. Viam] artem, rationem, institutionem, & methodum. Nam Græci ὁδὸν ἔχειν, καὶ ὁδὸν εὐρεῖν, id est viam tenere & inuenire dicunt, id est rationem, artem, ac μέθοδον. Ideo & dialectica ὁδοποιητικὴ dicta est, quod quasi per loca inuia & sentibus obsita viam aperuerit. Hoc modo & Latini frequenter viam pro arte usurpare solent. Fabius lib. κ. Nota sit primum dicendi via, neque enim prius contingere cursus potest, quam scierimus quò sit, & qua perueniendum.

Adeo] confirmationis nota est.

Est genus hominum] artem suam explicat, docetq; quòd genus hominum assentatione capiatur, nimirum qui non tam virtute præditi esse volunt, quam videri. His fictus ad voluptatem sermo cum adhibetur, orationem vanam testimonium esse laudum suarum putant, inquit Cicero.

Primos omnium rerum] in rebus omnibus. Il y ha une sorte & maniere de gens qui en toutes choses veulent estre estimez les premiers & principaux.

Nec sunt] moraliter. Videri volunt, quod non sunt.

Hos confector] Je hante & fais la courri souuent à telz. Iteratiuo vsus est, quo assiduitas sequendi significatur.

Hilce ego non paro me, &c.] Je ne tasche point les faire rire, ie ne leur appreste pas à rire, non studeo ridiculus illis esse, sed his arrideo. Aptissime assentatoris gestum exprimit. Est enim arridere, risu fauorem & benevolentiam suam erga aliquem testari. hac μετὰ γαῖος dissimile suum à ceteris parasitis exemplum indicat.

Ingenia

[Ingenia] mores, ἠθῆ.

Admiror] cum admiratione laudo.

Quicquid dicunt, laudo] scitè assentatoris studium describit, ysdem ferè notis quibus Theophrastus, τὸ κεφάλαιον inquit, τὸν κόλακὰ ἔτιμ θεάσαται πάντα ἢ λέγοντα καὶ πράττοντα οἷς χαλεπὰ ἵπολαμβάνει, Et Iuuenalis.

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat sermonem indocti, faciem deformis amici, Et longum inuvalidi collum cervicibus equat Hercules, Anteuum procul à tellure tenentis, Miratur vocem angustam, qua deterius nec ille sonat, quo mordetur gallina marito. Idem.

-Rides, maiore cachinno
Concutitur: flet si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet. Igniculum bruma si tempore poscas,
Accipit endromidem: si dixerit aestuo, sudat.

Negat quis, nego] si continuariua desideratur, ut sæpè apud Poetas. Martialis.

-Virgilius non ero marsus ero. Iuuenalis.

Graculus esuriens in calum iusseris ibit.

Hunc locum citat Cicero in Lælio.

Ait, aio] si quelcun dit ouy & moy aussi. Aio, pro- Aio. priè est affirmo, cui nego est contrarium. Verg.

-Sed reddere posse negabat.

Quandoque significat petentem repellere, refuser. Martialis.

si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego.

Postremo imperavi] in animum induxi, ie me suis deliberé, & resolu. Quæ fusius enumerata sunt summam, & vno verbo complectitur, quo de genere amplificandi

plificandi lege Erasmus.

Omnia assentari] *supple omnibus.*

Is quæstus] ἀβήκοις ad assentationis commendationem. Nam ex ea non tantum necessaria victui suppetunt sed præterea multa in lucrum seponuntur. corruptos hominum mores reprehendit.

Multò vberimus] copiosissimus. de grand gain & reuenu. Multò & huiusmodi ablatiui nonnunquam ut comparatiuis ita & superlatiuis sunt communes. Fabius. Declamandi ratio ut est ex omnibus nouissimè inuenta, ita & multò utilissima.

Scitum herclè hominem] Ironia, & accusatiuis nominatiui loco Græcorum more positus. Scitus qui sciens est & argutus. Vnde scitè Platonis interrogationes. Passiue quoque accipi potest, ut supra. Scitus puer natus est Pamphilo, id est elegans, quasi scitè & doctè natus. Ioli & beau.

Hic prorsus] breuiter indicat, quàm sit pernicio-
sa assentatio. Hac enim stulti dementantur. Cicero in Tusculan. Stultitiam censuerunt, inconstantiam sanitate vacantem.

Dum. Dum hæc loquimur] dum rem præsentem nondum perfectam significans, fatendi modo iungitur.

Macellum. Ad macellum vbi venimus] Forum cupedinis, inquit Varro, in quo cupedinarij negotiantur: sicut piscarium, olitorium, & suarium, in quo pisces, olera, & sues venduntur: Quæ omnia vnum in locum contracta, postquam edificatus est locus appellatur macellum. Ex macello viuere dicuntur, qui cupedijs emendis in diem viuunt. Est autem locus Parasito dignus.

Concurrunt, læti, &c.] Significanter vno verbo &

& multitudinem & studium cupidinariorum erga se expressit, & concurrunt ἐμπατικότερον quàm veniunt dixit.

Læti] hylares, ἐπιθυτικὸς studium erga se indicat. sunt enim qui perfunctoriè, & simulatè, non ex animo inuitant.

Cupedinarij] qui cupedia vendunt. Viuandiers. Cupedinarij.

Cætarij] Vendeurs de grands poissons de mer. Nam Cætarij. cæte sunt prægrandes pisces.

Lanij] qui & Laniones. Est amplificatio generis in Lanij. species, huj enim qui enumerantur, generali nomine cupidinarij appellantur.

Coci] vel coqui.

Coci.

Fartores] Farciseurs, patisiers.

Fartores.

Piscatores] qui recentes pisces captant. Cicero hunc Terentij locum citat libro primo de officijs. Minimequæ, inquit, artes hæc probanda, quæ ministræ sunt voluptatum, Cætarij, Lanij, Coci, Fartores, Piscatores, ut ait Terentius.

Piscatores.

Quibus & re salua & perdita] Re mea integra, patrimonio meo nondum dissipato. Et perdita, id est exhaustis facultatibus meis profueram, cum ære alieno cupedias compararem.

Et prosum sæpè] Causa benevolentiae parasitica.

Salutant] ab effectis honorem sibi à gula ministris habitum amplificat.

Ad cœnam vocant] Cœnam à coeundo deducunt quidam, alij à κοινός, & edendi communitate. Homo enim maximè societatem appetit. Olim vespèrna dicebatur. Nam Athenis maximè ad id diei, vbi iam vespèrauerat (ut Gellianus verbis vtar) cœnabatur. Vide eundem

eundem

eundem lib. xvii. cap. viii.

Aduentum gratulantur] *Aduentum pro aduentui Donatus esse putat. Sed accusatiuum huic verbo tribuit quoq; Cicero. in Verrem. Et voce, inquit, maxima victoriam gratulatur.*

Ille vbi miser] *Superba contemptio pauperis. Nam qui eget parui est pretij, inquit Plautus.*

Famelicus] *Famescens λιμῆρς, πεινᾶλέος. Af-famé.*

In tantum honorem] *Græca commutatio accusatiui pro ablatiuo. Ut notat Gellius. Cicero pro lege Manilia. Quum nostros portus, atque eos portus, quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis. Plautus quoq; in mentem fuit, pro in mente dixit. Contra, fieri ut ablatiuus loco accusatiui cum præpositione capiatur, vix vnquam reperias.*

Tam facile victum quærere] *duo coniunxit, quæ plurimi fiunt, & omni voto expetuntur, victum & honorem. Felix demum ille esse creditur, cui affatim suppetit victus, quiq; in honore est. Facile victum quærere. Gagner aisément sa vie.*

Ibi homo] *Hic probitate relicta, instituit parasiticam vanitatem sequi, adeo verum est quod dicitur, Pau-
Homo. periem bonis moribus inimicam esse. Hic, homo illum significat, de quo agitur. Cicero. Hominem P. Quintius deprehendit in publico.*

Vt sibi liceret discere] *Magister Venter omnes artes perdocet.*

Iussi] *superbè dictum.*

Sectari] *Vnde secta Philosophorum appellata, id est hæses, & instituta Philosophiæ circa disciplinam. Ut*
vult

vult seruius in xii. scencid.

Si pote] *supple fieri. Ridicula comparatio.*

Tanquam] *pro sicut. Plinius. Ut tanquam quem in Tanquam. victu frugum noscitur ratio, sic omnes qui istis gaudent, premia vite suæ calleant.*

Disciplinæ] *sectæ. Cicero. Doctus ex disciplina Stoicorum. Dicitur enim secta alijs nominibus disciplina, Secta. formula, dogma, decretum, familia physica, imitatio, sequela.*

Parasiti itidem] *Redditio comparationis. paulum à protasi aliena, hic enim de re: in apodoti de persona loquitur. Nisi disciplinam pro ipsis discipulis, ut iuuentutem pro iuuenibus accipi malis, ut docet Donatus. Porro apud Lucianum, Simon parasitus acutè ex artis definitione colligit parasiticam esse artem.*

Viden' otium & cibus] *moraliter. Duas assentandi causas recenset, quas impulsivas appellant, otium & cibum alienum. Hæc compendiaria via est quibus placet in otio aliena quadra vivere, cuiusmodi sunt ferè, quibus nec vllus quæstus est, nec artem didiscere vllam, & tamen ciborum lauticyis capiuntur. Itaque diuitum mensas sequuntur, ipsis assentantes, & ad ipsorum voluntatem loquuntur aguntq; omnia. Nec eos quicquam pudet suscipere, quamlibet dedecorosum, & improbum, modo ventrem expleant. Bembus Ossum pro Osse legit hoc loco.*

Sed ego cesso] *Parasceue ad congressum Parmenonis.*

Riuales] *ex his nominibus esse dicitur, quibus geminus est ablatiuus, riuale & riuali. Sunt autem riuales qui eandem amant. Plautus. Eadem est amica ambobus,*

ambobus, riuales sumus.

Salua res est. Salua res est] Coniectura à signis. seruus riualis est non domi, sed ante ostium & tristis, igitur non est admissus. Prouerbiū rem extra periculum esse significat.

Nimirum hīc homines frigent] Plurali ad irrisionem utitur. Sic Gallicè dicimus. ces gens icy sont bien froids. Il n'y font pas leur prouffit. Metaphora prouerbialis sumpta ex his, qui manibus ex frigore stupidis, nihil operari possunt. Frigere ad inanima relatum, significat remissum & neglectum esse, ut frigere rem & negotium dicimus. Ad homines verò lentè & contemptim quidpiam agere, ac sepe nihil efficere.

Nebulonem] Vanum & nihili hominem instar nebulae. baboin.

Ludere] gaudir, moquer.

Hic. Hic] vetustè pro hi. Nam ce τὰ ἀλλήλων duobus duntaxat pronomibus hic & ille iungitur, tantum in his casibus, qui per s. finiuntur.

Plurima salute, &c.] Irrisoria salutatio. Nam Parmenonem tanquam à Thaide absentem ridiculè salutat. Hac enim salutandi ratione ad absentes utimur.

Summum suum] amicum.

Impertit] ἐπιμειψί(ει. dicimus & impertiri deponentaliter. In Adelphis. sed cesso heram his malis impertiri.

Quid agitur?] familiaris inter amicos in congressu interrogatio.

Statur] seuerè illudenti respondet, & aptè quidem: stabat enim ad ostium Thaidis. Ie suis icy debout sans rien faire.

Te

Te] supple, video, quem nolim. Facetum & inexpectatum responsum.

Credo] approbantis verbum.

Quid dūm?] comment donq?

Nihil equidem] supple, sum tristis. Et nihil non significat.

Ne sis] tristis, supple.

Sed quid videtur] quid pro quale.

Non malum] Liptote inuitè laudantis.

Vro hominem] hoc ad spectatores. Ie lui fais grand despit. sueto. vrebant anxiam mentem varia vndique conuitia. Liuius. Finitimo bello vrebat. Hac Metaphora prouerbiali subinde utitur Plutarchus versum hunc citans:

Εὐρα ἀτόρ δάλοιο ἢ ὠμῶ γῆραι δῶκερ.

id est, Erasmo interprete,

Exurit sine torre grauiq, dat illa senectæ.

Ut fallus animi est.] Plantinum est, dicitur & fallus animo. Gall. O qu'il est abusé.

Quam hoc munus] Insultatio mordax.

Hoc nunc dices] Occupatio, cui prouerbiali sententia respondet.

Eiectos] grauiter, non repulso sed ciectos.

Hinc] à Thaide. Hoc] munere.

Omnium rerum] ἀπάντων ἐν ἑνὶ μεταβολῆ. Obliqua est comminatio & argumentum ab adiacentibus, rerum omnium est vicissitudo, igitur & nostras vices sumus habituri. Fertur in eam sententiam versiculus. τὰ δυντὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχῃ, id est varias vices obtinent res mortalium. Celebratur & hoc dictum κῶλυ & τὰ ἀνθρώπινα, id est circulus res mortalium sunt.

A

Vicissit

Vicissitudo] *alternatio & per vices mutatio.* μεταβολή, à nomine vicis ductum. Gall. chacune chose ha son tour.

Sex ego te] *insultatio Ironica de exclusione, cum amplificatione.*

Quietum reddam] *ie te mettray hors de peine. quasi sibi soli id beneficij acceptum sit referendum, & eius nomine habenda gratia.*

Sex menses] *exaggeratio à tempore, non dies paucos, sed menses: nec duos, tres'ue, sed sex, & hos proximè sequentes, & totos integros, sine vlla intermissione.*

Ne sursum deorsum.] *Amplificatio beneficij à contrario. Nam quiescere & cursitare sunt contraria. Et maioris fatigationis sursum & deorsum, quam in plano. Videtur alludere ad situm Athenarum, quæ in declivi colle extractæ erant, in cuius imo erat Piræus portus.*

Curfites] *ad heri mandata ad Thaidem perferenda. aptum ad fatigationis exaggerationem verbum.*

Ne'ue vsq; ad lucem] *Rursum exaggerat à tempore. quasi dicat, ne cursu diurno declassatus, insuper noctes, quibus quies omnibus datur, insomnes ducere cogaris. quod multo est molestissimum.*

Ecquid beo te?] *nunquid beatū & felicē te reddo?*

Men' papæ] *Ironia simili ac Gnato utitur.*

Sic soleo amicos] *supple, beare.*

Nusquam] *supple, profecturus eram.*

Paululum da mihi] *ratio extenuandi quod petitur. prens vn peu de peine pour moy.*

Ad illam] *apud illam, chez elle.*

Nunc

Nunc tibi] *quasi dicat, non tua causa, sed propter puelam quam ducis.*

Patent fores] *aperta sunt. Plautus. Ingredere tu, fores iandiu tibi patent.*

Sine biduum] *expecta, non permitte: neq; enim quisquam impedire possit, quin biduum pratereat. Varro. Sine is ad pubertatis annos perueniat. Tacita est in hoc verbo comminatio, quo & similiter nostro idiomate utimur. laisse passer ces deux iours.*

Qui mihi] *dativus abundans, Attico more.*

Vno digitulo] *Hæc diminutio non eleuandi, sed augendi vim habet, significat enim parasitum apud Thaidem tantum posse, vt pulsus minimi digiti audito, statim ipsi aperiat. Ad digitorum nomina hæc sunt μικροῦ & minimus. Huic proximus τωγάμεο & proximus minimo. Tertius μέσο & medius. Quartus λιχάρος à lingendo, Latine index. Quintus μέγας ἢ ἀντίχειρ. Anulare & auricularem non agnoscunt eruditi, vt scribit Ioach. Camera. in suis commentarijs vtriusque lingue. Indicem quoque Latini salutarem, medium, infamem & impudicum, & verpum appellant, proximum minimo, medicum.*

Digitorū nomina.

Fortunatus] *ita ferente fortuna, aut felix, & beatus. Vide Nani miscellanea. bien fortunè.*

Istas faxo] *vicem se Gnato repositurum minatur. Faxo, faciam, anomalum & deficiens verbum, & quod Quod. idicon desideratur.*

Insultabis] *pulsabis, Ab insilio frequentatiuum, quod Insulto. accusatiuo iunctum, sapius impetum facere significat. assaillir. cum dativo verò, per cauillationem ridere, vt sentit Seruius.*

A 2

Calci

Calx. Calcibus] pedibus σκωπόμενος. Est enim calx pes imus. le talon. Estq; hoc nomen ista significatione incerti generis. Persius.

In portam rigidos calces extendit. Verg.

Quadrupedemq; citum ferrata calce fatigat.

Pro cemento quo lapides in muris conglutinantur, fœminei tantum generis est. Ἄργα καὶ ἀκρότατα Græci appellant calces, & πτέρων calcaneum Unde πτόρῳεον & λαύῳεον calcitrare & calcem impingere.

Frustra. Frustra] quasi frustra dici volunt. Nam quod frustra fit, fraudat desiderium eius qui id facit. Et ut cludo pro claudio dictum est, ita frustra pro frustra.

Etiam nunc] Plantinum est. Gallicè t'arrestes tu encores ici, es tu encores ici. digrediens à Thaide hoc dicit.

Internuntius. Internuntius] qui ambarum partium mandata perfert. qui fait les messages entre deux parties. Cæsar. Internuntijs vltro citroq; missis.

Clam] in aduerbio est irrisio. quasi nemo à milite, nisi clam ad Thaidem ire non possit.

Facetè dictum] Ironia, id est eleganter & Urbanè. Voila bien rencontré.

Mira verò militi quæ placeant?] quæ militi placeant mira, id est miranda, & exquisita sint oportet, alioqui non placitura. & Verò Ironiam iuuat.

Herilem filium] In fabulis Græcis τρόφιμοι dicuntur, qui in Latinis heriles filij. μαμμόθρεπτοι delicatè enutriti. σιώτροφοι qui vna aluntur. ἀπότροφοι qui apud exteros aluntur. ὄρεοτροφοι in montibus alti, &c.

Piræus. Miror quid ex Piræo.] Piræus Atticæ portus est, qui contra incursiones prædonum custodiebatur. De eius

eius capacitate & ambitu scribit Strabo lib. VIII. Plinius lib. II. cap. LXXXVII. Mela lib. II. cap. III. Huc appellebant naues mercibus onustæ. Præterea coibant eodem adolescentes conuiuia acturi. Ut post indicat Antipho. Quare prouerbiū factum est τὸν περῳία μὴ κενώσῳεον ἄργον, id est Piræum non vehere vasa inania.

Nam ibi] causa admirationis.

Custos publicè] publicus, antimeria, id est publicè factus.

Et nunc] hoc tempore. Il est maintenant garde du port de par la Ville. Præesse publicè dixit Cicero, & socios publicè, simili phrasi.

Non temere est] supple, quod ex piræo abierit. ce n'est pas sans cause. Ut alibi. Non pot temere est, quod tu tam times. Est autem coniectura à signis. Deseruit præsidium publicè mandatum, & properans venit, igitur aliquid noui est.

Properans venit] alia coniectura à modi circumstantia.

Nescio quid circumspectat.] Tertia coniectura à gestu. Nam aptè gestum locuturi exponit.

ACTVS II. SCENA III.

CHAEREA adolescens. PARMENO.



Ccidi.

Nec virgo est vsquam: nec ego, qui illam è conspectu amisi meo.

Vbi quæram? vbi inuestigem? quem perconter? quam insistam viam?

Incertus sum: vna hæc spes est, vbi vbi est, diu celari non potest.

O faciem pulchram: deleo omnes dehinc ex animo mulieres.

Tædet harum quotidianarum formarum. P. ecce autem alterum,

Nescio quid de amore loquitur. C. H. Ô infortunatum senem.

P. Hic verò est, qui si amare occeperit, ludum iocumq;

Dices fuisse illum alterum, præut huius rabies quæ dabit.

C. H. Vt illum Diî, Deæq; senium perdant, qui me hodie remoratus est:

Meq; adeò qui resisterim: tum autem qui illum vel flocci fecerim.

Sed eccum Parmenonem. salue. P. quid tu es tristis? quid'ue es alacris?

Vnde is? C. ego nescio hercle, neq; vnde eam, neq; quorsum eam,

Ita prorsus oblitus sum mei.

P. Qui quæso? C. amo. P. hem. C. nunc te Parmeno ostendes, qui vir fies.

Scis te mihi sæpe pollicitum esse: Chærea, aliquid inueni

Modò quod ames: in ea re vtilitatem ego faciam vt cognoscas meam:

Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.

P. Age inepte. C. hoc hercle factum est. fac sis nunc promissa appareant,

Siue adeò digna res, vbi tu neruos intendas tuos:

Haud similis virgo est virginum nostrarum: quas
matres

matres student

Demissis humeris esse, vincto pectore, vt graciles fient.

Si qua est habitior paulò, pugilem esse aiunt: deducunt cibum:

Tametsi bona est natura, reddunt curatura iuueas.

Itaque ergo amantur. P. quid tua istæc? C. noua figura oris. P. papæ.

C. Color verus: corpus solidum, & succi plenum. P. anni? C. anni? sexdecim.

P. Flos ipse. C. hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario

Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modò.

P. Quid, virgo cuius est? C. nescio hercle. P. vnde est? C. tantundem. P. vbi habitat?

C. Ne id quidem. P. vbi vidisti? C. in via. P. qua ratione amisti? C. id equidem

Adueniens mecum stomachabar modò: neque

Quenquam ego esse hominem arbitror, cui magis bonæ

Felicitates omnes aduersæ fient.

P. Quid hoc est sceleris? C. perij. P. quid factum est? C. rogas?

Parris cognatum atq; æqualem Archidemidem

Nostin'? P. quid ni? C. H. is dum sequor hanc, fit mihi obuiam.

P. Incommodè hercle. C. imò enimvero infelicitè.

Nam incommoda alia sunt dicenda Parmeno.

Illum liquet mihi deierare his mensibus

Sex vel septem prorsum non vidisse proximis,

A 4 Nisi

Nisi nunc, cum minime opus fuit.
 Eho, non ne hoc monstri simile est? quid ais? p. maxumè.
 c. Continuo adcurrit ad me, quam longè quidem, Incuruus, tremulus, labijs demissis, gemens:
 Heus heus, tibi dico Chærea, inquit, restiti.
 Scin' quid ego te volebam? dic. cras est mihi iudicium. quid tum? vt diligenter nunties Patri, aduocatus manè mihi esse vt meminerit.
 Dum hæc dicit, abiit hora. rogo, nunquid velit. Rectè, inquit. abeo. cum huc respicio ad virginem, Illa sese interea commodum huc aduorterat In hanc nostram plateam. p. mirum ni hanc dicit, modò
 Huic quæ data est dono. c. huc cum aduenio, nulla erat.
 p. Comites secuti scilicet sunt virginem?
 c. Verum, parasitus cum ancilla. p. ipsa est scilicet.
 Desine: iam conclamatum est. c. alias res agis.
 p. istuc ago quidem. c. nostin' quæ sit? dic mihi: aut
 Vidistin'? p. vidi, noui, scio quò abducta sit.
 c. O Parmeno mi, nostin'? p. noui. c. scis vbi fiet?
 p. Huc deducta est ad Thaidem meretricem, ei dono data est.
 c. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc? p. miles Thrafo,
 Phædræ riuális. c. duras fratris partes prædicas.
 p. Imò enim si scias quod donum huic dono contra comparet,

Tum

Tum magis id dicas. c. quod nam quæso hercles? p. Eunuchum. c. illum ne obsecro
 Inhonestum hominem, quem mercatus est herè, feminem, mulierem?
 p. Istuc ipsum. c. homo quatietur certè cum dono foras.
 Sed istam Thaidem non sciui nobis vicinam. p. haud diu est.
 c. Perij, nunquam ne etiam me illam vidisse? eho- dum dic mihi:
 Est ne, vt fertur forma? p. sanè. c. ad nihil ad nostram hanc. p. alia res est.
 c. Obsecro hercle Parmeno, fac vt potiar. p. faciam sedulo, ac
 Dabo operam: adiuuabo. nunquid me aliud vis? c. quò nunc is? p. domum,
 Vt mancipia hæc, ita vt iussit frater deducam ad Thaidem.
 c. O fortunatum istum Eunuchum, qui quidem in hanc detur domum.
 p. Quid ita? c. rogitas? summa forma semper conseruam domi
 Videbit: colloquetur: aderit vnà in vnis ædibus:
 Cibum nonnunquam capiet cum ea: interdum propter dormiet.
 p. Quid si nunc tute fortunatus fias? c. qua re Parmeno?
 Responde. p. capias tu illius vestem. c. vestem? quid tum postea?
 p. Pro illo te ducam. c. audio. p. te esse illum dicam. c. intelligo.

A 5 P. Tu

- p. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:
- Cibum unà capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias.
- Quandoquidem illarum neque quisquam te novit, neque scit qui fies.
- Præterea forma, ætas ipsa est, facile ut pro Eunuchis probes.
- c. Dixti pulchrè: nunquam vidi melius consilium dari.
- Age, eamus intrò: nunc iam orna me: abduc, duc quantum potes.
- p. Quid agis? iocabar equidem. c. garris. p. perij, quid ego egi miser?
- Quò trudis? perculeris iam tu me? tibi equidem dico, mane.
- c. Eamus. p. pergin? c. certum est. p. vide ne nimium calidum hoc sit modo.
- c. Non est profectò: sine. p. at enim istæc in me cuditur faba: ah,
- Flagitium, facinus. c. an id flagitium est, si in domum meretriciam
- Deducar: & illis crucibus, quæ nos, nostramque adolescentiam
- Habent despiciatam, & quæ nos semper omnibus cruciant modis,
- Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
- An potius hæc pati? æquum est fieri, ut à me ludatur dolis.
- Quod qui rescierint, culpent: illud merito factum omnes

- omnes putent.
- p. Quid istuc? si certum est facere, facias: verum ne post conferas
- Culpam in me. c. non faciam. p. iubésne? c. iubeo, cogo, atque impero.
- p. Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. c. Dii vortant bene.

COMMENTARIA.

Cherea frater Phadria, virginem quam Gnatone deducente, sequutus erat ex Piræo in urbem, ob singularem ipsius pulchritudinem, propter quam in ipsius amorem exarserat, è conspectu suo amissam queritur. Deinde consilio Parmenonis sub Eunuchi habitu ad Thaidem deducitur, unde novus motus oritur in fabula.

Occidi] vox dolentis cum commotione quadam. In suis perdu. c'est fait de moy. à cado est compositum, ideo media breui profertur, & in supino occasum habet. à cædo vero, occisum: & media producta effertur. Est autem exordium querelæ hyperbolicum.

Neque virgo] ἀτιολογία querelæ, qua statim indicat causam cur accesserit & quid querat. Et nam aut similis vox causalis subauditur, ut aliàs sæpè.

Neque ego] supple usquam sum, syllepsis personarum.

Qui illam è conspectu] iam de suo amore spectatores docet, se perditum inquiens, dum illam non invenit.

Vbi quæram] interrogationes dubij animi & perplexi. Et commoratione per expolitionem synonymiæ usus est, ad ardorem inveniendæ puellæ significandum. At in verbis

Verbis quarere, inuestigem, percontari, est auxesis. Nam

Quarere. *quarere generale est ad omnem quarendi modum. In-*

Inuestigare. *uestigare, est per uestigia deprehendere. Cicero inuesti-*
gatum est quod latebat. Significat & indagare οὐθεν-
δοχνηῶς. Posteriori pro priori posito, ἰχνολατῆσαι. trans-
latione sumpta à Venantibus. Cicero. Incredibilis ad in-
 Percontari. *uestigandum canum sagacitas narium. Percunētari seu*
percontari est de aliquo sciscitari πυνδαίνειν. His tri-
bus verbis omnem quarendi diligentiam complexus est.

Quam insistam viam?] *qua via procedam & pro-*
grediar? Quel chemin tiendrāy ie? Cicero. Insistere vijs,
& ingredi, dixit pro eodem. sicut Fabius insistere alie-
nis uestigijs, & Luuius. Insistere uestigijs laudum sua-
rum. Virgilius. Insistere viam, & insistere uestigia
dixit, & Plautus. Omnes (inquit) itinera insistant sua.
Idem in Asinaria. Rectam instas viam, ea res est. Pro-
uerbiali figura dicitur, de ijs qui rem benè coniectant,
vt aberrare tota via. de his qui falluntur. Itaq; nihil mi-
rum, si vtroque modo hīc legatur quam insistam viam
& qua via.

Quam insistam viam] *difficultatem inuenienda*
Virginis auget. Qui enim fieri potest vt inueniat, qui
nec uestigia videt, quibus insistat, nec vllum habet
quem percunētetur, nedum viam ignorat qua sit ingre-
diendum?

Incertus sum] *le n'en scay rien. Cicero. De vxore,*
incertus sum etiam quid sim facturus.

Vna hæc spes est] *Idem Cicero. Spes tamen est vna,*
aliquando Populum Romanum maiorum similem fore.

Vbi vbi] *vbicunque. Plautus. Vbi vbi erit, inuenta*
mater ridimet.

Celari

Celari non potest] *quin inueniam.*

O faciem pulchram] *Faciem πρόσωπον appellat. O Facies.*
le beau personnage. Est enim facies non solum oris, sed
totius stature & habitus hominis. Est autem admirantis
exclamatio & προκαταρκτικὴ causa insequenda virgi-
nis, & quærendæ.

Deleo omnes] *accommoda sanè Metaphora à scri-*
bentibus, qui lituris inducunt, delentq; quæ minus pro-
bantur.

Mulieres] *aliàs. Je raye & efface d'icy en là toutes*
autres femmes, de mon cœur. Ex animis hominum infā-
miam iudicij delere, dixit Luuius.

Delere.

Quotidianarum] *communium, & vulgarium, quas*
quotidie videre licet.

Formarum] *pulchritudinum, vt forma bonum fra-*
gile est.

Ecce autem alterum] *minorem fratrem. Cicero de*
finibus. Ecce miserum hominem. Proprium in rebus im-
prouisis aduerbium. Virg.

Ecce cum ac-
 cusatiuo.

Ecce autem gemini à Tenedo.

O infortunatum senem] *Miserantis exclamatio.*

Hic verò est] *De Charca loquitur, & ab animi na-*
tura præstruit fidem futura deductioni ad Thaidem pro
Eunucho, significans ad omnia Chæream acriorem, &
rapidiorē maiore fratre: vt sit verisimile se in pericu-
lum ob amorem coniecisse. Hic verò est, sub. eiusmodi.
Nec me præterit Donatum ad superiora referre, vt sit
sensus: hic sanè est infortunatus. τὸ qui & prouocabulum,
& aduerbium esse potest, loco vt, vt alibi. Ego id agam,
mihī qui ne detur.

Ludum iocumq;] *hæc duo iuncta frequenter re-*
peris,

perias, cum quid ludicrum, scurrile, leueq; significamus.

Dices] *secunda pro qualibet.*

Illum alterum] *Phadriam.*

Præut] *Plautinum est à Terentio usurpatum. sicut præquam & præ quod. Hoc, inquit, pulchrum est, præquam ubi sumptus petunt. In Persa. Omnes res relictas habeo, præ quod tu velis. Et hic eo vel illo intelligi videtur, præ eo quod tu velis, ut in præut, ea vel illa. Idem. Nihil hercle hoc quidem præut alia dicam.*

Eo vel illo subauditum.

Præut] *supple, sunt illa quæ rabies huius Chærea dabit.*

Ut illum di deæq;] *Imprecatio indignantis.*

Senium] *Hyperbole per simplicem denominationem. Nam hominem supramodum senem senium appellat. Vide Eras. cop. xlv. cap.*

Qui me] *ὄλληψις per genera. Nam prouocabulum non ad vocem, sed ad rem significatam refertur. Hoc loquendi genus ætas quæ post doctos successit, synthefin appellauit.*

Meque adeo] *auxesis indignationis à sua persona.*

Qui illum vel flocci fecerim] *id est, qui vel tantuli ipsum fecerim, ut restiterim. Indicat ne flocci quidem illum facere debuisse, ut remanens desisteret à persequenda virgine. Est autem floccus particula lana à vellere euulsa inutilis, & nullius momenti. Vn flocc & bouton de laine. Sunt qui cum negatione legant, qui illum non floccifecerim. Sed Donatus hanc expungit. Vide castigationes Ruy.*

Quid tu es tristis, quid ue alacris] *interrogatio affectum ex vultu & festinatione deprehendentis.*

Vnde

Vnde is] *venis, more Græcorum.*

Ego nescio herculè] *Exordium orationis Chæreae per ἀποειπ, quo perturbationem animi sui significat. Et neque, verbiq; geminatio perturbationem auget. Deinde subditur propositio per obtestationem. Mox suasio à merito, & laude virginis, quam comparatione cæterarum virginum amplificat. Tandem breuiter concludit per repetitionem obtestationis.*

Ita prorsum] *Ita in comparatione, secundo loco positum sicut adeo, caret ut apostatico, quod apponeretur, si ita in priori parte sententiæ locaretur hoc modo. Ita sum oblitus mei, ut nesciam, neq; vnde eam, neque quorsum eam. sed huic posteriori modo, minor vis inesse videtur.*

Amo] *causa perturbationis. Et attende ingenium adolescentis acre ac vehemens, moræq; omnis impatiens. Vno verbo sine vlla circuitione profert.*

Nunc te Parmeno] *Propositio, cum obliqua obtestatione per prosopopeiam amplificata.*

Scis te mihi] *Ab honesto.*

Aliquid] *neutro genere ἐμπατικωτερός usus est quam fæminino.*

Modò] *tantummodo.*

Faciam ut cognoscas] *tersius quàm te cognoscere. id est, experieris, non obsequium, sed utilitatem meam.*

Cum in cellulam] *A merito. Loci, ubi sit pollicitus meminit, ut cum promissi commonefaciat. Cella, locus est adium secretior, ubi quæ ad victum pertinent, asseruantur. La despense, le gardemanger, la bouteillerie. à celando dicta autore serui. Cicero de senect. Semper enim boni assiduiq; domini referta cella vinaria, olearia, mel-laria, & penuraria est. Cellarius le despensier. Pr cellaria mulier*

mulier qua id muneris exequitur. Cellulam studiarum Budæus appellat, quam nos Gall. Vn estude.

Ad te] ante te. Suet. Ad pedes stare passus est.

Penum omne] omne dicit σινεδοχουός, aut per auxesin augendi meriti causa. Inflectitur autem hoc penum peni vetusto more Affranus. Vos quibus cordi est, intra tunicam manu leua, dextra in penum herile. Plaut. in Capti. Ego ibo ut senem conueniam, dicam ut sibi penum aliud ornet. Flectitur & hic penus peni, & per quartam dubie, hic vel hæc penus, us, & hoc modo frequentius. Aut per tertiam neutro genere penus penoris. Aut inflexile est, ut gelu. Est autem penus ut definit Cicero, omne quo vescuntur homines. & ut Plpianus, etiam quibus animalia nostro vsui apta nutriuntur. ut foenum, & frumenta. Sunt qui ligna, carbones, ceteraq; eiusmodi comprehendant. Toute provision de maison. Priscianus lib. v. Legit penum omnem. Ceterum qui differat penus à comœatu, scribit Valla. lib. IIII.

Congerebam] proprium verbum, & auxesi meriti aptum, id est, cumulate apponebam.

Clanculum] inscio patre. & hoc ad beneficij exaggerationem facit.

Age inepte] Puerile decorum seruat. Est enim pueris familiare Beneficium leue magnum ducere, idq; subinde exprobrare.

Hoc hercle factum est] id est, inueni quod amem, ut vult Donatus. Vel tu sanè id mihi es pollicitus. Vtroque modo accipi potest: sed prior arridet magis, quasi dicat. Venit tempus, quo amo. sic interpretatur Asconius Pedianus hunc locum.

Fac promissa appareant] Repetitio obrestationis qua
argum

argumentationis conclusio est. Tu pollicitus es. Itaque fac promissa appareant. Sed antecedens μιντινός & cum amplificatione recitauit, dicens quo loco, quibus verbis, & quomodo sit pollicitus. Sis, pro si vis comicum esse verbum alibi diximus. Hoc ferè solis imperatiuis subiunctum reperias. Huius pluralis vox est sultis, si Grammaticis credimus.

Siue adeo] siue si suspensiuæ est, alteram reddituam habet latentem in verbo sis, ut sit ordo Fac si vis: siue res adeo digna est, ubi tu nervos intendas tuos, ut promissa appareant. Aut siue abundat, ut annotat Donatus. Aut disiunctiuæ est pro copulatiua, ut sæpè alias. siue pro etiam & adeo valde significans, epitasin addet adiectiuo.

Vbi] in qua ἀντιπερίερα frequens.

Nervos intendas tuos] potest esse obscæna significatio, si secundam personam pro qualibet accipias. Nam nervus mentulam quandoque significat. Iuuenalis Satyr. x. de senum incommodis.

Nervos intendere.

-Nam coitus (inquit) iam longa obliuio, vel si Coneris iacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamuis tota palpetur nocte, iacebit.

Aut ubi intendas nervos, id est omnem vim, studium, industriam, conatumq; tuum ponas. Nam robur iuxta Philosophos in nervis est situm. Vnde nervosa dicimus que vegeta validaq; sunt & minime languentia. Cicero lib. episto. xv. Omnes nervos in eo contendas. Ad Q. fratrem. Sic contende omnibus nervis & facultatibus. Idem in Verrem actione III. In quo omnes nervos etatis industriaq; mea contenderem. Vide Eras. chiliad.

Haud similis virgo est] Amplificatio per compa-
B ratio

rationem industriae & naturae, & est locus à rei praestantia & dignitate, qui locus tum ad honestatem, tum ad utilitatem refertur. quasi dicat, nostrates Virgines cura matrum, & industria, fucatae & ascititiam habent pulchritudinem. Haec naturam, & nulla arte comparatam.

Student demissis humeris esse] ut longius collum, & rectior corporis status appareat. taschent quelles ayent
[Humeri. les espauls basses. Humeri autem in solo homine nominantur, in alijs animantibus armi. ὀστέον est qui humeros adducens cervicem contrahit, is verò insidiosus esse solet autore Aristotele: ut ὀστέον qui cervicem erigit dimissis humeris, in quo est significatio stoliditatis & leuitatis.

Vincto pectore] Matres enim etiamnum puellarum pectus fascia linea quatuor aut quinque digitos lata, ad Umbilicum vinciunt, ut sint graciliori corpore.

Vincto] astricto & ligato. serrees & estreintes par le faulx du corps.

Ut graciles sient] tenui corpore. à fin qu'elles ayent le corps menu & delié. Gracila à nominatio gracila legit Probus Grammaticus, ut Sallustius, imbecilla atas pro imbecilli dixit. Testatur etiam Nonius Marcellus gracila pro gracili dictum esse à Lucilio, satyrarum lib. VIIII. lege Riuu castigatio.

Si qua habitior paulò] supple ceteris, aut quam decet, autore Linacro, id est si qua est corpulentior, obesior, ac pinguior. S'il en y ha aucune qui soit quelque peu plus grasse & en bon point. Bene habiti dicuntur, qui lautè tractantur & accipiuntur. Plautus Corpulentior hercle atque habitior. Gellius. Equum nimis strigosum &

& malè habitum, sed eius equitem vberimum & habitissimum viderunt.

Pugilem esse aiunt] athletam. Latinis pugiles à pugnis dicuntur, qui Graecis πυγμαῖοι, quòd τῆ πυγμαῖα, id est, cestu pyctarum manus armarentur, ut aduersarium grauius ferirent. Erat omnino haec πυγμαχία virorum robustorum, & inter gymnicos agones periculosissima. vnde ἀθλητικὴ seu πυγμαχικὴ ἔξις Aristoteles appellat athleticam & pugilicam habitudinem.

Pugilem] pugili similem, ut alibi: Accipio tristis, id est tristi similis, de quo genere interpretandi, vide Linacrum.

Deducunt cibum] detrahunt, & subducunt ne pinguescant, nec sinunt eas ad satietatem edere.

Tametsi bona est natura] id est earum qualitas, & ut vulgò dicitur complexio corporis, bien qu'elles soient de complexion grosse, qu'elles soient grasses & en bon point. sic & Gallica phrasi dicimus, bonam perdicem & gallinam, id est prapinguem. Est enim bonitatis nonem ad omnia generale. Natura verò nomine, non solum ipsius rei substantia tota, sed qualitates insitae propriae, seu accidentariae comprehenduntur, ipsumq; adeo temperamentum.

Reddunt curatura iunceas] audiendum tamen. Redit autem ad multitudinis numerum, ut generalius loquatur.

Curatura] cultura, ac diligentia. Est autem studium & opera qua impenditur rebus curandis, & tractandis. Et mihi tantum ad animata pertinere videtur. Gallicè traitement. ut curatura equorum canum accipitrum, suum, gallinarum, &c. Et qui ipsis curandis praesunt,

sunt, curatores appellantur. Itaque curatura corporis est, cura animi: curatura animatorum, cura aliarum etiam rerum.

Iuncea] graciles instar iunci, qui ab imo ad summum gracilescit. Aliàs hoc nomen sicut cetera in eis, materiam significat. Ut iuncea cratis apud Plinium, & iuncea vincla apud Ovid.

Itaque ergo amantur] propter hanc cultu, & arte partam venustatem. Et ex duabus collectiuis altera superfluet, aut ἐπιπλεονέκως est accipiendum.

Quid tua istec?] supple, qualis est? Interrogatio occasionem præbens ad comparationis ἀνταπόδοσις, qua nativa pulchritudo ascititiæ opponitur.

Nova figura] minimè vulgaris & quotidiana, spectabilis, & admiranda, cuius similis antehac visa est nulla. μέγα ληπτικὸς Magna laus venustatis.

Figura] species, forma, & statura corporis. nouvelle beauté, nouvelle façon de visage.

Oris] os Latinis esse quod Græcis ὀρθώπου, iam à nobis dictum est.

Color verus.] ἐκὼν formæ virginis. Verus, nativus non effectus industria.

Corpus solidum] plenum, non macrum, nec fame extenuatum. Un corps plein & refait.

Et succi plenum] epexegetis. & pro id est. Succum plenum succulentum ἐγχεύου.

Anni] supple, quot sunt?

Anni sexdecim] subaudiendum sunt illi.

Flos ipse] supple, ætatis. Metaphora ab arboribus ἐν ἀνδρα ὄψιν ἀ ὄρας, primeuus à Marone dicitur, qui pubertatis annos est ingressus, tunc enim ἐν ἡλικίᾳ ὄρας esse dicitur.

dicitur. Ut annotat Camer. In suis commentarijs.

Hanc tu mihi] Epilogus per repetitionem postulationis.

Vel vi, vel clam, vel precario] his tribus modis aliena parantur, ac retinentur, idque aut ab inuitis, aut volentibus. Ab inuitis, vel vi aperta, vel clam, nimirum fraude furto'ue: & hi duo iniusti sunt quarendi modi. A volentibus verò, aut precibus aut pretio. Hi quoque duo posteriores, carent iniustitia. Licentque omnibus sine iniuria. At sub precario pretium comprehenditur. Si quidem cum pretio preces quoque intercedant necesse est frequenter, si quicquam ab obstinatis emptoribus emere cupias. Aut pretij non meminit Chærea, quod eo careat. Precarium dicitur quod precibus impetratur. Seneca. Quæ paret mihi olim precario. Significat & quod est momentaneum, & breue, ut precaria forma, apud Ovidium, Metamorph. l. x.

Quid fore te credis falsum qui versus in anguem

Arma aliena moves, quem forma precaria celat?

Tacitus animam precariam appellat quia ad tempus homini conceditur à Deo, cum placuerit repetenda. Unde precario concedere, & precario obtinere, verbum est Iurisperitorum.

Precario] par priere, ou par emprunt. Cicero pro Cæcinnæ. Docet ita se possedisse, ut nec vi nec clam, nec precario possederit.

Mea nihil refert, dum potiar modo] iure ne an iniuria. Amatoris affectum vehementem indicat. Et totum hoc spectat πρὸς τὸ πιθανόν, ut sit verisimile adolescentem ausum habitum Eunuchi induere, & in alienam domum deductum, virginem comprimere.

Quid virgo cuius est?] de conditione rogat, ut vult Donat. libera an serua.

Nescio hercle] oportuit eius conditio ignorari, differriq; ad finem epitaseos.

Tantundem] supple, scio.

Ne id quidem] rursus verbum audiendum, & observa iucundam orationis varietatem.

Qua ratione amisti?] amissa virginis causa superest docenda: sed Poeta tam artificiose omnia connectit, ut non quasita, sed fortuito oblata, & velut alia ex alijs nata videantur. Hic ratio, modum rei vel causam notat.

Id equidem adueniens mecum stomachabar modo] Donatus ob vel propter intelligi censet, tamen Cicero stomachor omnia dixit. Stomachabar, indignabar. Stomachus proprie est σόμα αὐ γαστρός os ventriculi, id est gula seu guttur, pro ira & indignatione μεταφορικῶς accipitur. Nam & stomachum facere & mouere dicimus.

Mecum] mihi ipsi, seu apud me. Je me despitoye de cela en moy mesme.

Neque] Qua ratione virginem amiserit dicturus, exorditur ab incusatione fortunæ per comparisonem.

Quenquam hominem] appellatiuum adiunxit exaggerationis causa.

Bonæ felicitates omnes] Bonæ, perpetuum est felicitatis epitheton, aut forte positius loco comparatiui: quasi velit dicere, se quidem antehac paruis & mediocribus felicitatibus usum fuisse, sed nunquam bonis illis & insignibus: quin illas sibi aduersas esse. Nisi malis hoc nomen Terentio μεσῶν esse. Nam alibi felicitatem

citatem aduersam dixit. Felicitatis nom. ἡδὴ in Habrai semper numero multitudinis vtuntur, quod tamen nunc singulariter nunc pluraliter interpretantur, pro sensus exigentia. τὸ omnes, epitasin addit.

Peri] videri, ut aptam rapido adolescenti orationem affectusq; tribuat? Est autem hoc verbum dolentis & indignantis.

Quid factum est] tibi. que t'ha on fait?

Parris cognatum.] Narratio qua occasionem amissæ virginis spectatores docet. Cognati sunt Latinis, sanguine coniuncti, quasi vna nati, parens.

Arque æqualem] eiusdem ætatis. compagnon & d'un mesme aage.

Quidni?] interrogatio affirmantis & quasi corripientis dubitantem in re manifesta.

Dum sequor] sequebar, Enallage temporis, quæ usitata est, cum rem exponendo, quasi sub oculos ponimus. Virgilius.

At regina graui iandudum saucia cura,
vulnus alit Venis, & cæco carpitur igni.
pro alebat.

Incommodè] non opportunè. mal à propos, mal à point.

Imo enimvero infeliciter] ἐπ' ἀπορρωσῶς ad ἀδύνατον.

Nam incommoda] ἀτιολογία correctionis. quasi dicat, alia minoris momenti incommoda sunt appellanda, non hoc magnum malum.

Illum liquet] Confirmat à Connexis, scilicet à tempore. Senex nunc venit ad me inopportuno tempore, cum

vollebam, nec mihi opus erat. Itaque infeliciter non incommode. Sed contentione antecedens amplificatur. Antea inquit, his septem mensibus hominem non videram, cum malluissem, essetq; opportunius, &c. pars contentionis integra non exprimitur, sed ex altera facile colligitur.

Liquet] aperte, scilicet sine vlla dubitatione. Ex foro tracta Metaphora. Nam iudices re concertata, cum quidpiam dubij adhuc superesset, sententiam iudicij differebant, dicebantq; sibi non liquere. Quod ne viderentur malignè & in gratiam alterius partis facere, iureiurando id affirmare cogebantur. Gellius lib. xiii. Et absoluerem, inquit, tamen inducere animum non quivi, & propterea iuravi non liquere, atque ita iudicatu illo solutus sum. Quare ei liquet iurare, cui conscientia mens est liquidoq; constat, sic se rem habere, ut affirmat. Sicuti iurare non liquet, rei de qua queritur, ignaro, ac dubitanti. Sic Gallico idiomate dicimus. Non liquet iurare. Je n'en auferoye pas iurer pour le seur. Itaque videtur esse μεταληψις, liquet mihi pro audeo. Audemus enim quæ aperta sunt certaq; nobis. Et illum, cum vidisse est astruendum à posteriori, & me accusatiuus à priori auditur. Deierat qui valde iurat. Abiurat qui iureiurando negat, peierat qui falsò iurat.

His mensibus sex vel, &c.] continuatū tempus per ablatiuum extulit, contra quam præcipiunt Grammatici. Plinius. Sub arctico vertice, nemo sex mensibus videt solem.

Nonne hoc monstri simile? nonne est infelicitas.

Sic

sic recto ductu concludi oportuit. Est enim conclusio argumentationis interrogatione & auxesi variata, quæ vim habet epiphonematis. Gallicè. est ce pas vne chose est vange?

Quid ais] à cunctante responsum extorquet. qu'en dis tu, que t'en semble?

Continuo accurrit ad me] à modo agendi exaggerat, quasi dicat. An non monstri simile. Acheronticum senem, qualis paulò post describitur, vires ad currendum habuisse, & quàm longe quidem? An non infelicitatis est maximè tantum roboris ad cursum fuisse, ut mihi formosissimæ virginis conspectum eriperet, & pro ea deformissimus senex occurreret?

Quàm longe] quàm, pro valde positiuo iunctum vides.

Incuruus] ἐπιτοῦπος odiosi senis, à statu, forma, & habitu corporis. quàm amplificat per διαλόγισμος, & imitationem loquela.

Incuruus] vietus, inflexus.

Tremulus] ob virium imbecillitatem. Ouid.

—Tremuloq; gradu venit agra senectus.

Labijs demissis] propendentibus deorsum. Les leures auallees & pendantes.

Gemens] tusiens. Gemere (ut vult Laurentius Vallæ) pectoris est, cum præ angustia in sonum prorumpit. ad inanima transfertur. Verg.

—Gemit sub pondere cymba.

Heus heus] aduerbij iteratio dissimulantem vocari se Chæream, nec resistere volentem significat. Ideo subdit.

B 5

Tibi

Tibi dico Chærea] odiose nominatur Chærea, ne i-
putet alium quempiam vocari.

Restiti] toties appellatus.

Scin', quid ego te volebam?] vide quam odiose mo-
ram trahat.

Cras est mihi iudicium] cras mea causa agitur.
J'ay demain une cause à plaider. Iterum senilis μαχρο-
λογία.

Quid tum?] accelerantis interrogatio. Et quis? quoniam
est il?

Vt diligenter nunties, &c.] repetendum volo.

Aduocatus esse vt meminerit] non vt sit, sed vt
esse meminerit. perinde ac si in odium Chærea sermonem
produceret.

Aduocatus. Aduocatus] σωμῳγοῦ πατρός. An comes & con-
sultor tantum? Nam quotquot ad causæ iudiciōne ope-
ram præstandam à litigatoribus aduocantur, ceu amici,
consultores, patroni, cognitores, pragmatici, testēsue fue-
rint, generali nomine aduocati appellantur. Nunc vero
aduocatum sapius eum dicimus, qui causas agit. qua si-
gnificatione vix apud Ciceronem ceterosq; illius seculi
scriptores reperias. Apud Quintilianum, Plinium &
posteriores sæpe. Asconius Pedianus in diuinationem Ci-
ceronis. Qui defendit, inquit, alterum in iudicio, aut pa-
tronus dicitur, si orator est: aut aduocatus, si aut ius
suggerit, aut præsentiam suam commodat amico: aut
procurator, si negotium suscipit: aut cognitor, si præsentis
causam nouit, & sic tuetur vt suam. Aduocatio σωμ-
γοία est comitatus eorum omnium, qui à reo vel actore
stant. tous ceux qui sont du conseil de la partie ou qui
font

font pour elle. Vt cognitores causa procurers. Pragm-
atici ac legulei, solciteurs & legistes. Oratores & pa-
troni aduocats. Testes aduocati tesmoins appellez & pro-
duits. Quos omnes cum rogamus ad consiliū, opemue
causæ nostræ ferēdam, σωμῳγοῦ ἢ σωμῳγοῦσθεω aduo-
care dicimur, & aduocationem facere, assembler son con-
seil. quod vulgò dicunt, facere consultationem. Lege
doctis. Budæ. in Pandect. At vt hic aduocatum pro co-
mite & consultore accipi velim, facit Atheniense insti-
tutum, quo vt annotatur ex Aristotele, singulis annis
publicè constituēbantur aduocati decem, quibus patrocini-
nandi, causasq; agendi munus mandabatur. ἡς, σωμῳγοῦ-
κῶν δραχμῶν id est, denarius merces aduocationis erat.
Quare pater Chærea aut ex decem viris erat, aut tan-
tum aduocabatur vt præsentiam suam Archidemi di co-
gnato accommodaret.

Nunquid vis?] σωμῳδοχῆ, id est, abire paro. Est
enim hæc abire volentium interrogatio civilis, qua vtur
tur in digressu. Gall. Vous plaist il me commander quel-
que chose?

Rectè, inquit] rursum idiotismus est abeuntium, &
videtur audiri infinitum valere aut agere. Fuit enim
olim hæc saluatio vsitata in digressu εὖ πράττειν, qua
optabant vt actiones ipsis rectè cederent. hæc saluatio
vtitur Aristoteles ad Philippum scribens, in fine episto-
læ τὰ δὲ ἄλλα, εὖ πράττει. Hæc quoq; Plato vtitur in
epistolis, sed in fronte.

Cum huc respicio] horsum, hanc partem versus.

Sese commodum huc aduorterat] Commodum
temporis aduerbium est ad quando redditum, id est in
ipso temporis articulo. Tantum, Cicero. Commodum disces-
seras

seras heri cum Trebatius venit. Idem. Commodum ad te miseram de meam, quum Eros ad me venit. Gall. sus ce point, à cest heure là mesme.

Aduorterat] deflexerat. elle ne faisoit que se tourner & entrer ici en nostre rue.

In hanc nostram plateam] ἐμπνεῖα aduerbij huc. Platea. Est autem platea via latior, huius vocis penultima variatur tametsi πλατεῖα Gracè scribatur.

Mirum ni] nimirum. Affirmatio agnoscentis puellam.

Comites secuti] Viden', vt omnia ex media consuetudine sumat! his quasi vestigijs perducitur ad puella notitiam. hoc tantum supererat scire, quod rogat, vt virginem agnosceret.

Scilicet] scire licet. c'est a sauoir, si elle auoit point de suite, ou de compaignie. Scilicet hoc loco & interrogandi, & affirmandi simul vim habet. Nam sic rogat, vt scire videatur quod querit. Vtq; indicet se puellam vidisse. Cicero. scilicet tibi grauiorem dolorem patruui tui mors attulit, quam Graccho fratris? sic & affirmando nostrate lingua rogamus. Je suis assure que vous aués esté plus marri de la mort de vostre oncle, que Gracchus de celle de son frere. Ita loquentes, expectamus rogati responsionem affirmatiuam vel negatiuam. Itaque subdit Cherea.

Verum] respondendi est aduerbium. ouy.

Ipsa est scilicet] certes, pour certain c'est elle.

Desine] hoc verbo vtimur, cum de re amplius doceri non sustinemus. cesse, n'en parle plus.

Iam conclamatum est] verbum desperationis à mortuis translatum. Nam aegroti, animam efflantes, ab vxore,

re, liberis, totaq; familia, nominatim inclamantur, festuq; omnia tunc domi perstrepunt. Virg. de Misceno loquens lib. v. i. Aeneid.

Ergo omnes magno circum clamore fremebant.

Corpusq; lauant frigentis & vnguunt.

Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt.

Lucanus conclamata vocat. Aut à ritu sepeliendi sumptum est. Nam mos prisca fuit priusquam rogo imponerent cadauera, nomen proprium inclamandi, amicis maxime & cognatis, qui ab exequijs discedentes, ad tumulum, nomine defuncti ter adito, ipsos vltimum saluantes, ter vale inclamabant. Quod etiamnum ferè Gallorum regibus sepeliendis obseruatur. Potest etiam non absurde, trahi à re militari. Nam in rebus accisis & desperatis, imperator fugam adornans, aut alio castra mouens, conclamari ad vasa iubet. Fait crier qu'on trouffe les hardes, qu'on serre bagage pour desloger, spe vincendi amissa. Id conclamari ad vasa dici solet. Aut à vulgari loquendi modo, quo in re certa & confessa, vtimur etiam gallica Metaphora. & tunc ad certitudinem notitiae virginis referetur. c'est assez crié, c'est elle. Quid si ad nutricum dictum alludat, infantem alloquentium μή σὺ δὲ, μή ἴβόα? Caterum ad vtriusus personam Cherea, & patris ipsius accommodari potest, quia dixerat. O infortunatum senem. Et si hic amare ceperit, ludum iocumq; dices, &c. Gallicè. c'est fait. Il n'y ha plus de remede.

Aliàs res agis] aliud agere dicitur, qui attentus ad id minus est, quo de agitur, animumq; & cogitationem alio abducit. qui pense ailleurs qu'à ce qu'on dit, qui fait des chateaux en espaigne. quasi dicat alio negotio occupa-

ris, non aduertis animum ad ea quæ dico.

Aliud agere. Istud ago quidem] id attendo, in hoc sum. Cicero 1. Tuscul. Sæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus: vt facile intelligi possit animum & videre & audire, non eas partes, quæ quasi fenestrae sunt animi sine quibus tamen sentire nihil queat mens nisi id agat & adsit. id est, nisi ad id sit intenta, & quasi presens. Nam & abesse, & peregrinari animum dicitur, aliud quàm quod sit ac dicitur cogitans. Significat & aliud agere quandoque operam perdere. Cum enim videmus nihil nos in re suscepta promouere, hanc deserentes, aliud agimus. Et ita forte illud Senecæ elegans dictum licet intelligere. Magna pars, inquit, vite elabitur malè agendo, maior nihil agendo, maxima aliud agendo. Sic enim videtur Hermolaus Barbarus interpretari, in quadam sua ad Phosphorum episcopum Signinum epistola, qui ad hanc sententiam haud dubie alludit de fabula quadam à se facta loquens. Si, inquit, laudatur, aliud agis: si damnatur, malè agis: si nec recipitur nec exploditur, nihil agis. Latomus sic exponit. Aliud agis, id est, decipis, nugaris, inuitus enim audit hoc adolescens. Sed perperam mea quidem sententia. Nam Chærea præter rem à seruo, Conclamatum est, di. Etum esse existimans, inscius quò hæc verba spectarent, ipsum increpat, tanquam non animaduertentem, quæ à se dicerentur.

Vidi, noui] vt toties interrogandi occasionem Chærea præcidat, mira syntomia vtitur, ne spectatori in re nota ad diem incutiatur. Et δυνάμιτος ad orationis celeritatem breuitatemque facit.

Parme

Parmeno mi noſtin'] interrogatio ob lætitiã inſperatã geſtientiſ.

Ad Thaidem meretricem] epithetiſ perſonarum conditionẽ exprimit, nec ſolum non rogatus indicat virgo vbi ſit, ſed etiam quare eò abduãta ſit. Et, inquit, dono data eſt. Videt enim prudenter Terentiuſ, non eſſe diutiuſ immorandum in hiſ, quæ iam ſunt cognita ſpectatori.

Quis iſ eſt t. p. cum] & conſequentibuſ colligit. donum eſt elegans & pretioſum. Igitur præpotentem eſſe oportet eum qui dedit. ſed admirationem, reſipit hæc interrogatio. Atqui attende vt monosyllaba voces aurem, velut graui iãtu ferientes, orationem tardam & cum pondere efficiant, quæ grauitas admirationi eſt accommodata.

Miles Thraſo, Phæd. Riualis] breuiſ notatio indicandi cauſa.

Duras fratris partes] Prouerbialiſ Metaphora difficultatem contentionis ſignificans, aut à certantibuſ, litigantibuſ ue ſumpta, aut à ſcenis. Quæ & Gallica lingua vtitur dicimus enim. Il ha forte partie. Sunt autem partes numero multitudinis factioneſ & ſtudia. Sunt & actionum ſcenicarum prima, aut ſecunda, aut tertia: Inde Donatuſ translationem ducit. Gall. ce que tu diſ, mon frere ioue vn faſcheux rolle, il ha forte partie.

Imo ſi ſcias] Imo pro quin coniuñctio eſt, & enim

ωαγέληαι. Plautuſ. Imo enim nemo ſatis pro merito gratiam regi refert. Paulo antè diſſit, imo enim uero infeliciter.

Quod donum huic dono] traduñctione vtitur ad munerum imparitatem ac differentiam iudicandam.

Nam

Imo.
Enim redun-
dans.

Nam hunc locum tractat per qualitatem comparati-
uam, vt annotauit Donat.

Huic dono] tam egregio.

Comparare.

Comparer] adornet, apparet, non emat, iam enim
emptus erat Eunuchus. Gall. Il appreste, il prochasse,
il fait prouision. aut adiungat, vt comparare labella
cum labellis dixit Plautus. Il veult mettre ensemble, il
veult assembler. Aut comparandum putet, il veult pa-
rangonner & accompagner.

Dicas] δουρτικός.

Id] refert precedentem sensum, duras fratris partes
esse.

Herclè.

Quæso herclè] herclè obtestantis non iurantis.

Eunuchum] hanc vocem clarè edit & solam: nam,
nomen est fabula, & inde deducendi Chærea pro eo con-
siliium est nasciturum.

Illúmne] supple parat, aut dicis?

Inhonestum] deformem, vt honesta qua pulchra
sunt dicimus.

Heri.

Herè] Herè, pro heri etate Quintiliani dictum, idem
lib. 1. cap. xii. scribit. Here, inquit, nunc e, litera ter-
minamus, At veterum Comitorum adhuc libris inue-
nio, heri ad me venit quòd idem in epistolis Augusti,
quas sua manu scripsit, aut emendauit, deprehenditur.
Iuuenalis Satyr. 111.

Res hodie minor est herè quàm fuit, atq; eadem cras

Deteret exiguis aliquid.

Hac cum scripsissem. Reperi id à Riuio ante me annota-
tum fuisse.

Senem mulierem] γέρωντα γυναικα, his conuitijs
& sepe apud Græcos infamantur Eunuchi. Nam γυνή

vt

vt Latinis mulier, non tantum sexum, sed huius etiam
infirmitatem & contemptum significat. Itaque τὸ mu-
lierem volunt quidam ἐπιθετικὸς factum esse vt illud
Homericum.

γυναικα τὸ δῆσοτο μαζόν,

Per probrum mulierem appellat, quod ipsi demessa sit
virilitas, id est effæminatum & mollem. Nam autore
Aristotele lib. 11. de Generatione. ob vitium corporis
Eunuchis non nascitur barba, sed perpetua est in illis
mollities: Senem verò, id est deformem rugis ac senio
fædum. Donatus hæc duo nomina subdistinguenta pu-
tat, vt sit gemina vituperatio, vna ab etate, altera à
membrorum mollitie. Equidem prius ἐπιθετικὸς accipi
malo, vt sit comparatio quadam, & auxesis ampli-
canda deformitatis causa: ac si diceret illum deformem
tanquam anus rugosa, qua nihil fædius. laid comme vne
vieille femme ridee. Mulieremq; vocat non tam à mol-
litie quàm quod vultu & voce mulierem referat. Quod

autem Eunuchi sint δξύφωνοι, id est acuta vocis, id aiunt Cur eunuchi
contingere διὰ τὸ λεπτόν τ' ἀνώμαλόν, id est, ex spi- δξύφωνοι.

ritus tenuitate. Cum enim propter ipsorum frigiditatem
magna sit superflui humoris abundantia, hæc crassior
vocis arteriam efficiens, angustat vocis meatum, quæ
causa est vt ipsis fæminisq; vox sit exilior. At viri ideo
sunt βαρύφωνοι, quod ipsorum calore, humorem super- φωνοι.
fluum desiccante, meatum arterie vocis habentes libe-
rum cum spiritu valeant, multum aëris incitare queunt:
qui cum sit confectus, multusq; tardè mouetur, ideoq;
vocem efficit grauiorem. Eadem quoq; causa fiunt ἐτρο-
πίαι ἀφίχες, id est glabri vt mulieres, sunt enim valde
humidi & redundantes, & ex frigore densa habent

Cur imberbes
eunuchi.

c cor poris

corporis spiramina, proinde pili exire non possunt. Vide Calium Antiquarum lect. lib. x. cap. LII.

Homo quatietur] Homo quasi contemptum significans, adicitur interdum, cum negatur cognatio & familiaritas, ut alibi. Tu homo adiges me ad insaniam.

Quatietur] ictibus extrudetur. rursus auxesis verbi est.

Cum dono] quo sibi ingressus favorem sperat fore, adeo ut quod concilianda gratia paravit, sit amittenda causa.

Sed istam Thaidem] tacita προκαταλέγουσιν qua spectatoris cogitationi occurrit. Minimè enim fieri posse videretur, ut Charea vicina Thaidi imponere posset. Est autem hæc altera & præcipua consilij deductionis occasio, ut adolescens nec cognitus, nec antea visus meretrici, pro Eunuchò deduceretur.

Haud diu est] supple, vicinam esse. χρώμα πρὸς τὸ πρῶτον.

Perij] dolentis virginem esse cum meretrice.

Nunquam ne] interrogatio alterius occupationis vim habens, necessaria quidem, tum ad verisimilitudinem, tum ad consilij occasionem iuvandam. Neque enim satis erat illam nescisse vicinam. Nam potuisset nihilominus Charea ab hac, aut hac ab illo visa esse: quod fallacia executionem impedisset. Itaque dicit neutrum ab altero visum fuisse unquam, cum ut auditori opinionem ἀδιδάκτως euellat, tum ut non questum deductionis consilium, sed oblatum videatur. Præterea videtur data opera ἀμοιβολίας affectasse, ut reciprocum sensum una sententia completeretur. Nunquam ne sub. putas, me illam vidisse, aut illam me? nam utroque modo accipi potest.

Ehod

Ehodum dic mihi] Formula μεταβασῑ apta.

Est ne ut fertur forma?] supple, tam honesta & eleganti? & rursus hac interrogatione inculcat Thaidem sibi ignotam, ut iuuet deductionis causam, puellamque forma bonitate ipsi præfert, ut digna suo iudicio videatur, ob quam tam audax facinus audeat adolens.

At nihil] supple, est aut facit.

Ad nostram hanc] ad, comparisonem notat. ce n'est rien au pris, ou en comparaison de la nostre.

Alia res est] longè diuersa res est. Non interponit suum in comparatione venustatis odiosa iudicium, ne alterius animum offenderet, alterius amoris causam labefactaret.

Obsecro hercle] Repetitio obtestationis.

Faciam sedulo, dabo operam, adiuuabo] peruersa auxesis decrescit enim oratio, & minora sunt sequentia promissa. Cum enim primo plus promiserit quam possit præstare, scilicet facturum se ut potiretur virgine, duobus sequentibus id correxit, rei difficultatem tacite indicans. sedulo, accuratè ἀδελως. de bon cœur, ou songneusement.

Ut mancipia hæc] Perpulchrè consilij viam pedentim sternit magna cum dissimulatione.

O fortunatum eunuchum] Exclamatio & προκατασκευάζει consilij.

Qui] pertinet ad formulam ἀτιολογικῆς.

In hanc detur domum] Præpositio transitum & mutationem notat, ideo accusatiuo iuncta est. Plant. Dabo te in caueam.

Summa forma] Amplificat Eunuchi felicitatem per σωμαδγοισμὸν voluptatum, quibus fruiturus est.

C 2 Summa

Summa forma] excellenti μεταφορα à rerum situ. Nam quæ summa sunt & suprema, præ cæteris eminent & excellunt.

Semper] à tempore.

Domi] à loco.

Conseruam] ab eadem conditione. Nam apud liberam minus auferet.

Videbit, colloquetur] Alludit ad quinque amoris gradus quas lineas appellant. Hi sunt: Visus, colloquium, osculum, tactus, & concubitus, quos scito admodum epigrammate Gallico complexus est Marotus noster.

Vna in vnis] ad vehementiam facit hæc traductio. **Vnum.** At hic moneantur pueri, vnum, hanc propriam habere observationem, quod in plurali, nominibus tantum pluralibus, quæ tamen pro singularibus intelliguntur, iungi solet: vt vna mania, pro vna vrbe: vna ædes, pro vna domo: vna partes, vna sacra, vna excidia.

Propter. Propter dormiet] prope. Cicero in Pisonem. Hic vir clarissimus, qui propter te sedet.

Quid si tu te fortunatus?] Propositio consilij, sed isodynamia, perinde ac si diceret. Quid si te pro illo ducam? Deinde viam aperit, quo id fiat modo. Tertio est velut quædam confirmatio ab vtili, per repetitionem μὴ μὴ τὴν voluptatum: quas Chærea tantopere extulit, qua cum adolescente iocatur, nec enim serio id consulit.

Quare] duæ sunt voces.

Capias tu, &c.] exponit consilium.

Vestem?] repetitio nondum intelligentis & quasi habitum eiusmodi deprecantis.

Audio] assensionem hoc verbum sicut & Græcis significat. Je m'y accorde, j'en suis content. Vt non audio, id est

est admitto quæ dicis, ἐν ἐπιλοῦ, ἐν ἠκούσα, sic & intelligo vsurpatur.

Tu illius] Ab vtili per repetitionem congeriei superioris Chærea.

Quibus illum dicebas modo] supple, fruiturum. syllepsis per modos.

Quandoquidem] A facili.

Præterea forma] quia ἀγένησθαι, facilitatē colligit ex circumstantijs personæ Chærea.

Ætas ipsa] quia ἀνὴρ & ἡ ἐφηβος impuber.

Est] tibi.

Vt pro eunuchis probes] supple te, id est demonstrates, quæ facilius tu feras à croire, quæ tu es Eunuchus, tu te monstreras estre Eunuchus.

Dixi pulchrè] bene, nam alterum pro altero translaticiōe ponitur. c'est bien dit. Olim proverby vice utebantur sed Ironice καλῶς ἐλέξας de re vehementer absurda. Plato pro proserbio commemorat, in Enthydemo. καλὰ δὲ πάντα λέγεις, vt autor est Eras. in Chiliad.

Intro] domum nostram.

Nunc iam orna me, &c.] prærapidum adolescentis ingenium, & amoris vehementiam hæc verba iudicant.

Nunc iam] tout maintenant.

Abduc, duc] sonus orationis & articulus, apprimè moræ impatienti conuenit, & hæc dicens, videtur impellere cunctantem.

Quid agis?] hunc trudebat Chærea.

Iocabar equidem] Pœnitet dati consilij.

Garris] vana loqueris. hoc verbum auuium est pro- Garrire. prium. tu ne fais que babiller.

Perculeris iam tu me?] percellere me perge: ne ces-

feras tu me poulser, mesbranler? Aut perculeris, euer-
tes me. me feras tu cheoir? me verferas tu par terre?
Potest & sine interrogatione legi. Est autem percellere
vi, & toto impetu euertere, & percutere. Virg.

Perculit & fulua moribundum extendit arena.
Elegans concertatio trahentis, & reluctantis his ver-
bis significatur.

Pergin'] interrogatio iam tandem cedentis.

Vide he nimium callidum] Dissuasio à periculo, &
prouerbialis Metaphora. Quae sunt enim nimium calida
vrunt si properè attingantur: ideo expectatur dum fri-
gescant. Sane, inquit Fabius Max. apud Liniu[m], temeri-
tas non solum stulta, verumetiam infelix plerumque est.
Graeci etiam ἄσφροδον ἔργον factum calidum, id est, pra-
ceps, inconsultum, & temerarium appellant. Sunt qui
callidum legant, respicientes ad id quod paulò superius
dixit Charea, Nunquam vidi melius consilium dari, ut
referatur ad nimis astutum consilium. Versutia quidem
sicut & temeritas non rarò in summum discrimen ad-
ducit. Sed prior lectio melior. Vide Erasmi Chilia.

Sine] laisse faire.

At enim] ἀνδυποροεικόρ est, ut Graecis Νὴ δία cum
ἀλλὰ aut ἢ, Prius Linius ad verbum fere, At her-
clè dicit.

Istæc in me cudetur faba] id est, tundetur, contere-
tur. Parcemia à rusticis in area fabas fuste tundētib[us],
aut à coquis, super quorum capita malè coctas fabas,
heri comminuunt, tanquam fabas vlciscentes non co-
quos: cum vniuersum interim malum ad ipsos coquos
perueniat. Gall. tout le mal me cherra dessus, j'en porte-
ray la penitence.

Flagit

Flagitium facimus] dissuasio ab iniusto. Est autem
flagitium peccatum flagris dignum. dictum nomen à
sono verberum & scuticarum per ὄνοματροποιᾶν.

An id flagitium est?] Refutatio à retaliandi iure per
comparationem.

Domum meretriciam] Argumentum à loco &
conditone persone.

Illis crucibus] ad numerum multitudinis orationem
deflexit, inuidia causa, nam totum meretricum ge-
nus insectatur. Est autem crux non solum patibulum
in quo fontes suffiguntur, sed quicquid etiam nos
cruciat. Vtitur autem auxesi dictionis ad indignita-
tem exaggerandam, cuius quoque vocis sonus & aspe-
ritas optimè irato conuenit.

Quæ nos nostramq[ue] adolescentiam] ἀείνωσις ab
atate. & in pronomine est emphasis, ac si diceret, nos
ingenuos & liberè educatos, simplices & incautos.

Habent despiciatam] periphrasis despiciunt. A spe-
cio composita nonnunquam genus & coniugationem
variant. Ut conspicio & conspicio, despicio & despicio,
suspicio & suspicio.

Et quæ nos cruciant] expositio per ἔτυμολογίαν.
Nam cruces appellauit.

Referam gratiam] nunc in malum sonat.

An potius hæc patit?] subaudi flagitium est? sic
enim distingo orationem. quasi diceret, imo potius est
flagitium hæc ab illis pati. Et hoc sensu hæc, accusa-
tium casus erit. Deinde citra interrogationem lego se-
quentia, æquum est fieri ut à me ludatur dolis, id
est, æquum est ut à me fallatur Thais. Licet etiam sic

c a ordines,

ordines, An potius equum est pati fieri, souffrir faire,
 ut hæc Thais à me ludatur dolis.

Aequum est] supple, pati fieri. Nam notat Donatus
 οὐδὲν ἴσην esse.

Quod qui rescierint culpenti? Anthypophora, qua
 occupationem aduersarij refellit simplici contradic-
 tione. Culpenti, præsens potentialis modi.

Illud inquit, &c.] omittitur imò.

Putent] putare debeant. & est ὁμοιοτέλεστος.

Ne conferas culpam in me] scilicet, si quid tibi
 ex ea re mali obtigerit, ne men charge pas apres.

Iubes nec] ad consilium reuocat.

Iubeo, cogo, atque impero.] Incrementum vrgen-
 tis. Videtur autem alludere ad priscum populi sistendi
 morem, qui à magistratibus in hæc verba rogabatur.
 Velitis, iubeatis'ue hoc sic fieri. Respondebat populus vo-
 lumus, iubemus atq; imperamus.

Nunquam defugiam auctoritatem tuam] Est &
 hoc Plautinum. Cicero. Attende quam ego non defu-
 giam auctoritatem consulatus mei. Perstat in allusio-
 ne superiori. Cum enim auctoritas magistratibus esset,
 populi: eis qui non parebat, minuta auctoritatis seu ma-
 iestatis, imminuti imperij, seu magistratus crimine te-
 nebatur: Ut contra qui parebat, conseruare auctori-
 tatem, maiestatem, & imperium populi Romani diceba-
 tur. Itaque cum Chærea imperiose verbis magistratum,
 populiq; solemnibus vsus esset, de more mandata publi-
 ca accipientium respondet: non defugiam auctoritatem
 tuam, non detrectabo, non recusabo imperium aut man-
 datum tuum, Je ne refuseray iamais obeir à vostre com-
 mand

mandement. Je ne desobeiray iamais en ce qu'il vous plai-
 ra me commander.

ACTVS III. SCENA I.

THRASO miles. GNATO. PARMENO.



MAGNAS verò agere gratias Thais
 mihi?

G. Ingenteis. TH. Ain' tu, læta est? G. non
 tam ipso quidem

Dono, quàm abs te datum esse: id verò seridò

Triumphat. P. huc prouiso, ut vbi tempus fiet,

Deducam. sed ecçum militem. T. est istuc datum

Profectò mihi, ut grata sint, quæ facio omnia.

G. Aduorti hercle animum. T. vel rex semper ma-
 ximas

Mihi agebat: quicquid feceram: alijs non item.

G. Labore alieno magnam partam gloriam

Verbis sæpe in se transmouet, qui habet salem

Quod in te est. T. habes. G. rex te ergo in oculis. T.

scilicet.

G. Gestire. T. verum credere omnem exercitum,

Consilia. G. mirum. T. tum sicubi eum facietas

Hominum, aut negoti si quando odium cepe-

rat,

Requiescere vbi volebat, quasi: nostin' G. scio:

Quasi vbi illam expueret miseriam ex animo. T. te-
 nes.

Tum me conuinam solum abducebat sibi. G. hui,

Regem elegantem narras. T. imò sic homo est

Perpaucorum hominum. G. N. imò nullorum arbi-
 tror,

G S Si

Si tecum viuit. τ. inuidere omnes mihi,
 Mordere clanculum: ego non flocci pendere:
 Illi inuidere miserè: verum vnus tamen
 Impensè, elephantis quem Indicis præfecerat:
 Is molestus magis est, Quæso, inquam Strato,
 Eône es ferox, quia habes imperium in belluas?
 c. Pulchrè mehercule dictum, & sapienter. papæ,
 Iugularas hominem. quid ille? τ. H. R. mucus ilico.
 g. Quidni esset? p. Dñi voftram fidem, hominem
 perditum,
 Miserumq; & illum sacrilegum, τ. quid illud Gna-
 to?

Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio,
 Nunquid tibi dixi? g. nunquam: sed narra obsecro,
 Plus milies iam audiui. τ. vnà in conuiuio
 Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus:
 Fortè habui scortum: cœpit ad id alludere,
 Et me irridere: quid ais, inquam, homo impudens?
 Lepus tute es, & pulpamentum quæris. g. ha ha he.
 τ. Quid est? g. facetè, lepidè, lautè, nihil supra.
 Tuum obsecrone hoc dictum erat? verus credidi.
 τ. Audieras? g. sæpe, & fertur in primis. τ. meum
 est.
 g. Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero.
 p. At te Dñi perdant. g. quid ille quæso? τ. H. R. per-
 ditus.

Risu omnes qui aderant emoriri. deniq;
 Metuebant omnes iam me. g. non iniuria.
 τ. Sed hem tu, purgón' ego me de istac Thaidi,
 Quòd eam me amare suspicatur? g. nihil minus:
 Imò magis auge suspicionem, τ. cur? g. rogas?
 Scin'

Scin' si quando illa mentionem Phædriæ
 Facit, aut si laudat, te vt malè vrat? τ. sentio.
 g. Id vt ne fiat, hæc res sola est remedio.
 Vbi nominabit Phædriam: tu Pamphilam
 Continuo, si quando illa dicet, Phædriam
 Intromittamus comessatum: tu, Pamphilam
 Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
 Illius formam: tu huius contra. denique
 Par pari referto, quod eam remordeat.
 τ. H. R. Si quidem me amaret, tum istuc prodesset
 Gnato.
 g. Quando illud, quod tu das expectat, atq; amat,
 Iandudum amat re: iandudum illi facile fit
 Quod doleat: metuet semper, quem ipsa nunc capit
 Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
 τ. H. R. Bene dixi, at mihi istuc non in mentem ve-
 nerat.
 g. Ridiculum. non enim cogitaras: cæterum
 Idem hoc tute melius quantò inuenisses Thraos?

COMMENTARIA.

*Hæc scena facetum vani, stultiq; militis & parasiti
 assentantis colloquium continet. Ille sua iactat facinora,
 hic omnia assentatur, sed mordaciter. At vt decorum
 in personis seruet, militi glorioso sermonem inconcinnum,
 & rudem, stolidoq; conuenientem: Parasito paulò orna-
 tiorem tribuit. Hic tandem militi consulit, quo pacto se
 gerat erga Thaidem.*

*Magnas verò] Latantis interrogatio. ex qua conij-
 cere licet, multa fuisse dicta inter personas, prius quam
 in scenam prodirent. τò verò videtur assertionem veri
 postu-*

postulare. Gall. donques pour vray Thais me remercioit elle fort?

Agere] agebat, ἡμελλὰ γὰρ modorum à Græcis sumpta.

Ingentes] Semper, inquit Cicero in Lelio, auget assentatio id quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Itaque cum magnas satis esset respondere, ingentes dixit. Nec, idem inquit, Parasitorum in comædys assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi.

Ain tu? Vix credentis ob gaudium, & aliquando admirantis est interrogatio dis tu?

Id verò serio triumphat] Militari verbo apud militem vitur, quasi dicat, more triumphantium lata est. Hac translatione frequenter Cicero usus est. Meum factum, inquit, probari abs te triumpho & gaudeo. Idem. Letaris tu in omnium gemitu & triumphas. Erat autem triumphus sollemnis pompa qua regrediens in urbem imperator, post partam victoriam magnificè excipiebatur, & curru aurato quatuor equis albis tracto, Laurea coronatus, præcedentibus senatoribus similiter coronatis, ad templum Iouis vehebatur, gratias pro victoria acturus, ubi mactabat victimas boues. Committabaturq; eum victor exercitus, & eo bello hostes capti ante currum agebantur, cum acclamatione lata & iocis scurrilibus, & dictarijs, quæ in triumphantem imperatorem iaciebant. Non dabatur hic honor cuilibet duci, sed ei tantum, qui supra viginti milia hostium iusto pralio vno, sine magna suorum iactura cecidisset. Fuit enim is numerus postea imperatoribus præscriptus, ad ipsorum moderandam ambitionem, ne quilibet dux ob leuem

Triumphus.

leuem victoriam eum sibi honorem postularer dari, tantosq; sumptus ambitiosè leui de causa faceret. Sed de iure triumphandi, vide Valer. lib. II. titul. III. Venit autem triumphi nomen à iambici carminis libertate, qua ludentes ducem milites utebantur. Primus apud Romanos Valer. Publicola, ex C O S S. dicitur triumphasse. Furius Camillus primus apud eosdem equis albis. Quod ipsi crimini datum est, diesq; ab Apuleio tribuno pleb. ob id dicta, à quo & damnatus est: propterea quod in eo Dijs immortalibus similis esse voluerit. Nam Iouem & Solem albis equis vehi fabulantur. Sed & Bacchum eo modo de India deuicta triumphasse ferunt. Caterum vestis triumphalis, erat ex purpura auro contexta, qua & picta toga, & palmata dicitur. hæc ex Capitolini Iouis templo triumphantibus dabatur, eò quòd Iouis tunicæ formam referret. Sed de apparatu, ordine, ceremonijsq; triumphorum lege Alexandrum ab Alexand. in dieb. Genial. Blondum lib. x. de Roma triumphante. Erat & minor triumphus, qui propter minorem victoriam dabatur, qui Ouatio dicebatur. cum dux victor in urbem equitabat albo equo ad templum vsque, exercitu suo victore comitatus, ubi victimas oues cedebat. Vnde etiam ouationis nomen venit. Hæc tametsi παραπρωτὸς ὄρα quibusdam æmulis videantur, libuit tamen annotare, quod ad notitiam antiquitatis faciant, & ad hanc loquendi translationem intelligendam conducant.

Id] auditur præpositio propter.

Serio] serium quasi sine risu dictum putat Rodolphus Agricola.

Est illic datum] id est, à Dijs concessum. ceci m'est donné

Ouatio.

donné & ottroyé spécialement. Laus sui ipsius à fato, & dono deorum. Argumentatio à genere ad speciem. Grata sunt quæ facio omnia. Igitur non mirum hoc mecum donum Thaidi gratum esse.

Aduerti hercle animum] *Je m'en suis bien appercu, ie m'en suis bien pris garde.*

Vel rex] *Probatio ab exemplo. τὸ vel pro etiam augmenti habet significationem.*

Alijs non item] *agebat gratias. {δύμω, id est, non similiter. non pas ainsi aux autres, non sic, non ita. quartum genus enallages. Cicero. Qui magis anguibus quam lacertis? quam muribus? quia sunt hæc quotidiana, angues non item.*

Labore alieno] *approbatio assentantis mordax.*

Verbis in se transmouet] *transfert. il s'attribue par son beau parler. significat illum plus verbis quam factis valere.*

Sales. Qui habet salem] *gratiam, leporem. Sales πλινθωσικὸς sunt Urbani ioci, dicta faceta, & mordacia. quod ijs sermo, tanquam cibus, sale conditur. In singulari quoque, sed rarius pro sapientia & Urbanitate accipi solet. Cicero de oratore 11. Utilitatem salis & Urbanitatis fateamur. Catullus citante etiam Fabio.*

Nam nulla venustas,

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Nomen à Græco ἄλς per litera s, transpositionem fieri videtur, quod ipsis est masculinum. & eum χάρτα appellant, quod insipida condit. Videtur autem huius nominis hæc pro sermonis lepore significatio à Græcis sumpta. Nam ipsis lepida dicta ἄλς appellantur Plutarchus in 5. Symposiacion κινδύων δὲσι γὰρ, inquit, οἱ ἄλς τ' ἄλ-

λωρ

λωρ ὁ φωρ ὁ φωρ εἶναι ἐν ἡδύσμα.

Quod in te est] *Sic legunt Donat. Seruius, Acron, No. Marcellus, Priscianus. Ut annotat Ruvius. & τὸ quod orationem integram forte refert, & est ἀμφιβολοῦ. quod scilicet habere salem, aut transferre verbis alieno labore partam gloriam, est in te. Putat Seruius à Græcis sumptum esse, qui nonnunquam masculino, aut feminino nomini, neutrum subiiciunt. Ut infra, atque hæc qui misit, non sibi soli postulat, & c.*

Rex te ergo in oculis] *aut ferre auditur, aut loco gestare legendum gestare. Nam in oculis ferre, & gestare dicimur quos observamus curæq; habemus. Aut esse infinitum intelligas licet. Si gestare pro cupere accipiat: ac si dixerit. Rex ergo cupiebat te in conspectu suo esse. Nam τὸ ὀφθαλμῶν, & τὸ ὀμμάτωρ, item ἐν ὀφθαλμοῖς dicitur, quod Latine ante oculos & in oculis esse, Id est, presentem esse: cui contrarium est ἄρ' ὀφθαλμῶν, pro abesse. In oculis esse, non tantum in conspectu,*

In oculis esse.

sed etiam in admiratione esse significat. Cicero Tuscul. 11. Te autem etsi in oculis sis multitudinis, tamen eius iudicio stare nolim. Idem de Aruspicum respon. ferebant in oculis hominem quidam boni viri, sed illius ve ego arbitror, furoris ignari. Et ad Q. fratrem. Balbum in oculis fero. Significat & conspicuum esse. In Verrem actione 111. Quod templum in oculis quotidianoq; aspectu P. Rom. est positum. Ad Atticum lib. 1111. Et interea me esse in oculis civium de me optimè meritorum. Sed ante oculos, est manifestum esse. Pro Cecinna. Non uti demonstraretur quod ante oculos est. Fortè in oculis esse, id est inter eos, qui speculabantur quid toto regno gereretur, quid vicini populi, quæq; urbium & provin-

ciarum

ciarum politia & administratio esset, ut ad regem referrent, quæ ipsius scire interesset. Alluditq; ad eos qui primarij erant apud Reges Persarum, quos ὀφθαλμοὺς βασιλέως, id est regis oculos appellabant. Oculis autem nihil est in corpore excellentius. Hi autem lustrabant omnia, & regis nomine procurabant. Quare princeps ceterorum maximus, cui secundum regem præcipua regni cura incumberebat, μέγας ὀφθαλμὸς, in Oedipo Tyranno appellatur. Fuisse autem apud Reges Persarum, qui ὠταὶ ἢ ὀφθαλμοὶ regis vocarentur scripsit Xenophon κύρου παιδείας VIII. κατεμάθομεν ἢ, inquit, ὡς ἢ τὸς βασιλέως καλεσμένους ὀφθαλμοὺς, ἢ τὰ ὠτα βασιλέως ἐκ ἄλλω ἐκλήσατο, ἢ (ἢ) δωρεῖσθαι τε ἢ τιμᾶν. τὸς γὰρ ἀπαλείψαντας ὅσα καιρὸς αὐτῶ ἐῖν περὶ αὐτῶν μεγάλως ἐνεργετῶν, πολλὰς ἐποιήσῃ ἀνδρώπης ὠτακῶν ἢ κατοπιῶν, τί ἄρ' ἀλείψαντες ὠφελήσονται βασιλέα. ὁ δὲ τότε δὴ ἢ πολλοὶ ἰσομύθησαν βασιλέως ὀφθαλμοὶ, ἢ πολλὰ ὠτα, &c. Id est interprete doctij. no Camerario. Comperimus etiam Cyrum, nulla alia re, quàm largiendo & honestando, parasse eos quos oculos vocant & aures regis. Nam magnis beneficijs ornans eos, qui opportunè nuntiassent, quæ scire ipsius interesset, perfecit, multi ut auscultando, speculandoq; colligerent ea, quorum nuntia commoda regis completerentur. Eam ob rem multi oculi, & aures multa regis haberi cepta, &c. Vide Commentaria eiusdem Camerarij.

Scilicet] priusquam sermonem absoluerit, interrumpit miles, quod stoliditatis est argumentum. Et callide in eo commoratur, quod militi gratum esse novit.

Gestire] latitiam gestum indicabat, latabatur te presentem esse.

Verum

Verum credere] pro Verumetiam.

Mirum] Ficta admiratio.

Sicubi] siquando.

Satietas ceperat] fastidium dicimus retrorsum per passium, sicubi satietate caperetur. s'il s'ennuyoit de compagnie.

Odiū] tadium. si daventure il se commençoit fâcher. Odium satietate gravius est, sine hac enim esse non potest, illa sine hoc esse potest.

Requiescere ubi volebat] expolitio à contrario: nam quem capit odium negotij, otij & quietis tenet desiderium.

Quasi] eclipsis stultitiam militis indicans, qui vult intelligi quid sibi velit, priusquam absoluat sententiam. Aut potius quia hesitat quid dicere debeat.

Quasi ubi illam expueret miseriam ex animo] militis sententiam absoluit, & Metaphora utitur, bardo milite digna.

Expueret] euomeret, eijceret.

Miseriam] fastidium. quant il se vouloit descharger de celle fâcherie. Expuere ex animo rationem dixit Lucretius, id est, reijcere, ἀποπιῶν. Præterea expuere sicut & composita cetera, despuere, & conspuere, in offensis, & indignationibus locū habet. solemus enim indignantes quibus irascimur vehementius, quæq; contemnimus, ea conspuere. Porro obseruatu dignū priscis, expuere inter amuleta fuisse habitū. Nam despuiebant comitalem morbum, ut significat Plaut. in Captiuis. Et illic (inquit) isti qui insputatur morbus interdum venit. Contra fascinoes despuere solebant, ut ait Cyclops apud Theocritum, ut annotat Camerarius in suis commentarijs.

Expuere rationem.

D

Conte

Conuiuiam solum abducebat sibi.] quasi dicat non solum in serijs, sed iocis etiam me comitem & socium adhibebat. At olim Athenis, sed ne Romæ quidem, pauciores quàm tres conuiuæ adhibebantur, iuxta Gratiarum numerum: nec plures quàm nouem, ob numerum Musarum. Multitudo enim rixosa est & turbulenta. Præterea superstitiosè à nonnullis creditur, si decimumtertium conuiuiam adiunxeris, aliquem ex eis intra annum moriturum. Quos verò secum inuocatos adducunt conui-

Umbra. uæ, Latinis Umbra appellari solent, Græcis ἐπιυδαντοι.

Hui] admirantis.

Regem elegantem, &c.] Ironica laudatio.

Imo sic homo est perpaucorum hominum] id est, perpaucorum familiaritate utitur. Il est ainsi homme de peu de compagnie.

Imo nullorum arbitror] hominum est, hoc ad spectatores summissè loquitur, auersus à milite.

Inuidere omnes mihi] Hellenismus, figuram historicam vocat seruius. Coniectura est à signo. Oportet enim felicem esse cui omnes inuident. Nam felicitatis comes est inuidia.

Mordere] obtrectabant. Iniquo dente mordere dixit Ouidius.

Clanculum] non apertè, quia sibi à me timebant.

Ego non flocci pendere] id est minus quàm floccum. Je ne m'en soucie pas d'un bouton.

Illi inuidere miserè] τρωτολογία inepto militi conueniens, ad ipsius infantiam indicandam.

Verum vnus tamen] τμητικῶς pro Veruntamen, et facta laudauit sua, nunc dicta.

Impensè] maximè inuidebat, supple.

Elephan

Elephantis indicis] quibus rex ad pugnam utebatur. India autem Elephantorum ferax est. De quorum natura & magnitudine scribit Plinius lib. viii. primis duodecim capitibus, & Arist. lib. viii. de historia animalium.

Molestus magis] mauult Terentius periphrasi comparatiui quàm illo uti.

Quæso inquam] Ridicula prosopopeia.

Ebone] ideo ne. Ferrox] arrogans, animosus ad vim faciendam. fier, glorieux, arrogant. Ferus qui ferinum habet animum.

Iugularas hominem] rursus militariter loquitur. Iugulare. Est autem iugulare σφάττεσθαι. cadere & interficere. Et proprium est verbum mactationi victimarum, quæ proprie Latinis mactantur, & iugulantur. Hoc est σφάττεσθαι. Transfertur ad refutationes vehementes, ut hoc loco. Iugularas hominem, id est euerteras, & mutam reddideras, non secus ac si esset iugulatus. Et nostro idiomate hac Metaphora sæpe utimur. couper la gorge. id est, omnem respondendi ac contradicendi materiam & rationem præcidere. Cicero in Verrem, sua confessione inducatur ac iuguletur necesse est.

Quid ille?] supple, respondit.

Mutus illico] obmutuit. Hyperbole superiore translationem explicans.

Di vestrâ fidem] exclamatio assentationis detestantis.

Hominem] Thrasonem intelligit.

Et illum] parasitum. potest etiam de altero tantum dici.

Tetigerim] pupugerim, stimularim, dilectis lacestuerim, comme je le piquay & gaudis.

In conuiuiis] cum multi adessent.

Plus millies audiui] laudat à celebritate. Hyperbole

le prouerbialis.

Rhodijs adolescentulus] *Diminutio ad militis stultitiam indicandam, quasi magnum sit adolescentulum imperitum & rerum expertem incessere.*

Scortum. Forte habui scortum] *suam fœditatem ipsemet pro-*
dit, quod non sani est hominis. Scortum corium est durissimum, unde penulam scorteam appellamus, vn manteau de cuir. Scortum etiam seu potius scrotum loculi sunt testium. Significat & meretricem, sed de utroque sexu dicitur, vt mancipium.

Quid ais inquam] *rursum ineptè ludenti, nec quicquam dicenti, quid ais dixit. Aut legendum quid agis? vt annotat Rinius.*

Lepus rute es & pulpamentum quæris.] *Prouerbi-um à Græcis sumptum δαούπης κρεῶν ἐπιιδυμῆ quod in eos iactatur, qui ea ab alijs requirunt, quibus domi abundant, aut in muliebria patientes. Molles enim & parum viros, Græci leporis vocabulo notare solent. Nam dasypus maris & fœmine vices gerere dicitur, scribit Flavius Vopiscus in Numeriano imperatore, adagium hoc Terentianum esse Livi Andronici, vetustissimi Romanorum comici. vt scribit Eras. in Chilia. Porro antiquitus credebatur leporina pulpæ esu formam conciliari, vnde Jocus Martialis in Gelliam,*

Si me non fallis, si verum lux mea dicis,

Edisti nunquam Gellia tu lepores.

Ha ha he] *risu dictum excipit.*

Quid est?] *Interrogatio laudari se cupientis.*

Facetè, lepidè, lautè] *Immodica laudatio. Est autem amplificatio per auxesin & subauditur dictu.*

Facetè] *eleganter. Lepidè] venustè, ornatè. Lepidus à lepore*

lepore est, lepos à lepus, vt scribit Priscia. lib. IIII.

Lautè] *splendidè. Alludit ad lautitiam ciborum parasiticus. Nihil supra] supp. est, vt vult Linacer.*

Tuum obsecrone] *Admirari simulantis.*

Dictum] *prouerbi-um, λόγος, παλαιὸς λόγος, vetus verbum, id est, prouerbi-um*

Vetus credidi] *esse. Antiquitas rebus addit auctoritatem.*

Audieras?] *latantis ob celebritatem dicti. hinc vides verissimum esse quod à Cicerone dicitur, blandam vanitatem istam assentandi apud eos valere, qui illam ipsi allecant, & inuitant.*

Sæpe] *vt supra, plus millies audiui.*

Et fertur in primis] *vulgò teritur, & iactatur. Et pro nam vel quia. Vergilius,*

Audieras & fama erat.

Meum est] *à me profectum, & inuentum.*

Dolet dictum] *dolet dictum esse.*

Adolescenti] *commiseratio illusoria ab ætate.*

Imprudenti] *ab habitu. Liberò] à conditione.*

At te Dii perdant] *imprecatio irati, ob impudentiam adulandi.*

Perditus] *fuit. Viden' vt in re leui, ineptè graui verbo vsus sit? vt supra mutus illico.*

Risu omnes qui aderant emoriri] *prouerbialis hyperbole, vt & diffluere risu pro vehementer ridere. Homerus Odyssæ Σ.*

- Ἄταρ μνηστῆρες ἀγαυοὶ

Χεῖρας ἀνασχόμενοι γέλω ἐκθανοῦ.

id est interprete Erasmo.

- Deinde procorum splendida turba.

Præ risu emoriens, nimio sustollit ad alta
Astramans. Vide eiusdem Chiliad.

De industria corruptum sermonem militi tribuit, ad in-
dicandam eius stultitiam. Tametsi morior olim quarta
coniugationis fuerit, Ouid. IIII. Metamor.

At trepidus mortemq; timens, cupidusq; moriri.

Deniq; metuebant omnes iam me] Ridiculè se
propter scommata timeri putat.

Sed heus tu] Consultatio ad ἀνομιλῶν futurae litis
inter militem & Thaidem, & preparatio ad epithasim
huius partis fabula.

Purgon' ego me] Propositio consultationis.

De istac] Virgine. Quod eam me amare] Am-
phibologia ex constructione.

Imo magis auge suspicionem] Consilium Gnatonis
ob quod miles excludetur. Id autem confirmat ab utili,
& amplificat varia parium collatione.

Scin' siquando] ἀτιολογία consilij ab interpretatio-
ne voluntatis Thaidis, qui locus est à destinatis: sed ora-
tionem variat, per mutationem figuræ.

Te ut malè] Valde vehementer. Vrat] aut Zelot-
ypia accendat, aut cruciet. pour te faire grand despit?

Hæc res sola est remedio] ab utili, & ferè à ne-
cessario, ac Metaphora à re medica.

Id ut ne fiat] Ut, otiosa est, aut ne pro non accipienda,
Græcum iam esse diximus ἰνα μὴ.

Vbi nominabit] Expolitio per partium collationem,
explicat enim quomodo augeat suspicionem.

Tu Pamphilam continud] nomina. Syllepsis modo-
rum & temporum. hunc locum citat Cicero lib. I. episto-
familiar. epsto. v x I. ad Lentulum.

Præ

Phædiam intromittamus] prosopopœia figurat ora-
tionem.

Cantatū prouocemus] latens subest motus, ideo su-
pino priori vititur. Alludit autem ad morē conuiuiorum.
Solebant enim conuiuæ τρωαδῆϊα] ἄζονομαυκίδω, id
est, nomatim prouocare, cui propinaturi erant, & Lyram
tradituri: cui accinebant breuia quadam & rotunda
carmina, quæ σὺδῶια appellabant.

Formam illius] Phædia. Huius] Pāphila formam.

Contra] vicissim supple lauda.

Deniq;] Colligit collationem parium.

Par pari referto] id est, vices reponito. Prouerbiū
natum ait Erasmus à computationibus Græcorum: qui-
bus inter propinandum. Vox erat ἴσος ἴσῳ. Nam equali-
bus cyathis bibere, moris erat: ut indicat Athenæus lib.
x. vnde postea ἴσος ἴσῳ ἐπιπέρευ dicebantur, qui parem
gratiam reponebant.

Mordeat] repungat. Remordet Serui. legit ut anno-
tat Rinius.

Si quidem me amaret] distinguit utilitatem con-
silij Gnatonis. Si me amaret, inquit, id prodesset, contra si
non amet, nihil etiam proderit. Sed hæc pars opposita, ex
priori satis intelligitur. Si quidem diuisæ sunt voces.

Quando illud] Confirmat priorem distinctionis par-
tem à contingentibus. Amat tua dona, igitur te amat.
Quando, pro quia. Illud quod tu das] tua dona. peri-
phrasis. Expectat] cupit, desiderat.

Iandudum] piece ha, qu'elle t'aime. intelligitur Itaq;
aut similis collectiua.

Facile fit quod doleat] amati. Il est aisé la courroucer.

Metuet semper] videtur tacita occupatio. diceret

D 4 miles,

miles, sed si fiat ipsi quod doleat, me deseret. imo metuet, ne alio te conferas, & rursus utilitatem tractat per consequentem.

Quem nunc capit fructum.] Metaphora ab agrorum prouentu.

Iraus] in epitheto causa est impulsiva.

Benedixti] Consensus approbantis.

Ridiculum] Reprehensio ad laudem spectans. Aduersando, ut inquit Cicero, assentatur & litigare simulans blanditur.

Non enim cogitaras] excusatio assentatoria.

Idem hoc] illud ipsum.

Quanto melius?] Comparationi vim addit interrogatio, supple inuenisses, si cogitasses.

ACTVS III. SCENA II.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATO. PYTHIAS ancilla.



Vdire vocem visa sum modo militis.
Atque eccum. salue mi Thraso. THR. &
Thais mea,
Meum snauium, quid agitur? ecquid
nos amas

De fidicina istac? P. quam venustè? quod dedit
Principium adueniens? TH. plurimum merito tuo.
G. Eamus ergo ad coenam: quid stas? P. hem alterum
Ex homine hunc natū dicas. TH. ubi vis: nō moror.
P. Adibo atq; adsimulabo, quasi nunc exeam.
Iturāne Thais quopiam es? TH. hem Parmeno,
Bene fecisti. hodie itura. P. quod? TH. quid: hunc non
vides?

P. Video,

P. Video, & me tædet: ubi vis, dona adsunt tibi
A Phædria. THR. quid stamus? cur non imus hinc?
P. Quæso hercle ut liceat (pace quod fiat tua)
Dare huic quæ volumus, conuenire, & colloqui.
THR. Perpulchra credo dona, haud nostris similia.
P. Res indicabit. heus, iubete istos foras
Exire, quos iussi, ocyus, procede tu huc.
Ex Aethiopia est vsque hæc. THR. hîc sunt tres
minæ.

G. Vix. P. ubi tu es Dore? accede huc. hem Eunuchum tibi,

Quam liberali facie? quam ætate integra?

THA. Ita me dij ament, honestus est. P. quid tu ais
Gnato?

Nunquid habes, quod contemnas? quid tu autem
Thraso?

Tacent: satis laudant. fac periculum in literis,

Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.

THR. Ego illum Eunuchum, si sit opus, vel sobrius.

P. Atq; hæc qui misit, non sibi soli postulat

Te viuere, & sua causa excludi cæteros:

Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas

Ostentat, neque tibi obstat, quod quidam facit:

Verum ubi molestum non erit, ubi tu voles:

Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.

THR. Apparet seruum hunc esse domini pauperis,

Miseriq; G. nam hercle nemo posset, sat scio,

Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.

P. Tace tu, quem ego esse infra infimos omneis
puto

D 5

Homines:

Homines: nam qui huic animum assentari indu-
xeris,

Et flamma te petere cibum posse arbitror.

THR. Iam ne imus? THA. hos prius introducarn, &
quæ volo

Simul imperabo: postea continuo exeo.

THR. Ego hinc abeo, tu istanc opperire. P. haud con-
uenit

Vna ire cum amica imperatorem in via.

THR. Quid tibi multa dicam? domini similis es.

P. Ha ha hæ. THR. Quid rides? G. istuc, quod dixi
modo:

Et illud de Rhodio dictum in mentem venit.

Sed Thais exit. THR. abi, præcurre vt sint domi

Parata. G. fiat. THA. diligenter Pythias

Fac cures, si Chremes huc fortè aduenerit,

Vt ores, primum vt maneat: si id non commodum
est.

Vt redeat: si id non poterit, ad me adducito.

P. Y. Ita faciam, THA. quid? quid aliud volui di-
cere?

Hem, curate istam diligenter virginem:

Domini aditis facite. THR. eamus. THA. vos me se-
quimini.

COMMENTARIA.

*Parmeno dona Phadria offert presente milite rivali,
qui ea contemnit, & eleuat, ac canillatur stolidè vt so-
let, applaudente Parasito.*

*Audire vocem visa sum] Visus sum videre, &
videre videor Græcis est δὸνᾶν, ἔδοντο ἀνδρῶν vt notat
Camera*

Camerarius.

*Meum suauium] hæc dicēs illam osculatur. At Græ-
ci osculum significantius appellant φιλία, quod &
amorem & suauium significat, vt scribit Nanus in Mi-
scella. Veteres solebant manus & oculos osculari, itemq;
caput & humeros, vt docet ex Homero Camerarius.*

*Ecquid nos amas de fidicina istac?] Statim de dono
meminit inciuiliter.*

*De fidicina] propter fidicinam. Cicero. Flebat pater
de filij morte. Idem. Regulus captus cum de captiuis
commutandis Romam missus esset.*

Quam venustè] dictum ἐρωεικῶς.

*Quod dedit principium adueniens?] Nam orsus
est ab exclamatione quadam tumida, & magna: quæ
serium aliquid secuturum promittebat, sed ex fulgore,
vt aiunt, dedit fumum. Deinde commemorationem ad-
dit beneficij, quod rusticanum est & inurbanum. Dare
principium, honesta loquutio.*

*Eamus ergo ad coenam] decorum parasiticum ser-
uat, cibi magis quam alterius rei meminit.*

En alterum] de parasito loquitur.

*Ex homine hunc natum dicas] Hæc summa est ar-
tis parasitica, ad alterius sensum & voluntatem non
modo loqui omnia, sed se etiam ad vultum atque natum
conuertere. Quare Plutarchus adulatorem speculo com-
parat, quod sicut aliorum imagines representat, ita assen-
tator non proprijs, sed alienis affectibus indulgeat. Non
dissimilis Chamæbeonti, qui admotus cuilibet colori, eius
similitudinem præterquam albi exhibet. Ita deteriora
quæq; iste probat, & sectatur: quæ recta & honesta
sunt nunquam. Sicut Clisophus Philippi Macedonis Pa-
rasitus.*

parasitus. claudum se fingeat, quod Philippus cruce frater
etiam haberet, ac etiam claudicaret. Et Charisophus Dio-
nysy parasitus, cum videret regem seorsum cum amicis
videntem, ipse procul etiam ridebat. Significat itaque
Gnatonem ita militis moribus subservire, ut ex eo natus
esse videatur.

Dicas] secunda pro qualibet.

Vbi vis] voles, ἡλλάξῃ Græca, præsens pro futuro,
Græci enim δρῶ pro δρᾶσω dicunt.

Non moror] non distineo, non sum in mora.

Hem Parmeno] deprehendentis ac latantis.

Bene fecisti] formula approbantis & gratulantis,
bene fecisti, an quod sis egressus foras, an quod me sis ab-
loquutus.

Hodie itura] sum quopiam.

Quid? hunc non vides?] Tacita correptio, quod rem
notam querat, Nam viso milite facile est conijcere quo
eat ipsa. Et hæc videtur summissè loqui.

Video, & me tædet] illum videre.

Dona adsunt tibi] hæc clarè dicuntur in odium
militis. Numero multitudinis utitur, ut hæc unico dono
opponantur.

A Phædria] Pro Phædria, amat sic loqui Terentius,
& ablativum cum præpositione loco genitivi usurpare.
Quod fieri solet, cum effectiorem, causam, & originem,
unde quidpiam ducitur significare volumus, & ad
questionem factam per unde responderemus. Dona ad
sunt tibi. Unde? à Phædria. Vir ex illustri familia. Mer-
cenarius à villa. in quibus ablativum in genitivum li-
ceat commutare, sed minus significanter propter ἀμφι-
βολίαν, quam parit nonnunquam is casus.

Quid

Quid stamus?] ab tadium rivalis nominati & mu-
nerum eius festinat abire.

Cur non imus?] iracundiã præ se fert interrogatio.

Quæso herclè] χαριωντισμός.

Pace quod fiat tua] Pacem pro gratia sumit sicut
Græci ἐρήνῃ. ut apud Lucam x i x. & Hebraei שלום
aut pace, nulla contentione, permissu tuo.

Dare huic quæ volumus] rursus dicit quod mili-
ti doleat, & donorum prius meminit, deinde ad minora
descendit.

Conuenire & colloqui] συνενεχῆς dictionis.

Perpulchra credo dona] Ironica extenuatio.

Haud nostris similia] stupidus miles, rivalis dona
suis postponit, priusquam viderit.

Res indicabit] modesta responsio.

Procede tu huc] Prius ancillam producit, ut à mi-
nori dono incipiat.

Ex Aethiopia] Commendatio muneris à patria, &
eius longinquitate.

Hic sunt tres minæ] supple expense, extenuatio ad
contemptum, tres minæ x x x. coronati.

Vix] aut plus aut minus semper dicit assentatio.

Hem Eunuchum tibi?] Vides demonstrandi aduer-
bia præter nominativum & accusativum, etiam dativus
iungi? Cicero pro Cluentio. Ecce tibi eiusmodi sortitio.
Idem. Ecce tibi qui rex populi Romani esse concupierit.
Terentius. Hem Dauum tibi?

Quam liberali facie] commendatio à venustate,
pulchritudine. Scribit Sex Pompo liberales interdum
dici, ingenua forma homines. Riviis hoc nomen potius
ad oris probitatem, & ad mores, quam ad corpus refe-
rendum

rendum censet: ut sit facies liberalis, pudorem, modestiam, ingeniumque liberale pra se ferens. Sed in Andria satis hac de re diximus.

Actas integra. Quam ætate integra] *Actas integra adolescentibus, est cum pubertatis annos primùm sunt ingressi: hi primani à Vergilio appellantur, qui sunt in flore atatis. Et Platoni de Republica ἀνδρῶνες ἢ ἑσπῆρα dicuntur.*

Ita me di ament] iurandi formula per ἀπὸ ἀπὸδοτοῦ in Veritate asserenda. Ita me di ament. Sub. Ut verum dico.

Honestus est] elegans, formosus.

Quod contempnas] possis contemnere, praesens potentialis.

Tacent, satis laudant] à signis coniecturale argumentum. Cicero id effinxit. Tacendo, inquit, loqui, non inficiando, confiteri videbantur.

Periculum. Fac periculum, &c.] *Commendatio à loco adiacentium per congeriem epanaphora exornatam. Facere periculum, est experiri. Nam id nomen ab antiquo verbo perior (à quo & peritus) experientiam significat. Unde Periclitari pro periculum facere deductum est. At pro discrimine, à pereundo dici videtur, à quo etiam periclitari significationem mutuatur.*

Palestra. Fac in palestra] *Palestra genus luctæ est, cuius qui sunt periti, palestrita nominantur. Et palestrici doctores, qui luctandi motus & numeros, rationemque docent. Præter hanc Athleticam alia quadam civilis est palestra, & liberalis, quæ ex numero civilium virtutum censetur, quæ motus flexusque corporis, decentiam ac venustatem docet. Cuius præceptores, qui gestus, motusque adolescentium formabant, palestrici quoque dicti. Qui*
enseigno

enseignoient es enfans bonnes façons & contenances. Et Epalestri, qui huius rudes erant & ignari. Itaque hanc ingenui pueri docebantur, & oratori in primis necessariam esse scribit Fabius. Lege Bud. in Pand.

In musicis] Cicero Tusculana 1. summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur & Epaminundas princeps meo iudicio Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur. Themistoclesque aliquot ante annos, cum in epulis recusasset Lyram, est habitus indoctior. Ergo in Græcia musici floruerunt, discabantque id omnes: nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. Musica autem tantum à veteribus tributum est, ut huius corruptione everti civitatum felicitatem statum putarent. Sed musica illa prisca, amplius annis 1100. non corrupta tantum, sed ignorata & extincta est. nihilque iam propemodum habere videtur, præter leuem aurium delectationem. Est autem musica à musis dicta, bonarum artium præsidibus: propterea liberales omnes disciplinas hoc nomen complectitur. Quare ἀμύσοι ineruditi Græcis appellantur. Et apud comicos qui literas se didicisse negant, aiunt se non didicisse musicam. De musices laudibus legito Quintil. lib. 1. cap. xv. Scire autem convenit, Musica, Dialectica, Rhetorica neutro genere cum dicuntur, præcepta illarum artium significari. Cicero. Dialecticis ne quidem imbutus es.

Quæ liberum scire] quæ omnia iam dicta, literis, palestram, & musica. Aut erit epanalepsis cum eclipsi pronominis & præpositione. Fac periculum supple in his, quæ liberum scire æquum est adolescentem. Ut sit ratio locupletandæ orationis à specie ad genus. Hinc vides cur artes ingenuæ & liberales appellentur, nimirum quod
his

his ingenii, quibus otium & res suppeteret incumbere-
rent. Nec ipsi sellularias & sordidas, quas Græci
ἀνελαιδέεις seu φαύλας ἐπισήμας appellant, licebat
exercere: sed eas solis seruis, libertinis, & aduenis per-
mittebant.

Solertem dabo] peritum & industrium. Solers à
solum (quod teste Pompeio totum prisca lingua significa-
bat) & arte dicitur, quasi totus artifex: sicut & sole-
mnis, quasi totius anni dies festus: et sollicitus, quasi totus
citus, & agitated, autore Rodolpho Agricola. Huic oppo-
nitur iners.

Ego illum Eunuchum] fœdè & libidinose dictum,
quo munus tacite laudans, sibi infamis libidinis notam
aspergit.

Vel sobrius] Eclipsis verecunda ad rem obscenam
significandam. Vel sobrius, non potus & ebrims. Et id
quidem tetrioris est libidinis. Nam incendit animum ni-
mia vis vini, & custodem pudoris verecundiam omnem
remouet. Propterea leuioris culpæ censetur, si quis ebrie-
tate peccarit.

Atque hæc qui misit] militem obliquè perstringit,
illumq; in odium Thaidis quoad potest trahit, memor
herilis præcepti, istum emulum quod poteris, ab ea pel-
lito.

Non sibi soli] Alludit ad Platonis dictum ἕκαστος
ἑμῶν ἔχ' αὐτῷ μόνον γέρονε, & in hanc sententiam
elegantè à Seneca dicitur. Alijs eum viuere oportere,
qui sibi viuere velit.

Neque pugnas narrat] Vanitatem militis gloriosi
notat, qui fœminæ pugnas narrat, quasi de illis se apud
illam commendatum iri existimans, cum sibi potius
odium

odium conciliet. Nam in primis omnis sui vitiosa iactatio
est, affertq; audientibus non fastidium modò, sed plerunq;
etiam odium. Ut ait Fabius lib. 11. cap. 1. Est autem hoc
loco exornatio per epanaphoram & ὁμοιοτέλετον.

Neque citatrices ostentat] Cicatrix vestigium est
vulneris obducti, vulnus læsio ipsa.

Neque tibi obstat] quo minus ex alijs amatoribus
lucrum facere liceat. ab incommodo trahit in odium, &
hunc locum urget ad id potentissimum: Scit enim me-
retrices lucri esse avidas.

Verùm vbi molestum non erit] dissimili exemplo
Phædræ rem amplificat, ipsi benevolentiam concilians,
& in eo commoratur, quod maximè commodaturum
intelligit.

Vbi tu voles,] expolitio per ἰσοδυναμίαν contrarij
cum epanaphora. Nam vbi molestum non erit, & vbi
voles, eandem sententiam notant. Neq; enim sunt molesta
nobis quæ volumus.

Vbi tempus erit] καιρός, opportunitas.

Apparet seruū hunc esse domini pauperis] Obli-
què suis diuitijs se præfert Phædræ. Est enim ipsius vi-
tuperatio à fortunæ, & τὸ pauperis ambiguum est ad-
iectiuum.

Nam hercle] Assentatio Gnatonis, & argumentum
ἀπὸ τ' πλάσου.

Qui pararet] vnde compararet, emeret, ποιῆσθαι ἴσ-
τα, & ἔειδοι, Græcis dicitur.

Infra omnes infimos] reponit vicem Parmeno. quasi
dicat non solum infra me es, sed etiam infra vilissimos,
& abiectissimos quosque. Alludit autem ad ordines &
classes ciuiles. Ouid. v. trist.

Non adeo cecidi, quamuis abiectus, ut infra
Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest. Linacer
hic infimos, superlativum pro absoluto esse putat, id au-
tem scribit fieri ubi absolutum eius non est nomen, ut
intimus supra, Tute scis post illa, quam intimum habeat te.

Nam qui] Ratio ab effectis. Ordo est. Nam arbitror te
qui animum induxeris assentari huic, posse petere cibum
è flamma.

Assentari huic] *emphasis est in pronomibus, &
exaggeratio à persona, quasi dicat, eiusmodi inepto &
stolido militi.*

È flamma te petere cibum.] *Proverbum est in Lur-
cones, quiduis cibi causa passuros facturosque. Explicat
proverbum Catullus in epigrammatis.*

Bononiensis rufa rufulum fallit,

Vxor Meneni, saepe quam in sepulchretis

Vidistis ipso carpere è rogo cœnam,

Cum deuolutum ex igne prosequens panem

À semiraso tonderetur vstore. Vide Eras. in Chiliad.
Fortè Gnatori famem obijcit, ob quam explendam para-
tus sit ex media flamma cibum quantumvis calidum au-
ferre. simile est huic per flammam currere. Cicer. lib. 11.
Tuscul. Quid de cupiditate bonorum loquar? quæ flam-
ma est, per quam non cucurrerint ij, qui hæc olim pun-
ctus singulis colligebant? Et Horat.

—Per saxa per ignes

Pauperiem fugiens.

Haud conuenit] *indecorum est. Approbatio illusoria,
à loci & personæ circumstantia. Amica cum] ἀναστροφῆ.*

Imperatorem] *veteres, illos tantum quorum ductu &
auspicio bellum gerebatur, sub quibus hostium decem millia*

vno

vno praelio cecidissent, imperatoris nomine dignos esse cen-
suerunt. ut scribit Alex. dierum genial. lib. 1. cap. 11.

Quid tibi multa dicam?] *Ridicule, quasi multa di-
xerit.*

In mentem venit] *μέλει μοι τούτου, καὶ περὶ τούτου δι-
cunt Græci, ut scribit Bud. in Comment. Græca lingua.*

Parata omnia] *τὸ omnia reijcit Riuus, & ἐθελήσῃ
ἀθικῆ Donatus esse ait, quæ plus vultu quam verbis si-
gnificatur, & versus sine illo probè constat.*

Diligenter Pythias] *hæc mandat ancilla Thais egre-
diens, & est parasceue ad sequentem scenam.*

Si id non commodum est] *si nolit, supple manere. Commodum
Nam commodum esse pro velle, olim dicebatur, autore esse.
Asconio Pediano. ut Terentius alibi. Dabitur à me argen-
tum cum erit commodum. Cicero. Aut eum iudicem quem
commodum erat.*

Si id non poterit] *redire, & nota Poeta copiam.*

Quid? quid volui dicere?] *Repetitio quærentis &
cogitanda. & more mulierum facit, quæ semper habent
quod imperent.*

Hem] *Reminiscentis.*

Domi assitis] *manete domi.*

ACTVS III. SCENA III.

CHREMES adolescens. PYTHIAS.



ROFECTO quanto magis magisque
cogito,

Nimirum dabit hæc Thais mihi ma-
gnum malum:

Ita me video ab ea astute labefactarier.

Iam tum cum primum iussit me ad se accersier,

E 2

(Roget

(Roget quis, quid tibi cum illa & ne noram quidem)
 Vbi veni, causam, ut ibi manerem, repperit:
 Ait rem diuinam fecisse, & rem seriam
 Velle agere mecum: iam tum erat suspicio,
 Dolo malo hæc fieri omnia: ipsa accumbere
 Mecum: mihi sese dare: sermonem quærere.
 Vbi friget, huc euasit, quam pridem pater
 Mihi & mater mortui essent: dico iam diu.
 Rus Sunij ecquod habeam, & quam longè à mari.
 Credo ei placere hoc: sperat se à me auellere.
 Postremò, ecqua in die parua perisset soror:
 Ecquis cum ea vnà: quid habuisset, quum perijt:
 Ecquis eam posset noscere. hæc cur quæritet?
 Nisi illa fortè quæ olim perijt paruula
 Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
 Verùm ea si viuít, annos nata est sedecim,
 Non maior: Thais ego quam sum, maiuscula est.
 Misit porrò orare, ut venirem serió.
 Aut dicat quod vult, aut molesta ne fiet:
 Non hercle veniam tertió. heus heus. p. hinc quis est?
 c. Ego sum Chremes. p. ô capitulum lepidissimum,
 c. Dico ego mihi insidias fieri. p. Thais maximo
 Te orabat opere, ut cras redires. c. rus eo.
 p. Fac amabò. c. non possum, inquam. p. at apud nos
 hinc mane,
 Dum redeat ipsa. c. nihil minus. p. cur mi Chremes?
 c. Malam in rem abi hinc. p. si istuc ita est certū tibi,
 Amabò ut illuc transeas, ubi illa est. c. eo.
 p. Abi Dorias, cito hunc deduce ad militem.

C O M M E N T A R I A.

*Chremes rusticus adolescens sibi à Thaide metuit, pri-
 mum*

*num ne se amatorem captet. Deinde ne rus quod habet
 sunij subducere tentet. Aut ne velit se sororem, quam
 olim paruulam amiserat, intendere. Et cuncta, ut suspi-
 cax est, malignè interpretatur. Tandem ducitur ad
 Thaidem. Vnde oritur occasio ἐπιτάσεως & litis, inter
 militem & meretricem. Huius adolescentis sermo mul-
 ta habet ἀνακόλουτα, ut eius rusticitatem agnoscas. Por-
 rò hunc ab amore meretricio abhorrentem facit, ut ne
 tot amatorum in fabula numerus spectatori tedium pa-
 riat. Videtur autem oratio generis iudicialis, & status
 coniectura. An ipsum Thais captare velit. A proposi-
 tione, statim exorditur, deinde narrat ea quæ cum Thai-
 de egerit: Vnde fraudis multas coniecturas sumit. Ter-
 tiò refutat ea quæ magis ipse metuebat. Tandem abru-
 ptè & rusticè quidem more iratorum, concludit per
 quandam complexionem.*

*Profectò quantò magis magisq;] geminatur ad-
 uerbiū ad epitafin. Gallicè, de plus en plus, Cicero. Quo-
 tidie magis magisq;] perditī homines, tectis ac templis
 vr̄bis minabantur.*

*Nimirum] id est, mirum est ni det mihi hac Thais
 magnum malum. ce sera bien grand cas, ce sera bien de
 merueille, si elle ne me fait vn mauuais tour. Donatus
 audit, inuenio aut intelligo. Est autem propositio insti-
 tuta orationis.*

Hæc] contemptum notat.

*Ita me video.] Ratio est ab effectis, & ut intelli-
 gitur, ut sit sicuti video & intelligo.*

*Ab ea asturè labefactarier] Ab agris Metaphora.
 Est enim labes agrorū proprie, cum terræ motu, aut qua-
 nis alia ratione subsident in hyatum: Vnde figuratè pro*

ruina, dedecore, & macula sumitur. Et labefactare, la-
be inficere, concutere & ruere. Gallicè, ainsi que ie vois
elle tasche finement m'esbranler, & faire choir, me
faire trebucher.

Iam cum cum primùm] Narratio plena suspitionū,
quibus propositionem munit & confirmat.

Roget quis] Interpositio subiectione figurata ad au-
gendam suspitionem.

Roget] rogare possit.

Ne noram quidem] Plus intulit quàm rogaretur.
Nam inde sequitur, nullum sibi cum illa esse negotium.
Hinc primum coniecturale argumentum ducit à remo-
tione: Non accersunt me, ob vllum quod mihi cum illa
esset negotium, igitur, vt me captet. Antecedens simpli-
ci conclusione à loco antecedentium confirmat. Ne mo-
ram quidem illam. Nihil itaq; mihi cum illa erat negotij.

Causam vt ibi manerem reperit] id est occasionem.
elle trouua moyen que ie demourasse.

Ait rem diuinam fecisse] θυσιὰν ποιῆσαι sacrificasse.
Prisci, nihil serium aggrediebantur, quin Dijs prius sa-
cra fecissent. At facere rem diuinam dicitur tam sacri-
ficijs quàm qui eam fieri curat.

Iam cum] in epanalepsi est positum post interiecta
multa.

Erat suspicio] periphrasis verbi suspicabar.

Dolo malo] dolus sicut & Græcis δόλος & μέσος est
verbum, Nam ἀγαθὸς καὶ κακὸς dicitur. Prior pru-
dentiam & cautionem significat. Alter imposturam, &
calliditatem ad alterum circumueniendum. Priori uti-
tur medicus, cum ægrotum fallit, & nutrix cum pueru-
lum salutis causa. Vel cum hosti latronique imponimus.

Accum

Accumbere mecū] ἀβιδεβαν. Solebant diuites in ex-
edris & cœnaculis lectulos ad recumbendum & me-
ridiandum accommodatos habere, in quibus confabu-
larentur.

Mihi sese dare] à signis suspicatur se ad amandum
allici, quæ prima est Chremetis suspicio. Sese cuipiã da-
re, est se offerre, & quasi sui ipsius potestatem facere. se
presenter à quelcun & se offrir lui faire plaisir &
seruice.

Sermonem quærere] similiter desinens, ad rustici
sermonis decorum. Sermonē quærimus, cum nihil est am-
plius quod dicamus. quant nous sommes hors de propos,
& cherchons que dire.

Vbi friget] quærendo sermonem deficit, quant pro-
pos lui failloit, Aut vbi nihil promouet. Nam res frigere
proverbialiter dicitur cum lentè ac remissè agitur, nec
perducitur ad optatum finem: cumq; ijs, qui gratiam &
fauorem sperant, ea in diuersum exit. Nam frigus La-
tinis, sicut Ψυχρόν Græcis, euentum, incommodum, &
insperatum significat. Cicero ad Quint. fratrem. Quum
Appius senatum infrequentem coegisset, tantum fuit
frigus, vt populi conuictio nos coactius sit dimittere. Me-
taphora videtur à metallis sumi, ex quibus nil, nisi ca-
lidis efficias.

Huc euasit] alia translatio à viatoribus, vt supra,
istuc ibam, id est, id eram dicturus. Est autem eclipsis
sensus (vt rogaret) in hunc sensum, huc euasit, vt ro-
garet, &c.

Quampridem pater mihi, &c.] Variatio elegans,
primitiuum pro deriuato, vt cum dicimus: Quæ tibi con-
iux est, mihi est nouerca. pro tua & mea.

Mortui essent] οὐλλησις generum Grammatica.

Dico] respondeo. genus pro specie.

Iandiu] supple, mortuos esse.

Rus Sunij] de Sunio meminit, quia inde à piratis rapta Chremetis sororem dictum est. Rus hinc villam rusticam videtur significare.

Et quàm longe à mari] supple, distans.

Credo ei placere] secunda Chremetis suspicio.

A me auellere] auulsuram. Nam praesens pro futuro positum maximè in infinitis, frequenter reperias, tam actiuè quàm passiuè. Verg.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci Audierat.

id est ducendum esse.

Ecquis cum ea vna] periisset.

Quid habuisset cum perijt] Aut de ætate rogit, aut de insignibus quæ gestabat, quibus tandem agnita est puella. cuiusmodi erant milli odorati, quibus circumdabant collum, fibulae, torques, bulae, monilia, brachialia, annuli, ceteraq; γυναισμορτα ἢ σπάργωνα quæ appellant Græci, id est monumenta. Cuiusmodi nobilium & diuitum pueri ornabantur, vt internoscerentur.

Hæc cur quæritet] supple, miror aut nescio.

Ill. Nisi illa fortè] Tertia suspicio Chremetis. Illa aut redundat, aut tota incisio absolutè profertur, & τὸ hanc quod sequitur, epanalepsin quandam faciet.

Hanc se intendit esse] Intendere iuris est verbum, Nam qui crimen obijcit, aut quidpiam ab reo postulat, intendere dicitur. Vnde apud Rhetores intentio est accusantis obiectio.

Vt est audacia] Coniectura ab animi habitu, & ἐτέ-

ρωσις

ρωσις figura, vt est audacia, pro vt est audax. Aut τὸ vt, pro qualis sumitur, quæ enallage est frequens: cuius loco sepe pronocabulum licet apponere. Quæ est audacia, vel qua est audacia. selon qu'elle est audacieuse, elle seroit bien si audacieuse.

Verum ea] refutatio suspecta fraudis ab ætate.

Annos nata est sedecim] in hac loquendi ratione, Priscianus audit prepositionem ante.

Non maior] sedecim annis.

Ego quàm sum maiuscula est] Comparatiua diminutiua hanc solam videntur habere constructionem, nunquam ferè ablatiuum. Plinius. duriusculum se fecit quàm volebat existimari à Vernariolis.

Misit porro orare] Gracismus, pro oratum.

Vt venirem serio] alterutri verbo (orare, & venire) potest adiungi aduerbium. Aut serio, pro re seria.

Aut dicat quod vult] Conclusio abrupta per complexionem. Quid vult pro velit, figura est per modos. Nam vt alibi diximus. Infinita subiuncta, siue nomina sint, siue aduerbia subiunctiuum aut potentialem modum postulant. Sed Græcorum more apud Poetas indicatiuis iuncta reperies, & priuatiuum post vnum aut alterum verbum, vt dico, & quæro. Terentius in Andria. Quin tu vno verbo dic, quid est, quod me velis. Hic verò vtriusque modi exemplum habes. Aut dicat quod vult, aut molesta ne fiet. Cicero Attico. sed quæro quid illi opus erit Athenis permutari vt possit?

Non hercle veniam tertio] parascene deductionis adolescentis ad Thaidem.

E S

Tertio

Tertio] *barbari tertia vice dicerent.*

Heus heus] *Pulsando fores quempiam euocat.*

Hic quis est?] *est & hac phrasis Gallica, qui est là?*

O capitulum lepidissimum] *blandimentum meretrici aptum, Caput ut κεφαλή, hominem significat synecdochicōs. Similiter enim Græci dicunt ὦ φίλη κεφαλή, & ὦ μίαν κεφαλή, ὦ πᾶν κεφαλή. Cicero Philip. x 1. duo capita nata sunt post hominum memoriam terrima, & spurcissima.*

Dico mihi insidias fieri] *suspicio ex blandimento. Insidia ab insidendo dicta sunt, quod qui insidiantur, saltus & loca syluestria aut alioqui occulta insideant.*

Thais maximo te orabat opere] *τμήσις.*

At apud nos] *At, saltem ἐλαττωτικῶς sumptum. Probè Pythias hera mandatum curat.*

Nihil minus] *supple, faciam.*

Cur mi Chremes] *ex ancilla ciuilitate, rusticitas adolescentis magis apparet. At hac dicens, pallium aut manum eius apprehendit ut retineat, ideo irascitur Chremes.*

Malam rem abis] *imprecatio in attrectantem, & hac dicens, sese ab illa excutit. Porro subtractio prepositionis iracundiam rustici arguit. Hac proverbiali forma utuntur, qui quempiam diris deuouent, & ad Oris satellitium ablegant.*

Abis] *pro abi. Nam frequenter finitiuum pro imperatiuo legimus ut itis, paratis, pro ite, parate.*

Si istuc ita certum est] *supple, facere, aut sine eclipsi, ut sit istuc nominandi casus. Nam ferè certum est, infinito à priori intransitiuè iungitur. Et ex temporibus semper præsens postulat, sed per subauditionem alterius*

Verbi:

Verbi: *ut cum dicimus ita facere certum est, intelligitur velle, ut vult Linacer.*

Deduce] *vetustè pro deduc.*

ACTVS III. SCENA IIII.

ANTIPHO *adolescens.*



ERI aliquot adolescentuli coimus in Piræo,

In bunc diem ut de symbolis essemus:

Chæream ei rei

Præfecimus: dati anuli: locus, tempus constitutum est:

Præterit tempus: quo in loco dictum est, parati nihil est.

Homo ipse nusquam est: neq; scio, quid dicam, aut quid coniecsem.

Nunc mihi hoc negoti cæteri dedere, illum ut quæram,

Idq; adeo visam, si domi est. quisnam hinc à Thaide exit?

Is est, an non est? ipse est. quid hoc hominis? qui hic ornatus est?

Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque coniecere:

Nisi quicquid est, procul hinc libet prius, quid sit, sciscitari.

COMMENTARIA.

Inducitur Antipho, ut per occasionem doceatur spectator, cur ex Piræo abierit Chærea, & est præparatio ad sequentem scenam.

Heri

Heri aliquot adolescentuli] *ephebi*. Occasionem aduentus sui & Chærea narrat, tanta virtute, ut non quaesita sed oblata esse videatur.

Coimus] *Euocationem figuram constructionis Grammatici esse dicunt, & implicitam*. Nam prima persona nos, verbo suam præscribens, intelligitur.

Coimus] *conuenimus*.

In hunc diem] *in hodiernum diem*.

Ut de symbolis] *συμβολικῶς*, de collecta. Nam conuiuia ἀπὸ συμβόλων dicta sunt, quæ plurimum impensis instruerentur, quæq; συναγωγία vocata, fuisse Athenæus docet. Solebant enim adolescentes inter se conuiuia agitare, & stipes in ea conferre. quibus colligendis qui præerat ἐρανάρχης, sicut de symbolis conflatum conuiuium ἐρανὸν dicebatur, ut scribit Nanus Miscella. lib. VIII. Alterius verò generis conuiuia, quæ cognati, ciues, amici, hospites, & vicini, aut solemnibus ferijs, aut nuptiarum tempore vicissim inter se sine stipium erogatione celebrabant, συμπόσια aut συνδειπνα appellabant, & συμποσιάρχου conuiuij magistrum. Qui conuiuarum suffragio aut talorum sorte electus, leges conuiuales ferebat, & questionibus propositis conuiuas sententiam rogabat, decretisq; præmiolis ornabat dissoluentes. Vnde Cato apud Cicronem de senectute. Me verò, inquit, & magisteria delectant à maioribus instituta, & is sermo qui more maiorum à summo adhibetur magistro in poculo.

Essemus] *ederemus*.

Chæream ei rei præfecimus] *ἐρανάρχην fecimus non συμποσιάρχον*.

Dati annuli] *Nobiliores annulos aureos in sinistra manus*

manus digito penultimo gestabant, eos in pignora comestationis dabant: ut adesse ad diem constitutum conuiuio, quod communi sumptu celebrabant cogerebantur.

Locus] *celebrandi conuiuij*.

Tempus constitutum est] *σύνληψις per genera*.

Præterijt tempus] *Vide quàm aptam sui aduentus, & inquisitionis Chærea occasionem narret, quam colligit per remotionem*.

Dictum est] *constitutum. periphrasis præteriti impersonalis*.

Nusquam] *nullibi*.

Neque scio] *Conclusio argumentationis per διαπόρησις*.

Aut quid coniectem] *conijcere debeam. δυντηκῶς*. Metaphora est à sagittarijs, qui omnes ad eundem scopum simul iaciunt. Caterum à coniectu coniecto manat, & coniectura: quæ est directio quædam rationis ad veritatem rei quæ inquiritur. Vnde etiam, autore Fabio, somniorum atque ominum interpretes coniectores appellamus.

Idc̄ adeo] *Id adeo pro ideo, quòd ex utroque est compositum*.

Vitam si domi est] *si pro an, Græca ἡναλλαγή, Nam è sic vsurpant*.

Is est an non est] *inopinantis admiratio*.

Quid hoc hominis est?] *non ignorantis est, sed habitum & formam Eunuchi mirantis*.

Qui hic ornatus?] *qualis*.

Quid illud mali est?] *veretur ne sint Chærea abscissi testes, sitq; Eunuchus factus*.

Neque conijcere] *coniectura consequi*.

Nis̄

Nisi quicquid est] *nisi, pro sed Græcorum more.*
 Procul hinc] *à publica via, semotis arbitris.*
 Sciscitari] *sciendi causa interrogare est.*

ACTVS III. SCENA V.

CHÆREA. ANTIPHO.



NVNQVIS hîc est? nemo est. nun-
 quis hîc me sequitur? nemo homo
 est.

Iamne erumpere hoc licet mihi gau-
 dium? pro Iuppiter,
 Nunc est profectò, interfici quum perpeti me pos-
 sum,
 Ne hoc gaudium contamineat vita ægritudine ali-
 qua.

Sed neminemne curiosum interuenire nunc mihi,
 Qui me sequatur: quoquò eam rogitando obtun-
 dat, enecet,

Quid gestiam, aut quid lætus sim, quo pergam, vn-
 de emergam, vbi siem

Vestitum hunc nactus: quid mihi quæram: sanus
 sim, an'ne insaniam?

A. Adibo: atque ab eo gratiam hanc, quam video
 velle, inibo.

Chærea, quid est quod sic gestis? quid ue sibi hic ve-
 stitus quærit?

Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? fatin' sanus?
 quid me

Aspectas? quid taces? c. ô festus dies hominis: amice

Salue: nemo est omnium, quem ego magis nunc
 cuperem, quàm te.

A. Nar

A. Narra istuc, quæso, quid fiet. c. imò ego te obse-
 cro hercle vt audias.

Nostin' hanc, quam amat frater? A. noui nempe opi-
 nor Thaidem.

c. Istam ipsam. A. sic commemoreram. c. quædam
 hodie est ei dono data

Virgo, quid ego eius tibi nunc faciem prædicem,
 aut laudem Antipho,

Cum ipsum me noris, quàm elegans formarum spe-
 ctator siem?

In hac commotus sum. A. ain' tu? c. primam dices
 scio, si videris,

Quid multa verba? amare coepi. forte fortuna do-
 mi

Erat quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat fra-
 ter Thaidi,

Neque is deductus etiam tum ad eam: submonuit
 me Parmeno

Ibi seruus, quod ego arripui. A. quid id est? c. tacitus
 citius audies.

Vt vestem cum eo mutem, & pro illo iubeam me
 illuc ducier.

A. Pro eunuchon' c. sic est, A. quid ex ea re tandem
 vt caperes commodi?

c. Rogas? viderem, audirem, essem vnà, quacum cu-
 piebam Antipho:

Num parua causa, aut parua ratio est? traditus sum
 mulieri.

Illa ilico vbi me accepit, læta verò ad se abducit
 domum.

Commendat virginem. A. cui? tibine? c. mihi, A. sa-
 tis

tis tutò tamen.
 c. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat : & mihi, ne
 abscedam imperat:
 In interiore parte ut maneam solus cum sola. ad-
 nuo,
 Terram intuens modestè. A. miser. c. ego, inquit,
 ad cœnam hinc eo:
 Abducit secum ancillas : paucae, quæ circum illam
 essent, manent
 Nouitiæ puellæ : continuò hæc adornant ut lauet.
 Adhortor properent, dum apparatus, virgo in con-
 clavi sedet,
 Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat
 pictura hæc, Iouem
 Quo pacto Danaë misisse aiunt quondam in gre-
 mium imbrem aureum.
 Ego met quoque id spectare cœpi. & quia consimi-
 lem luserat
 Iam olim ille ludum, impendiò magis animus gau-
 debat mihi,
 Deum sese in hominem conuertisse, atque per alie-
 nas tegulas
 Venisse clanculum, per impluuium fucum factum
 mulieri.
 At quem Deum : qui templa cœli summa sonitu
 concutit.
 Ego homuncio hoc non facerem : Ego illud verò
 ita feci, ac lubens.
 Dum hæc mecum reputo, accersitur lauatum inter-
 eà virgo.
 It, lauit, redit : deinde illam in lecto illæ collocant.

Sto

Sto expectans, si quid mihi imperent, venit vnâ,
 Heus tu, inquit, Dore,
 Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito,
 dum lauamur:
 Vbi nos lauerimus, si voles, lauato, accipio tristis.
 A N. Tum equidem istuc os tuum impudens videre
 nimium vellem,
 Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.
 c. Vix elocuta est hoc, foras simul omnes pro-
 ruunt se,
 Abeunt lauatum : per strepunt, ita ut sit, domini ubi
 absunt.
 Interea somnus virginẽ opprimit: ego limis aspecto
 Sic per flabellum clanculum, & simul alia circun-
 specto,
 Satin' explorata sint, video esse: pessulũ ostio obdo.
 A. Quid tum? c. quid tum? fatue. A. fateor. c. an
 ego occasionem
 Mihi ostentatam, tam breuem, tam optatam, tam
 insperatam
 Amitterem : tum pol ego is essem verè, qui assi-
 mulabar.
 A N. Sanè hercle ut dicis, sed interim de symbolis
 quid actum est?
 c. Paratum est. A. frugi es, ubi : domini : c. imo apud
 libertum Discum.
 A. perlongè est. c. sed tanto ocyus properemus. A.
 muta vestem.
 c. Vbi mutem : perij : nam domo exulo : nunc me-
 tuo fratrem,
 Ne intus sit: porro autem, pater ne rure redierit iam.

F

A. Eamus

A. Eamus ad me, ibi proximum est ubi mutes: c. rectè dicis:

Eamus: & de istac simul quo pacto porro possim Potiri, consilium volo capere vnà tecum. A. fiat.

COMMENTARIA.

Per occasionem Chærea à Thaide egrediens obuiò Antiphoni narrat, quo pacto Virgine sit potitus, & hæc est expositio alterius partis fabulæ. Initium prorsus est patheticum, ob nimiam adolescentis lætitiã, impensè desiderantis sibi quempiam offerri, in cuius sinum, suum gaudium possit effundere. Narratio quæ sequitur & ipsa lætitiã plena est, quam ita κατ' Ἐπορραφῆ illustrat, ut rem non narrare, sed depingere videatur. Et hîc habes appositissimum exemplum secundæ rationis locupletanda orationis apud Erasmum de copia rerum: quæ est, cum non contenti semel exitum rei proponere, singulatim ea commemoramus, per quæ ad eum exitum peruentum sit. Qui locus est ab antecedentium enumeratione. Nam principio quæ fuerit causa & occasio suscepti facinoris, quis consultor, quàm aptus rei peragenda locus, quanta facultas, ita disertè narrat, ut nihil euidentius nec magis perspicuè dici queat. Tandem sub finem de Symbolis & mutando Chærea habitu consultant adolescentēs.

Nunquis] exorditur per subiectionem. Et sunt verba circumspectantis, & exeantis gestum exprimentia.

Nunquis hinc me sequitur] hinc à Thaide. timet ne se insequantur ob admissum facinus. hoc parcemiã etiam hodie vim habet, eim significant liberum esse diutius in re quapiam immorari. Nemo nos, inquiunt, insequitur, qui festinare compellat. personne ne nous suit qui nous

haste.

haste. hoc proverbio vitur Plato lib. de legibus x. vide Erasm. Chiliad.

Nemo homo est] Pleonasmus ob tutum exitum lætantis.

Iam ne erumpere] extra periculum positus hæc loquitur exultans & totus locus est mirè patheticus. Est autem in verbo ἀόγκσις dictionis, & Metaphora à vasis, quæ musto plena ipso feruente & ebuliente rumpuntur. Est enim erumpere, cum impetu rumpendo extra exire. Et obserua hoc verbum præter communem usum in transitione poni. Tametsi erumpere in aliquem stomachum dixerit Cicero. Gall. ne pourray ie descouuir & ietter hors de mon cœur, ceste ioie que i'ay?

Nunc est profectò] τὰθ & hyperbolicum & formula plena & copiosa orationis. Satis enim esset, nunc me interfici possim perpeti. Plant. Nunc illud est quum me fuisse quàm esse multò mauelim. Donatus ἐλαττικὸς tempus subaudicndum putat. Caterum hac hyperbole vtuntur, qui cum ea quæ magnopere expetiuerunt, sunt consequuti, tam libenter se morituros esse profitentur. Sic enim Gallica lingua dicimus. l'heure est que ie ne me soucieroye point de mourir.

Ne hoc gaudium] ἀτιολογία κατ' ἀντιθέσιν, & videtur alludere ad Solonis dictum. Nemo ante obitum beatus. Est enim obuius homo in hac vita incommodis ludibrijsq; fortunæ.

Vica] longior.

Contaminet] Metaphora à labefacientibus.

Aegritudine aliqua] dolore.

Sed neminem] Obseruent pueri indignationum & querelarum formulas ἐλαττικὸς per infinitum & ac-

cusatiuum efferrī, quas resolvere in indicatiuas orationes debent. sed nemo ne curiosus interuenit, qui me sequatur? Addit autem infinitum affectum quendam, quasi dicat, indignum est neminem interuenire.

Qui me sequatur] *Notatione curiosum exprimit.*

Obtundat, enecet] *incrementū hyperbolicum cum dissoluto.*

Quid gestiam? quid lætus sim?] *expolitio per ουνουμλαρ. sed est in priori verbo effectus, in altero causa.*

Vnde emergam] *prodeam, translatio ab Vrinatoribus. Cicero. Ab infima ara cum anguis subito emergeret.*

Vestitum hunc nactus] *Nactus à themate nanciscor est. quod inuenire significat, sed casu, & fortuito, ut docet Valla lib. v. i. cap. i. i.*

Quid mihi quæram] *pleonasmus Attica.*

An'ne] *ne superfluit. sunt tamen qui vnam dictionem esse putent.*

Inibo hanc gratiam] *comparabo. vide Vallam lib. v.*

Quam video velle] *supple, iniri, aut ut ineat.*

Quid est quod sic gestis?] *eo quo volebat modo rogat.*

Quid me aspectas? quid taces?] *aspectus & silentium admirationem Chærcæ ob Antiphonis interuentum significant.*

O festus dies hominis] *Exclamatio exultantis, o festus dies, id est lætus. ουνεχδοχηκός. Nam diebus festis lætitia & hylaritati indulgetur. quasi dicat, o iucundus & faustus dies, si quis vnquam homini alium possit illucescere. Nobis quoq; dies festus in prouerbum lætitiæ & desiderij cecidit, veluti cum cuiquam, aduen-*

tus

ius cuius nobis est gratus & expectatus, dicimus: vous soyez aussi bien venu que le bon iour, id est, quam est dies festus.

Salue: nemo est, &c.] *sic legit Riuus ex observatione vetustæ lectionis. Salue, nemo est omnium, quem ego magis nunc cuperem quam te. Nam videre elegantius subauditur quam exprimitur. Cicero. Te ipsum cupio. In Andria, Dauum video. Nemo est quem malle. Vide eiusdem Riuus castigationes.*

Imo ego te obsecro] *Indicat maius sibi esse narrandi desiderium, quam illi audiendi: & simul parat attentionem ad sequentem narrationem.*

Nostin' hanc, &c.] *Narrationem incipit per interrogationem de Thaide, ut agnita quæ fallitur persona. res sit iucundior.*

Nempe opinor Thaidem] *supple, dicis. Nempe, quam frequenter in interrogatione affirmet, Valla meminit lib. i. i. Hoc Cicero frequenter est usus. Posteriores, ut Quintil. Plinius huius loco, profecto, & vti que frequentius.*

Istam ipsam] *epitagmaticon pronomen affirmationem auget.*

Sic commemoreram] *Cicero. Quem hominem probe nosse & commemorasse se aiebat.*

Quid ego eius] *Præteritio ad laudem virginis per admirationem.*

Cum ipsum me noris] *Argumentum ab adiunctis expositorium. Ego optimus formarum sum estimator. Ego illam formosissimam esse existimo, igitur ea talis est. Hic ex Græcorum idiomate accusatiuus vice nominatiui est positus. Nam recta esset loquutio, cum noris quam elegans*

E 3

ego

ego ipse formarum spectator siem.

Spectator] μετὰ πορὰ ab argyrognomonibus & pecunie probatoribus.

In hac commotus sum.] J'ay esté esmu & eschauffé d'elle. ie me suis affectonné d'elle, id est affectus & mutatus in alium quasi animi habitum. Est enim hac primaria motus significatio. Et Cicero affectus & animi passiones motus appellat. sed de hoc alibi diximus. Chærea visa duntaxat virgine cœpit impotenter arde- re. Nam vulgò iactatur ex aspectu amorem nasci. vt etiam habet Græcus Senarius.

Ἐκ τῆς ὁμοῦ ἀπὸ τῆς ἰδέσεως ἐκείνου ἐπάγεται. id est. Amor ex videndo nascitur mortalibus. Sunt enim amoris illicei oculi, in quibus aiunt Poëta Cupidinem sua iacula mittere.

Primam dices, scio, si videris] Fateberis inter venustas primam esse. Videtur occupationi tacite respondere, & ad causam recurrere, vt rem faciat verisimilem, nempe ad pulchritudinem admirandam.

Quid multa verba?] Præteritio ad renouandam attentionem.

Amare cepi] epexegetis prioris dicti, in hac commotus sum.

Fortè fortuna] occasio suscepti facinoris.

Submonuit me Parmeno] Autor consilij.

Tacitus citius audies] correptio interturbantis.

Tacitus] tacens aut tacendo actiue.

Pro eunuchon' ?] admiratio factum reprehendentis.

Quidnam ex ea re] vtilitas primaria ferè causa est actionum humanarum. Nam autore Fabio, quisque agit quadrifariam: vel enim propter boni adeptionem, incrementum,

mentum, conseruationem, & vsum: vel propter mali euitationem, imminutionem, liberationem, & conuersionem. Et verè Cicero. Omnes, inquit, expetimus vtilitatem. Quare cum de facto queritur, Rhetores tantopere vrgent vtilitatem.

Rogas ?] correptio interrogantis in re non obscura.

Viderem, audirem.] Causa impulsiva. Et vt telicon subauditur.

Num parua causa aut ratio?] Interrogatio factum suum probari cupientis, per ἰσοδυναμίαν contrarij: vult enim dicere magnam causam & rationem fuisse. Causa est que ad agendum impellit Ratio, modus est & ordo ex causa venientium. Hac causam continet, & vt sit firma aut debilis habet ex ea. Causa facti est impulsio. Ratio verò ipsius per causam probatio.

Illa illico] paronomasia.

Læta] ob munus.

Satis tutò tamen] Ironia.

Edicit] Magistratum regum'ue est hoc verbum, autore Valla lib. v. Indicere Verò sacerdotum: quo hic vtitur ad amplificationem.

Ne vir quisquam] quod Eunuchorū erat officium.

Ad eam adeat] Cacemphaton, & constructionis pleonasmus.

In interiore parte] locus opportunus.

Solus cum sola] occasio, agnominatione exaggerata.

Adnuo] non loquor dixit. Nam Verebatur ne loquendo se proderet.

Terram intuens] oculis in terram defixis. Gestus est agnosci metuentis.

Miser] ob periculum, hoc nomine factum reprehendit.

Ego inquit] *Mimesi rem amplificat.*

Abducit secum ancillas] *ut se comitentur. facultas.*

Seruus, Veterator, Nouitius.

Nouitiæ puellæ] *Seruus aut Veterator, aut Nouitius dicebatur. Veterator diuturna ac multiplici seruitute, & dominorum imitatione astutus erat & uaser. Nouitius aut peregrinus & recens adductus, atate & seruitute tyro, artis cuiusquam ac instituti rudis & imperitus. nouueau & apprentif. qui non diu seruitutem seruauisset, aut commutasset. Ulpianus. Præcipiunt Aediles, ne Veterator pro nouitio ueneat. Et hoc edictum fallacis venditorum occurrit. Vbiq; enim curant Aediles, ne emptores à venditoribus circumueniantur. Ut, ecce plariq; solent mancipia, quæ nouitia non sunt, quasi nouitia distrahere, ad hoc scilicet ut pluris vendant. Præsumptum est enim, ea mancipia quæ rudia sunt, & simpliciora, & ad ministeria aptiora esse, & dociliora & habiliora. Trita uero mancipia & veterana difficile est reformare, & ad mores heri effingere. Quia igitur uenaliarij, (ἀνδραποδοῦν ἄπλοοι) sciunt facile decurri ad nouitiorum emptionem, idcirco interponunt Veteratores, ut pro nouitijs vendant. lege Vallam lib. v. At Martianus. Veterana, inquit, mancipia sunt, quæ anno in urbe seruiuerunt. Nouitia intelliguntur, quæ anno nondum seruiuerunt. qui n'ont pas encores serui vn an.*

Continuò hæc adornant, ut lauet] *Hospites & peregrè redeuntes lauabant corpus ad sudorem, & nigredinem à sole cuti inductam abstergendam. Hæc pro hæc Donatus esse putat. Est enim ἀρχαϊσμός, ut in Andria. Hæc nuptiæ non apparabatur mihi, sic Veteres quidem loquebantur. At ἐνικῶς positum potius existimo,*

ut

ut sit ordo. Adornant id est apparant, ut hæc uirgo lauet, in quo est ἑθλεισις pronominis se, aut lauet pro lauetur. Vide Linacrum.

Dum apparatus] *ut lauet.*

In conclau] *Conclauæ triclinio est generalius, est enim locus in quo multa sunt triclinia. Vn lieu ou il y ha beaucoup de chambres. Autore Valla. Aut pars remotior & interior in penatibus. Vne chambre. Nam quod vulgò cabinetum appellant in quo res preciosiores reconduuntur, Cymeliarchion nomine Græco appellatur, Hæbrais נַחֲשֵׁל?*

Suspectans tabulam] *Solent tabulis ac picturis parietibus appensis ornari cubicula. Et propriè suspectans. Nam in alto collocantur tabulae.*

Iouem quo pacto Danaë] *Pictura domui meretriciæ conueniens. Fingunt Poëta Danaën filiam fuisse Acrisij Argiuorum regis, qui cum oraculo accepisset, nepotem se ex filia habiturum, cuius manibus interficeretur, illam, ne quisquam uir ad eam iret, ne prolem haberet, in turri conclusit. Quæ puella ob admirandam pulchritudinem cum à Ioue amaretur, ab ipso in aureum imbrem mutato, labenteq; per impluuium turris, compressa est: & grauida facta, Perseum peperit. Porro fabula ἐπιμύδιον eleganter scribit Ouid. amorum lib.*

III. Elegia v. II.

Iupiter admonitus nihil esse potentius auro,

Corruptæ uirginis pretium ipse fuit.

Dum merces aberat, durus pater, ipsa seuera,

Aerati postes, ferrea turris erat.

Sed postquam sapiens in munera uenit adulter,

Præbuit ipsa sinus, & dare iussa dedit.

E

S

Id

In gremium] *Sinum & gremium idem significare quibusdam placet, utrunque enim saepe coniungit Cicero, & in viro quoque nominat. Sed verius significat utrum intra scœmora. dicitur autem à gerendo quasi geremium.*

Et quia consimilem iuserat] *exemplo Iouis factum suum commendat.*

Deum sese in hominem conuertisse] *locupletatio exempli per comparisonem, & in singulis est emphasis.*

Atque per alienas tegulas] *per tectum, non per ostium sicut ego: Nec aperte, sed clam.*

Per impluuium] *Impluuium ut scribit Asconius Ped. est locus sine tecto in adibus, quo impluere imber in domum possit. Une court es maisons ou tombent les eaux de la pluie.*

Fucū facere. Fucum factum] *Factum supinum est. Est autem fucum facere artificiosa dissimulatione deludere & imposturam facere. Quintus frater ad Ciceronem. Si eum qui tibi promiserit fucum ut dicitur, facere velle senseris, ut te id audisse, & scire dissimules. Nam fūx herba est tingendis lanis utilis. Ideo fucus simpliciter pro colore, ut fucare pro colorare sumitur. Maxime vero significat factitium colorem, & adulterinum, quo mulierculæ vitia forme dissimulant, superinducto medicamine. Gall. fard. Et fucatum dicitur, quod ita est coloratum, ut aliud sit, aliud appareat.*

At quem Deum] *Amplificatio exempli à maiestate. Obseruent pueri, at particulam quandoque laudem, seu vituperationem cum admiratione significare. Cicero per domo sua. At quæ Dea est? Pro Cluentio. Vna mater oppugnat: At quæ mater? Pro Sylla. At quos viros?*

Pro

Pro L. Flacco. At quos testes?

Qui templa cæli summo sonitu concutit] *ωαρω-
δία de Ennio. Ut notat Donatus. Est autem, ut id obiter dicam, ωαρωδία cum alterius Poeta Versus, iocose in aliud argumentum transferuntur, id est detorsio Versuum poetarū antiquorum. Qui ita ex multis carmen ali-
quod componit, ωαρωδός appellatur. Inter Centones, id est, ωαρωδός, & ωαρωδία hoc interest. quod hæc ex multis poetis & diuersis rebus ac sententijs etiam ridiculis constant, & fieri solent. Centones ex vno tantum poeta, ut Homero, aut altero quopiam. Ut scribit Camerarius in suis Commentarijs.*

Qui templa cæli] *de Deo loquens exurgit penè in tragicam grauitatem verborum.*

Qui concutit] *commouet, tremefacit.*

Sonitu] *tonitruis.*

Summa templa cæli] *arcem cælorum, Regiam, & domicilium Deorum: Unde omnia inferiora hæc contemplantur & vident. Nam templum iuxta Varronis sententiam, erat locus omni ex parte conspicuus, in spatio cali designatus, ad auguria contemplanda & captanda.*

Et cali lucida templa. Dixit Lucretius.

Neque verò calum modo, sed orbis vniversus fanum est Dei Opt. Max. in quo colitur, & agnoscitur. Licet enim vndiquaq; ex ipsius creaturis immensam eius sapientiam, potestatem, ac maiestatem contemplari. Quare miror esse hodie, & inter literatos, tam impudentes, impios, & perditos nebulones, ut confidenter Deum esse negent, contra suam ipsorum conscientiam, quos tamen lex naturæ, ratio, effectus, & experientia bonitatis ipsius arguit, & con-

vincit

vincit impietatis: quorum opinionem refellit lib. I. & I. I.
Lactantius ille firmianus.

Ego homuncio] Argumentum à maiori.

Illud vero ita feci] Vides quanta ex poëtarum le-
ctione pernicies moribus iuventutis inuehatur. Et non
temerè Plato illos è sua Republ. eijciendos censuerit sicut
& Cato Vrbe Roma. ut est apud Gellium. lib. X. cap. II.
Lacones fabulas omnino improbabant, nec agi patiebantur,
ut nec serio nec ioco quicquam audirent ab honestate alienum.
Leges enim prohibent supra, incestus, cades, furta dolos iniurias,
ceteraq; flagitia, quæ tamen in fabulis affinguntur.

Dum hæc mecum reputo] regressio ad institutum.

It, lauit, redit] βραχυλογία Terentio familiaris.

Cape hoc flabellum] μιμητικῶς ancillæ iubentis
verba profert. prens cest esuentoir.

Ventulum huic sic facito] sic ventilato. Plautus.
Ventum facite ut gaudeam. Sic, demonstratio gestus
est.

Accipio tristis] ἴστικῶς similis tristi.

Tum equidem] locus arridentis ad spectatorem de-
lectandum.

Utuc os tuum impudens] ta mine, ta contenance
effrontee, & dehontee. Vultum tuum inuerecundum,
impudentiam præ se ferentem.

Videre] pro vidisse.

Qui esset status] pto quis, sic Rinius legit, quelle
estoit ta contenance.

Flabellum tenere] tenentis.

Asinum tantum] Nam puerorum puellarum ue mi-
nisterium erat non grandium.

Vix

Vix eloquuta est hoc] Compositum loco simplicis.
Nam eloqui oratoris est.

Omnes prouunt] absolutum pro actiuo. & signifi-
cancer hoc verbo petulantiam puellarum in absentia he-
re gestientium exprimit.

Interea somnus] quàm aptè singula facultatem ad-
iuuantia persequitur.

Ego limis aspecto] supple, oculis. Ouid.

Alteram nam memini limis subrisit ocellis.

Id est, transuersis & obliquis. de trauers.

Satin' explorata sint] tuta. synecdochicos, factum
pro causa finali.

Pessulum ostio obdo] Je ferme la porte au Verrouil,
ou à la barre.

Obdo] oppono, & interdum cludo. Ouid.

Pace fores obdo, ne quis discedere possit.

Est autem pessulus obex, aut suscus terrea, seu sera, qua
clauditur Ostium. Plautus, subfilit pessuli. Quod no-
men Græcam originem habere videtur, non à pedibus,
ut vult Perotus. Nam πεσσοί sunt κυβοί, unde πεσ-
σοί & πεσσοί, quæ in morbis muliebribus indi so-
lent laboranti parti, ut notat Camerarius in suis Com-
mentarijs.

Quid tum fatue?] Repetitio corripientis non intelli-
gentem quæ sint consequuta.

An ego occasionem] emphasis. quasi dicat, ego qui
amator sum. Et est amplificatio occasionis per congeriem,
cui epanaphora, asyndeton, & periodicum τὸ δὲ μὲν, ad-
dunt vehementiam.

Fateor] me fatuum esse. Confessio intelligentis.

Ostentatam] oblatam, propositam, deriuatum pro
primig

primigenio. ostentatam pro ostensam, illud enim ferè in malum sonat. Tamen ostendere est consilium dantis: proponere imperium habentis. Ut scribit Valla lib. v.

Tam breuem] Ideo occasionis simulacrum dextra gestabat nouacula, quo symbolo nihil acutius & celerius significatur esse.

Tam optatam] In hoc quoq; facti causa est, nempe desiderium.

Amitterem] ἀμιττικῶς amittere deberem. At hic amittere non perdere significat, sed deserere, & quasi à se mittere, lascher, abandonner. quæ propria huius verbi est significatio. Terentius in Phormione. Nunc amitte quæso hunc. Vnde è manibus amittere, quod penes nos est dimittere, se dessaisir de ce qu'on tient. Cicero. O Brute Vbi es, quantam ἀναείλαμ amittis. Inde fit ut perdere significet.

Tum pol] Noëma quo amplificationem claudit.

Is] talis.

Assimulabar] Eunuchus, ac si diceret meriturum ut sibi virilia absunderentur.

Sanè herclè ut dicis] est supple.

Sed interim] qua causa nunc venerit, narrat.

Quid actum est] quid egisti? generis enallage.

Frugi es] Gallicè, bon mesnager, bien prouffitant. Adiectiuum esse volunt Grammatici, & ἀκλιτοῦ: sed & substantiuum videri potest, quòd bonæ adiectiuum subaudiendum est. Nam integram loquutionem extulit Plautus in Cas. Credo pol. esse, si quidem tu frugi bonæ es. Et frugi bonæ seruum appellant Iurisperiti in Pand. Ut l. prima de ser. corrup. §. quod ait prator. huic opponitur Nequam, id est improbus, prodigus, aotus, luxuriosus

sus & nihil homo. significat & scelestum, præsertim cum de seruis loquimur.

Apud libertum Discum] Athenis in caupona perpotare nemini, nisi peregrinis, iter facientibus, ne seruis quidem licebat. Ut scribit Isocrates in Areopa. Ἐμ καπηλείῳ ἢ φαγῶν ἢ πιῶν, ἔδειξ' ἔδλ' ἀρ' οὐκ ἔτις ἐπιεικὴς ἐτόλμησε.

Nam domo exulo] Tacita occupatio.

Porro autem] supple, metuo.

Ibi proximum est] præsto est, & paratum. quæ enim proxima sunt, in promptu esse solent.

Vbi mutes] mutare possis.

De istac] non ad potiri, sed ad consilium capere astruitur.

ACTVS IIII. SCENA I.

DORIAS.



T A me Dñ ament, quantum ego illum vidi, non nihil timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.

Nam postquam iste aduenit Chremes adolescens frater virginis,
Militem rogat, ut illum admitti iubeat: ille continuo irasci,
Nec negare audere: Thais porro instare, ut hominem inuiter.
Id faciebat retinendi illius causa: quia illa quæ cupiebat
De sorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.

Inuitat

Inuitat tristis : mansit ibi : illa cum illo sermonem occipit.

Miles verò sibi putare adductum ante oculos æmulum,

Voluit facere contrà huic ægrè: Hæus, inquit, puer, Pamphilam

Accerfe, vt delectet hîc nos. illa exclamat, minimè gentium:

In conuiuium illam? miles tendere inde ad iurgium: Interea aurum sibi clam mulier demit : dat mihi, vt auferam:

Hoc est signi, vbi primùm poterit, se illi subducet, scio.

COMMENTARIA.

Ancilla ab hera rediens, vt aurum ipsius domum referat, hac occasione docet spectatores, quid in conuiuio militis actum sit : & ita viam sternit ad epitasin. Atqui huius scenæ status coniecturalis est, An Thraso turbam vimq; Thaidi sit factururus? Ac statim à propositione exorditur, in qua coniecturas quasdam miscet: deinde narratione rem latius explicat, sub finem cuius, docet occasionem sui reditus.

Quantum ego illum vidi] Coniectura à vultu irati militis.

Nonnihil misera timeo] Propositio cum amplificatione recitata.

Hodie] à breuitate temporis.

Insanus] Iratus. Auxesis dictionis, & impulsio, coniectura locus. Et benè insanus. Nam ἔχ' οἶόν τε ὄργη χρώμενον λογισμῶ χρεῖα. Fieri non potest (inquit Plutarchus)

tarchus vt is vtatur ratione, qui excandescat.

Turbam faciat] rixam. qu'il ne fasse quelque trouble, debat, ou noise.

Aut vim Thaidi] Incrementum ad metus augendum.

Nam postquam ille] Narratio turbæ & iurgij occasionem explicans, quæ poterit exemplo esse pueris tertia rationis dilatandæ orationis, cum scilicet non summam rem exponimus, sed altius causas repetimus & à quibus inityis sit profecta. Hîc enim non tantum dicit iurgium Thaidi cum milite intercessisse, sed etiam addit quæ fuerit causa, vnde orta sit occasio. De hac Variandi ratione lege Eras. lib. 11. cop. Ille, contemptum significat, quasi dicat, ille qui totius rixæ causa est.

Adolescens] atas ad emulationem & Zelotypiam excitandam pertinet.

Frater virginis] notatio ad heræ excusationem.

Militem rogat] Thais.

Neque negare audere] notat militis seruitutem apud scortum.

Id faciebat] interpositio ad rei causam indicandam, & Thaidem excusandam.

Tempus non erat] opportunitas. Nam aliàs, Tempus non esse, significat non habere temporis satis spatij ad rem agendam. Hîc significat nec tempus nec locum fuisse rei indicandæ aptum. Hîc obseruent pueri exemplum abundantis orationis, qualis esse solet in epanalepsi Grammatica. Nam quæ præcesserunt (quia illa quæ cupiebat de sorore eius indicare) inabsoluta manent, nec habet τὸ illa, vnde pendeat. Quod si (ad eam rem) tollas, nihilominus stabit sensus. Quia illa, quæ cupiebat

de sorore eius iudicare, non erat tempus, subaudita tantum gerundi voce indicandi. sed quoniam aliquam multa erant posita, claritatis causa subicit, (Ad eam rem) quasi complectens, & resumens quæ dicta sunt. Quæ quidem epanalepsis est frequentissima. In qua id quoque non erit notatu alienum, Relatiuum non nomen ipsum antepositum repetere, sed quod sit ipsi Isodynamon. Ut in Phormione. In quo hæc discebat ludo, ex aduersum ei loco constriua erat. Ita hoc loco, Quæ cupiebat de sorore eius iudicare, ad eam rem tempus non erat.

Inuitat tristis] inuitus.

Manfit ibi] id oportuit. alioqui nulla fuerat turba futura.

Ille cum illo] traductio vicissitudini apta.

Sermonem occipit] elle commence entrer en propos. Vide quàm multa à Thaide ingerantur ad augendam de riuale suspicionem. Primum adolescens, quem admitti rogat, nec id satis: vult quoque inuitari: inuitatum potius alloquitur quàm militem: vnde sic paulatim tanta creuit emulatio, vt riualem ob oculos adductum sibi putaret.

Adductum ante oculos æmulum] singula δένωσις habent. Æmulum non venisse, sed adductum à Thaide: & ante oculos, quò ipsi maiorem faceret dolorem: quid potest esse indignius? An'ne id magni contemptus indicium est?

Voluit facere contra huic ægrè,] id est, quod doleret Thaidi, & molestum esset. Et τὸ ἀγρὲ, nominis vim obtinet: idq; in casu accusandi. Plautus. Quid tibi ægrè est?

Hem

Heus puer] Prosopopeia rem amplificat.

Pamphilam accersere] Gnatonis consilium, quod supra exposuit, sequitur miles.

Ille exclamat] hoc verbo muliebrem consuetudinem cum dolore exprimit.

In conuiuium tu illam?] sup. accersas, aut adducas? Interrogatio corripientis ab inhonesto. Nam vt scribit Æmilius Probus non admittebantur ingenuæ liberaeq; mulieres ad conuiuia, nisi propinquorum & cognatorum.

Miles tendere] contendebat. tracta Metaphora ab ijs qui eunt ad destinatum locum.

Inde] des lors le gendarme tachoit prendre debat. Aut si distinguas, vt vult Donatus, sensus erit. Miles tendere, supple, vt accerferetur. Inde ad iurgium, subuentum est.

Interea aurum sibi clam, &c.] Auri nomine περιουσιας intelligere videtur annulos, torques, armillas, brachialia, corollas ceteraq; decora ornamenta muliebris, vt in Heauton. Portant quid reru, aurum vestem, &c. Id agebat Thais, ne pro puella data, ipsam spoliaret miles, si repetenti virginem negasset.

Dat mihi vt auferam.] Occasio reditus ancille.

Hoc est signi] quod idicon supprimitur. Donatus quoque existimat deesse vnde, vt sit: Hoc est signi, vnde scio, quod vbi primum poterit, &c. Sed minus durum videtur, si verbum scio separatim legatur, vt sensum faciat.

ACTVS IIII. SCENA II.

PHAEDRIA.



Y M rus eo, coepi egomet mecum inter
vias
(Ita vt fit, vbi quid in animo est mole-
stia)

Aliam rem ex alia cogitare: & ea omnia in
Peiorem partem. quid opus verbis? dum hæc puto,
Præterij imprudens villam: longè iam abieram:
Cum sensi, redeo rursum, malè verò me habens:
Vbi ad ipsum veni diuerticulum, constiti:
Ocepi mecum cogitare: hem biduum hic
Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est. quid? nihil: si non tangendi copia est,
Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit. certè extrema linea
Amare, haud nihil est. villam prætereo sciens.
Sed quid hoc est, quod timida subito egreditur Py-
thias?

COMMENTARIA.

Reuertitur rure Phædria, cum vt amatorum incon-
stantiam cernas, tum vt eius aduentu promoueatur epi-
tasis alterius partis fabula.

Inter vias] locus pro actu qui in eo fit, id est, inter
eundum. aut enallage, in via.

Ita vt fit, &c.] Interpositio probabilitatem præstans.

Aliam rem ex alia cogitare] colligere, ratiocinari.

Et ea omnia] videtur relatiuum ab anteposito dissen-
sire, quod hellenismum respicit.

Dum

Dum hæc puto] cogito, reputo. Est quadam post in-
terpositionem resumptio.

Præterij imprudens villam] Intensa cogitationis
exemplum.

Imprudens] non animaduertens. Villa habitatio est Villa.
ruri edificata, ea trifariam diuiditur à Columella. Est
enim Urbana, elegans, & ad exemplar Urbani nitoris
constructa, quæ domini esse solet: Rustica, in qua colo-
nus, vinitor, & laborator habitant: Fruentaria, in qua
fruges collectæ reponuntur.

Ad ipsum diuerticulum] id est, deflexum viae du-
cetem ad villam. Vn violet ou sentier qui va à la gran-
ge. Est enim diuerticulum semita, deflectens à via pu-
blica in villam alicuius. Vnde diuerticula querere pro-
uerbialiter dicitur, qui elabi cupiens, non tritas regiasque
vias, sed deflexus paucis notos & peruios sequitur. Est
& diuerticulum taberna & mansio quadam tempo-
raria, vbi pernoctandi causa vel edendi, vel declinandæ
aëris intemperiei viator hospitatur: quam Græci ἀπα-
νοῦ appellunt.

Constiti] restiti à consisto. Gestum cogitandi per-
spicue indicat.

Hem biduum] Cogitatio incerti amantis qui amoris
impotentia victus, ante statutum tempus rure redit.

Biduum] quasi seculum putat. &

Hic] ruri, vbi nulla est amicorum & familiarium
frequentia, quæ animum ab his molestis cogitationibus
auocent. Est autem elegans contentio vtriusque rationis
in homine.

Quid tum postea?] dictamen videtur superioris
rationis.

G 3

Quid?

Quid est nihil] *Inferioris à vti deois.*

Si non tangendi copia est] *facultas, potestas. Participalia hæc quæ absolute leguntur, à passivis videntur duci, tangendi & videndi, id est, ut tangi & videri possit.*

Si illud] *tangere.*

Hoc] *videre licebit. Expositio sententiæ.*

Certè] *saltem. Cicero in finibus. Res enim fortasse vere, certè graves non ita tractabuntur, ut debent.*

Extrema linea] *infima: quæ in visu est. Alludit ad quinque amoris lineas. At Nanus translationem putat esse à forma theatri quod diuisum est primum in cuneos, deinde in lineas, id est, intersepta quadam, quæ fiebant, ne compressio fieret spectantium. Ouid.*

— *Cogit nos linea iungi.*

Hic lineam pro ordine possit. Hinc puto etiam Manasse.

— *Mors vltima linea rerum.*

Erasmus ad cursus & carceres refert proverbium. Sensus est itaque. Extremo in amore bono frui, nonnihil est. Et tunc extrema linea auferendi casus est. Amare autem ut hic Donatus notat, est amore frui. Habet verò hæc sententia vim epiphonematis.

Villam prætereo sciens] *redeundo, ut eundo imprudens.*

Sed quid est, &c.] *Parascene ad sequentem scenam, & interrogatio mirantis. At ex gestu & habitu loquuntur ancilla, quidpiam esse mali suspicatur.*

Timida] *perturbata, commota. Nam proprie Timidus, est qui ingenio est timido. Timens verò, qui ob causam timore corripitur. Hic aduentitius est timor, illic naturalis & ingenuus.*

ACTVS

ACTVS IIII. SCENA III.

PYTHIAS. DORIAS. PHAEDRIA.



BI ego illum scelerosum misera atque
impium inueniam? aut vbi quæram?
Hocine tam audax facinus facere esse
ausum? P H. perij: hoc quid sit, vereor.

P Y. Quinetiam insuper, scelus, postquam ludificatus
est virginem,

Vestem omnem miseræ discidit: tum ipsam capillo
lo conscidit. P H. hem. P Y. qui nunc si detur mihi,
Ut ego vnguibus facile illi in oculos inuolem venefico?

P H. Nescio quid profectò absente nobis turbatum
est domi.

Adibo. quid istuc? quid festinas? aut quem quæris
Pythia?

P Y. Hem Phædria, egon' quem quæram? ab hinc
quò dignus es cum donis

Tuis tam lepidis. P H. quid istuc est rei?

P Y. Rogas me? eunuchum quem dedisti nobis, quas
turbas dedit?

Virginem quem heræ dederat dono miles, vitiauit.
P H. quid ais?

P Y. Perij. P H. temulenta es. P Y. vtinam sic sint, qui
mihi malè volunt.

D O. Hau obsecro mea Pythias, quid istuc nam mon
stri fuit?

P H. Insanis: quid istuc facere eunuchus potuit? P Y.
ego illum nescio

Qui fuerit? hoc quod fecit, res ipsa indicat.

G 4

Virgo

Virgo ipsa lacrumat : neque cum rogetes quid sit, audeat dicere.

Ille autem bonus vir nusquam apparet : etiam hoc misera suspicor,

Aliquid domo abeuntem abstulisse. P H. nequeo mirari satis,

Quod ille abire ignavos possit longius, nisi si domum Fortè ad nos redierit. P Y. vise, amabo, num sit. P H. iam faxo scias.

P O. Perij, obsecro tam infandum facinus mea tu, ne audiui quidem.

P Y. At pol ego amatores audieram esse mulierum eos maximos:

Sed nihil potesse : verum miseræ non in mentem venerat:

Nam illum aliquò concludsem : neque illi commisissem virginem.

COMMENTARIA.

Hic initium est ἐπιτάφειος. Et queritur de Eunucho Pythias ancilla ob stupratam virginem. Superueniens Phadria, factum non credit. Est autem coniecturalis status. An sit ab Eunucho vitiata virgo. Id per ἀδιωκτόν refellit Phadria. Verum esse probat Pythias à consequentibus, & signis. Iucunda est concertatio, & plurimum habet voluptatis. Constat autem exordio, propositione, & confirmatione.

Vbi ego illum] Concitatum est exordium, & in Cheream contumeliosum.

Scelerosum] multis sceleribus nobilem.

Atque impium] ἀθέμιος indignitatis. Nam scelerosus in homines, impius in deos hominesque. Virg.

Thalamo

Thalamo quæ fixa reliquit

Impius.

Aut vbi quæram] Hysterologia ad iratæ perturbationem indicandam. Prius enim querimus, quam inveniamus.

Hoccine] indignitas à re ipsa. Facinus facere, Atticissimus est redolens vetustatem.

Quinetiam insuper] exaggeratio criminis à consequentibus. At duas coniunctiones eiusdem significationis Atticorum more coniunxit.

Postquam ludificatus est] Cum hæc omnia sint facti adiuncta quæ indicant vim illatam virgini, ea tamen ita narrat, quasi sint consequentia & post stuprum facta: quò magis crimen exaggeret. Est sanè elegans ἑπιτάφειος per vim stuprata virginis. Caterum attende quam dissimili figura orationis narretur idem factum, quod ipsemet Chærea narrauit, vt copiam poëta agnoscas.

Ludificatus est] ἐλλαντισμός. Recentiores Grammatici synthesin appellant. Est autem ludificari per ludum iocumque fallere, & honestè translato usus est loco propriè vitiauit.

Vestem omnem] Hæc omnia sunt reluctantis inditia, ad puellæ nupturæ excusationem, ne videatur amatori sua voluntate obsequuta.

Tum ipsam capillo conscidit] Observatu dignum est, Conscindo ex illis esse verbis quæ trifariam efferantur. Conscindo illam capillum, Græco idiomate dicimus. Conscindo illi capillum, & Conscindo illam capillo. Capillus, quod Plautus capillum dixit, vt annotat Nonius, capitis pilus est, seu crines: in viris quidem propriè Cæ-

5 5

saries,

saries, ait Seruius.

Qui nunc si detur mihi] *Αὐτὸ δὲ ἔτι* est optandi aduerbium, pro *utinam*. hoc sensu. Qui nunc *utinam* detur mihi. *Αὐτὸ ἀποσιώπῃσι* *ἰνδικτῆ* desiderium indicans.

Vt ego vnguibus] *ἐκπλαγῆσι* muliebris. Mulierum Vt. enim omnis defensio lingua & vnguibus constat. Vt autem aut telicon est, aut quomodo significat, seu quam.

Inuolem] *πρᾶσενσ* potentiale, id est inuolare velim. Est autem Metaphora ab accipitribus *πρᾶδᾶμ* inuolantibus. At inuolare cum à vola est, surripere significat. Catullus.

Huc redde pallium mihi meum quod inuolasti.

Venefico] proprium est amatori conuitium. Nam philtia & amatoria venena sunt, quæ qui porrigit, non tantum est veneficus, sed etiam quicumque malis artibus, & quacunque improba ratione, seu dolo, seu vi in amore vitur. Vnde declamatorium thema apud Fab. lib. v. 11. Sit lex inquit, Venefica capite puniatur. Sape separanti amatorium dedit. Eundem repudiauit. Per propinquos rogata vt rediret, non est reuersa. suspendit se maritus. Mulier veneficy rea est.

Absente] *supple, me.* Et (nobis) perfecto praterito, turbatum est, addetur. Aut priscum est, absente pro absentibus. Vt præsente pro præsentibus. Nam Nonius Marcellus vtrunq; monoptoton fuisse scribit. Vt apud Plautum in Amphitrione. Nec nobis præsente aliquis quisquam nisi seruis.

Quid festinas, aut quem quæris?] *habitus* concitata mulieris ob inexpectatum factum eleganter exprimit.

Ego

Egon' quem quæram?] *supple, rogas?*

Abi hinc quo dignus es] *Iratorum ablegatio.* & *ta-cita imprecatio.*

Cum donis tuis tam lepidis] *Ironia sarcasmon* respiciens.

Eunuchum quem dedisti nobis] *ἀναστροφὴ* pro quem Eunuchum, quem ordinem exigit recta observatio Grammaticorum. Alij *ἀντιπρῶσιν* Græcam esse volunt, nimirum accusatiuum vice nominatiui. Nam rectum esset Eunuchus quem dedisti nobis, &c.

Virginem quam heræ] *Propositio incusationis Phæ-dria.*

Temulenta es] rem transfert ad personam. Et est obliqua intentionis depulsio, & acerba, quasi ex ebrietate absurda loquatur.

Vtinam sic sint] *temulenti.* *syllipsis* per genera, similem mæstitiam, & animi dolorem maleuolis imprecatur.

Mea Pythias] *Vides nomen Græcum retinere s,* in vocatiuo, quam paulò antè ademit? *Quem quæris Py-thia?*

Quid istuc nam?] *τῆς* pro quidnam istuc. *Mon-strum* sanè est Eunuchum vitare posse virginem.

Insanis] *Aut deliras, aut tumultenta es.* *Conuitium* in valde absurda loquentem.

Qui istuc? &c.] *refutatio* per simplicem conclusio-nem ab impossibili, quæ firmamentum continet defensio-nis Phædria. *Ac si diceret.* Eunuchus est, non igitur po-tuit vitare virginem.

Ego illum nescio qui fuerit] *infirmitas,* seu infirma-tio argumenti Phædria. *quasi diceret,* *Ac non fuit Eiu-nuchus.*

nuchus. sed per ἀποδείξιν orationem variat, quæ assue-
rationis vim habet. At hîc duplex est enallage illum
pro ille, qui pro qualis.

Hoc quod fecit, res ipsa indicat] Probatio ab effe-
ctis, seu à signo necessario, vult enim dicere. Compressit
virginem, igitur non fuit Eunuchus.

Virgo ipsa, &c.] Antecedens argumentationis pro-
bat à signis. Nam virginis lacrymæ, pudor consistendi,
fuga Eunuchi, indicat ab eo virginem corruptam fuisse.

Aliquid domo abeuntem] furti suspicionem ad stu-
prum addit, exaggerationis gratia.

Nequeo mirari satis] fide facta Phædriæ, nihil am-
plius superest, quàm vt queratur Eunuchus ad suppli-
cium. Et quia potissimum facti argumentum præbebat
illius fuga, miratur quo abierit. Et est præparatio ad se-
quentem scenam.

Nisi si] σὶ, ἀπέλκεται, ad absolutionem sententiæ ver-
bum aliquod desideratur.

Faxo scias] vt, omittitur.

Infandum facinus] Asperitas ex paronomasia rei
gravitati convenit.

Mea tu] blandientis vocatiui.

At pol ego amatores, &c.] Eunuchi γυναικομανῆς
seu ἄνδρμανῆς id est, mulierosi esse perhibentur. Qui ve-
rò in venerem proni sunt ex his putantur, qui quodam-
modo ἡμίτελῆς εἰσὶν ἄνδρες: nimirum quibus pube-
scentibus succisi sunt testes, aut elisi. Præterea qui hepa-
te sunt natura calidiores, & vasa genitalia habent ca-
paciora.

Sed nihil potesse] volunt quidem, sed non possunt:
quia genitalia organa, mutila habent & vitiata. Est
tamen

tamen quoddam Eunuchorum genus, quos ἑλκεῖται ἀπὸ
ἁλῆσεως, id est à contusione nominant. Nam ait Pli-
nius. Homini testes tantum iniuria, aut sponte natura
franguntur, idq; tertium ab Hermaphroditis et spædonibus
seminari genus habent. Hi igitur sunt ἑλκεῖται, qui &
generare posse perhibentur. Qualem accepimus fuisse
Hermiam dominum Atarnei amicum summum Plato-
nis & Aristotelis. Ille ἑλκεῖται ὄντιν γυναικῶν
rem suam fecisse traditur, & ex illa suscepisse Pythia-
da filiam, vt annotat Camerarius in suis in vtranque
linguam Commentarijs. Phauorinus quoque Philosophus
cum Eunuchus foret, adulterasse creditur consularis vi-
ri uxorem, & eo nomine in iudicium est pertractus.

Verum miseræ non in mentem venerat] supple,
id facturum. nunquam cogitarem illum aliquid posse.
Gall. mais ie n'eusse iamais pensé cela. Nam si (eos mu-
lierum amatores maximos) subaudias, inconsequens erit
oratio, nec satis causæ, ob quam obseruari & concludi ali-
quò deberet. Significat se nihil istiusmodi ab illo expe-
ctasse, sed ne cogitasse quidem.

Nam illum conclussem] Synaresis pro conclusissem.
quò Ab eo quod factum non est probat se non cogitasse. Et
est μετὰφορα à feris.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

PHAEDRIA. DORVS eunuchus.

PYTHIAS, DORIAS.



XI foras scelestè. at etiam restitas?
Fugitiue prodi, malè conciliate. D. obsecro.
PH. oh,

Illud vide os vt sibi distorsit carnifex.

Quid

Quid huc reditio est? quid vestis mutatio est?
 Quid narras? paululum si cessassem, Pythia,
 Domi non offendissem, ita iam ornabat fugam.
 P Y. Habes ne hominem amabō? P H. quid ni? P Y. ō
 factum bene.
 D O. Istud pol verò bene. P Y. ubi est? P H. rogitas
 non vides?
 P Y. Videam obsecro, quem? P H. hunc scilicet. P Y.
 quis hic est homo?
 P H. Qui ad vos deductus hodie est. P Y. hunc oculis
 suis
 Nostrarum nunquam quisquam vidit Phædria.
 P H. Non vidit? P Y. an tu hunc credidisti esse, obse-
 cro,
 Ad nos deductum? P H. nanque alium habui nemi-
 nem. P Y. hau,
 Ne comparandus hic quidem ad illum est: ille erat
 Honesta facie, & liberali. P H. ita visus est
 Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
 Nunc eò tibi videtur foedus, quia illam non habet.
 P Y. Tace obsecro, quasi verò paululum interfiet.
 Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
 Quem tu verò videre velles Phædria.
 Hic est vetus, vietus, veterinosus, senex,
 Colore mustellino. P H. hem, quæ hæc est fabula?
 Eò redigis me, vt quid egerim, egomet nesciam.
 Eho tu, emin' ego te? D O. emisti. P Y. iube mihi de-
 nuò
 Respondeat. P H. roga. P Y. venisti n' hodie ad nos?
 negat.
 At ille alter venit annos natus sedecim,

Quem

Quem secum adduxit Parmeno. P H. agedum hoc
 mihi expedi
 Primum: istam quam habes, vnde habes vestem?
 taces?
 Monstrum hominis: non dicturus? D O. venit Chæ-
 rea,
 P H. Frater ne? D O. ita. P H. quando? D O. hodie. P H.
 quam dudum? D O. modò.
 P H. Quicum? D O. cum Parmenone. P H. noras ne
 eum prius?
 D O. Non: nec qui esset, vnquam audieram dicier.
 P H. Vnde igitur fratrem meum esse sciebas? D O.
 Parmeno
 Dicebat eum esse: is dedit hanc vestem mihi. P H.
 occidi.
 D O. Meam ipse induit: post vnà ambo abierunt fo-
 ras.
 P Y. Iam satis credis sobriam esse me, & nihil men-
 titam tibi?
 Iam satis certum est, virginem vitiatam esse? P H.
 age nunc bellua,
 Credis huic, quod dicat? P Y. quid isti credam? res
 ipsa indicat.
 P H. Concede istuc paululum. audin' etiam nunc
 paululum. sat est
 Dic dum hoc rursus, Chærean' tuam vestem de-
 traxit tibi?
 D O. Factum. P Y. & ea est indutus? D O. factum. P H.
 & pro te huc deductus est? D O. ita.
 P H. Iuppiter magne, ō scelestum, atq; audacem ho-
 minem, P Y. væ mihi,

Etiam

Etiā nunc credis indignis nos esse irrisas modis?
P H. Mirum, ni tu credas, quod iste dicat. quid agam
nescio.

Heus tu, negato rursus, possum'ne ego hodie ex te
exculpere.

Verum? vidisti' fratrem Chæream? D O. non. P H.
non potest

Sine malo fieri, video: sequere hâc: modò ait, mo-
dò negat.

Ora me. D O. obsecro te verò Phædria. P H. intro.
D O. hoi, heï.

P H. Alio pacto honestè quomodo hinc abeam, ne-
scio.

Actum est siquidem, tu me hîc etiam nebulo iudifi-
cabere?

P Y. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quàm
me viure.

D O. Sic est. P Y. inueniam pol hodie, parem vbi re-
feram gratiam.

Sed nunc quid faciendum censes Dorias? D O. de
istac rogas

Virgine? P Y. ita, vtrum taceámne, an predicem? D O.
tu pol si sapiis,

Quod scis, nescis: neque de eunucho, neque de vitio
virginis.

Hac re & omni te turba euolues, & illi gratum fe-
ceris.

Id modò dic, abisse Dorum. P Y. ita faciam. D O. sed
vide ón' Chremem?

Thais iam aderit. P Y. quid ita? D O. quia cum inde
abeo, iam tum inceperat

Turba

Turba inter eos. P Y. aufer aurum hoc: ego scibo
ex hoc quid fiet.

COMMENTARIA.

*Phædria multis & acerbis conuitijs Dorum Eunuchū
petit, quem virginem vitiasse putat. Per hunc dolus Chæ-
rea proditur. Quare veritus Phædria Thaidem, Eunu-
chum submonet, vt quod dixerit, neget.*

*Exi foras scelestè] Iucundus est error Phædria, &
permultum voluptatis spectatoribus affert.*

*At etiam restitas?] resistis, cessas. At vim habet in-
crepandi & etiam temporis significationem, pro adhuc.*

*Fugitiue] superioribus annectit Camerarius. Est au-
tem epitheton proprium seruorum heros suos deserent-
ium, & aufugientium. Hos qui reprehendunt, fugiti-
uarius dicuntur.*

*Prodi malè conciliate.] Hoc Plautinum est, id est in-
feliciter comparate. aquis & acheté à malheure.*

Obsecro] imperfecta attoniti & perturbati oratio.

*Oh, illud vide] hîc distinctionem facio, vt sit atten-
tio ad sequentia.*

*Os vt sibi distorsit] vt turpiter componit vultum.
comme il se contrefait, comme il tort la gorge?*

*Quid huc reditio est?] antiqua heterosis, pro quid
huc redisti? cur vestem mutasti? & Epitrochasmos.
Nam plura terribiliter interrogat, vt apud Verg.*

-Quæ causa via est, qui'ue estis in armis?

Quo'ue tenetis iter?

*Domi non offendissem] Coniectura à signis, nam
reditio, vestis mutatio, fuga suspicionem dabant.*

Hunc oculis suis, &c.] Inficiatio cui pleonasmos affe-

H uer an

uerandi vim addit. Et est iucundus error de Eunuchis.

Namq[ue] alium] supple, credidi ut sit. Credidi hunc ad vos deductum esse. Namq[ue] alium & c.

Ille erat honesta facie] Contentio est dissimilitudinis.

Quia varia veste] excusatio ex habitus dissimilitudine. varia veste, id est phrygionica, & polymita, versicolori. Dicitur autem proprie de disparibus coloribus varietas ut ait Cicero II. de Finibus. Hebrei huiusmodi vestem *קַמְצָרִית* appellant, varijs floribus & animalium figuris omni genere colorum intextam, aut potius *קַמְצָרִית* qualis fuit Iosephi à fratribus venditi. At varia veste utebantur principes, pueri, virgines, & Eunuchi, ut ex Homero lib. x. & Plinio videre licet, & ex omnibus orientis populis maximè Phryges.

Nunc eo] ideo.

Fœdus] deformis.

Quasi verò] sub. id dicis.

Paulum interficit] veste tantum.

Ad nos deductus est] contentionem superiorem explicat.

Quem tu verò] id est, visu pulcherrimus, & gratissimus. Gall. tu prendrais plaisir à le voir.

Hic (st) altera pars antitheseos, quæ continet characterismum alterius Eunuchi. Similis est apud Plautum in Mercatore Acheronticus senex, vietus decrepitus.

Vetus] rugosus.

Vietus] mollis, ac vigore carens, ideo inflexus. Sextus Pompeius scribit, vietum esse id, quod vi, naturâ priuatum sit. Ideo fit, ut molle, flexile, languidum, & flaccidum, vietum dicamus. Vietas bassas, & fruges, dicit

Cicero

Cicero: quæ plus satis maturæ deciduæ ex arbore pendunt, aut gluma contineri amplius nequeunt. Vieta poma Varroni de re Rustica sunt, humore defecta & flaccida.

Vietus] mol, lasche, flestri.

Veternofus senex] Hac simul iungi possunt. Veter-nus quem *ἄσθαγρον* Græci dicunt, est apostema frigidum, phlegmate vel atra bile natum in posteriori parte cerebri, inexpugnabilem penè dormiendi necessitatem inducens, magnamq[ue] obliuionem: vnde à Græcis nomen quoque sortitur. Ceterum tam Græcum quàm Latinum nomen pro otio, & obliuione *μεταφορικῶς* subinde legas. Plautus lethargum patitur, sui paulisper oblitus est. Virg.

Nec torpere graui passus sua regna veterno.

Id est nimio otio & inertia. At veternum veterem morbum, & veternosum appellat Donatus: non tantum qui lethargo laborat, sed qui morbo vetere, diuturno longoq[ue] confectus est: qualis est phthisis, aqua intercus, & c. Porro Eunuchos veternosos in senectâ fieri & hydropicos saepe quidem experimento didicimus, quod fieri putant, non tantum ob icccris refrigerationem, sed etiam intestinorum, Renum, & septi transversi. At præter tumorem, vitiatum etiam colorem, veternus morbus (maximè aqua intercus) afferre solet: nimirum ex virore albican-tibus agris. Itaq[ue] subiungit.

Colore mustellino] id est, flauo instar mustellæ. Apuleius mustellatos peplos appellat. Est autem is color subliuidus, & lentiginosus, cuiusmodi apparet in vestibus cruore maculatis.

Ut quid egerim, & c.] id est, emerim istum nec ne.

Emin' ego re?] *Ridicula percunctatio dubitantis.*

Venisti' hodie ad nos?] *Metonymia ad ades nostras. Paulatim sternit viam ad doli proditionem.*

Taces?] *Veretur prodere Chæream. sed heri increpatione cogitur.*

Monstrum hominis] *monstrose homo. Endyadis.*

Non dicturus?] *supple, es.*

Venit Chærea] *Timidè rem profert, & circuitione utitur.*

Frater'ne?] *singula rogat more quaesitorum, qui de testibus sciscitantur.*

Me esse sobriam.] *Quia dixerat Phædria Temulenta es.*

Iam satis certum est] *Epanaphora ad reprehensionem Verò reluctantis & aperte conuicti.*

Credis huic, &c.] *rem ad personam transferre nititur.*

Res ipsa indicat] *ad rem reuocat Pythias.*

Concede istuc] *hæc summissè ad Dorum.*

Etiam nunc paululum] *concede, supple. Etiam nunc adhuc. encores Vn petit.*

Dic dum hoc, &c.] *hoc elatè.*

Ve mihi] *dolentis non imprecantis.*

Mirum ni tu credas] *Rursum argumentum à qualitate personæ vrget: & dolet fratrem prodi.*

Quid agam nescio] *hæc summissè.*

Rursum] *Contrà.*

Possum'ne exculpere verum] *hæc clarè & minaciter, verum simulat extorquere velle, quod tamen nolit proferri. Exculpere est sculpendo educere, & effodere, & per Metaphorã extorquere significat. Estq; hoc comicum*

eum planè, & vetustatem redolens. Lucillius. Vti esuriienti Leoni ex ore exculperet prædam.

Video] *Ut, auditur: aut sententiam facit à priori separatam. Je le voy bien.*

Sequere hac] *quasi ad tormenta.*

Modò ait, modò negat] *causa cur torquere velit, nempe ob testimonij mutationem.*

Ora me] *hoc clam.*

Hoi, hei] *eiulantis & plorantis.*

Alio pacto] *hæc ad spectatores. Ut doceat cur Dorum introire iusserit.*

Actum est liquidem] *vitiata est virgo à fratre.*

Tu me hic etiam nebulo] *sermonem ad Dorum conuertit, & simul scenam deserit.*

Hanc technam] *imposturam, ceste finesse & tromperie.*

Inueniam hodie] *ἐπιληξίς quæ œconomiam facit ad futuram Parmenonis ludificationem.*

Vtrum taceam an prædicem] *Propositio consultationis.*

Tu polli sapis, quod scis nescis] *Proverbialis forma silentium iniungentis.*

Hæc re] *suasio ab vtili. hoc modo.*

Omni turba] *tumultu.*

Euolues] *expedies, liberabis.*

Et illi gratum feceris] *illi, Chærea'ne an Phædriae?*

Aufer aurum hoc] *Ne in scena maneat persona mista, Dorias abit.*

Ego scibo] *antiquè, pro sciam. Cæcil. Audibis malè, si malè dicis mihi. Sic enim futurum indicatiui quartæ coniugationis olim desinebat.*

ACTVS IIII. SCENA V.

CHREMES PYTHIAS.



Tat, data herclè verba mihi sunt: viciè
vinum quod bibi.

Ac dum accubabam, quàm videbar mi
hi esse pulchrè sobrius!

Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum
officium facit.

P. Chreme. c. quis est? chem Pythias, vah quanto
nunc formosior

Vidère mihi, quàm dudum? P. certè tu quidem pol
multò hilarior.

C. Verbum herclè hoc verum est: SINE CERERE
ET LIBERO FRIGET VENVS.

Sed Thais multò antè venit? P. an'ne abiit iam à mi
lite?

C. Iandudum ætatem: lites sunt inter eos factæ ma
ximæ.

P. Nihil dixit tum, vt sequerè se se? C. nihil, nisi
abiens mihi innuit.

P. Y. Eho, nonne id fat erat? C. H. at nesciebam id di
cere illam, nisi quia

Correxit miles, quod intellexi minus, nam me ex
trusit foras.

Sed eccam ipsam. miror vbi ego huic anteuerte
rim.

COMMENTARIA.

Reuertitur Chremes à milite semipotus, & suum ma
lum sentiens, per occasionem exprimit ebrietatis effectus,

qua

qua interdum corripiuntur qui sibi maximè sobrij vi
dentur, potissimum verò rustici: qui vbi semel se
conuiujs dederint, facile in luxum & ebrietatem sol
uuntur.

Viciè vinum quod bibi] Metaphora à luctantibus.
Ideo Plautus in Pseudulo, vinum appellat luctatorem
dolosum.

Ac dum accubabam] Vnde Cicero accubationè epu
larem conuiuium appellat in Catone maiore. Sellas autem
quibus accumbabant, κλίνας, κλινας, κλινας, id est,
lectos & lectulos appellabant, seu toros humi iacentes,
ex lignis ramis'ue structos. Virgilius videtur spondas
nuncupasse. (Græcis enim κλίνα sponda dicitur) primo
Æneid.

-Auleis, inquit, iam se regina superbis,
Aurea composuit sponda.

Et ait Seruius maiores nostros epulari solitos sedentes,
idq; habuisse à Laconibus & Cretensibus. Pedes verò
mensæ apud Priscos fuere terni. Ouidius Metamorph.
octauo.

-Mensa sed erat pes tertius impar.

Ideo Græcis de numero ductum nomen videtur. Sed &
quadrupes mensa nomen πέντε & retinuit. Mensæ
quoque ante epulas ponebantur, & postea aufereban
tur. id est, παρτίθετο & ἔπειτο Plaut. Pone puer men
sulam. Virgilius.

-Mensæq; remota.

Quàm videbar mihi pulchrè sobrius] Non enim
statim vinum exerit vim suam, sed (vt inquit sapiens
ille in apophthegmatis) ingreditur blandè, & in fine
suo, vt serpens mordere solet.

H 4

Neq;

Neque pes neque mens satis, &c.] De vini efficacia Xenophon in symposio disertè docet. Vinum enim irrigans animos tristitiam consopit, non secus ac mandragora homines: affabilitatem excitat, ut oleum flamma. Et sanè conuiuia rationem habere videntur cum terræ satis, quæ irrigata paulò fusius, erigi nec possunt, nec ventis afflari: mediocriter verò rigata, crescunt recta, & fructus suos ad maturitatē perducunt. Ita quidem si biberimus paulò largius, nec corpus nec animus in officio esse possunt, nec scit mens quid loquatur. Sed ipsius Xenophontis verba libet ascribere propter similitudinis elegantiam.

Ὅτι γὰρ ὄντι οἶνον ἄρδων τὰς ψυχὰς, τὰς δὲ λύπας ὡσπερ ὁ μανδραγόρας τὴν ἀνθρώπου κοιμίζοι. τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὡσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει. δοκεῖ μὲν τοι μοι καὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων συμπόσια τὰυτὰ πασχῆν, ἀπὸρ καὶ τὰ ἐν γῆ φρομένων. καὶ γὰρ ἐκεῖνα ὅταν μὲν ὁ θεὸς αὐτὰ ἀγαρ ἀδρόως ποδίζη, ἔδιώταται ὀρθῶς, ἔδλε τὰς αἰσῶν διαπνεῖται. ὅταν δὲ ὅσῳ ἴδεται τοσούτω πίνῃ, καὶ μάλα ὀρθῶς τε αὐξεται, καὶ θάλλοντα ἀρηνεῖται εἰς τὴν καρπογονίαν. οὕτω δὲ καὶ ἡμεῖς, ἢ μὲν ἀδρόως τὸ ποτὸν ἐγχεώμεθα, ταχὺ ἡμεῖς καὶ τὰ σώματα καὶ αἰ γῶμαι σφαλῶνται, καὶ ἔδλε ἀναπνεῖν, μὴ ὅτι λέγεται τι διωσόμεθα, &c.

Nec pes] nomine pedis cetera corporis membra intelligit. Nam Ebrj maxime incessu dignoscuntur. Titubant enim, nec vlla ipsis lata satis est via. Itaque Plautus, Magnum, inquit, hoc vitium inest vino, pedes captat primo. Et Vergilius.

Sic copia vini

Et tentat gressus, debilitatq; pedes.

Nec mens] Eleganter Seneca appellat ebrietatem
volunt

Voluntariam insaniam. Obruitur enim ratio, ut nihil consultè aut moderatè dicat, faciàtue. Quare non ineptè ab Athenæo dictum est. τὸν οἶνον δὲ ἔχειν πηδάλια. Id est, vinum carere clauo. Porro hoc perpotandi vitium peruetustum est, & Græcis vsitatum: Vnde & pergracari verbum crapulae habet significationem. Cautiores autem in conuiuijs ad bibendum laceßiti, quibusdam ebrietatem prohibentibus vtebantur, quæ ἀμύθησα appellabant. Ut docet Cælius lectio. antiq. lib. 1111. cap. 111.

Vas] arridentis cum gestu.

Quanto nunc formosior] Non solum amatoribus, sed ebrjjs quoque τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέρασαι. Ut de Anacharside fertur, cui cum ex conuiuijs quidam obijceret, quod uxorem admodum fædam & deformem dixisset. Sanè inquit. Sed heus tu puer vinum funde meratius, ut illam formosam efficiam.

Certè tu quidem pol multò hilarior] Modestè ebrietatis nomen hilaritate commutat ad odium vitandum.

Sine Cerere & libero friget Venus] Proverbialis Allegoria tribus metonymijs ornata, quam diuus Hieronymus crassiore Minerua explicauit, episto. xxxvii. Ventrem, inquit, distentum mero & cibo, sequitur voluptas genitalium. Et nostrate proverbio idem dicimus. apres la pance vient la dance. Significat enim hæc Allegoria, libidinem gastrimargiæ comitem esse. Ceterum à gerendis frugibus Cererem dictam esse volunt, quarum dea esse fingitur. Hæc enim ait Ouid.

Prima dedit fruges alimenta q; mitia terris.

Fuit autem Saturni Opis q; filia, Proserpinæ mater. Cui

templum ab Arcadibus primum extructum fuisse aiunt. Romæ verò in Capitolio seu palatio fuit, in quo ipsi dea sacra à solis matronis quotannis alba veste fiebant. Lege Plinium, Alex. ab Alex. & Calium.

Bacchi tres fuisse perhibentur. Vnus ex Ioue & Io. in Bœotia natus, vitis & Xirhi inuentor, qui Indiam bello subegit intra triennium, & primus elephanto Indico triumphauit. Alter ante hunc ex Ioue & Proserpina natus, qui boues primus aratro iunxit, & serendi vsum docuit. Tertius ex Ioue & Semele, de quo poëta fabulantur. Liber autem ideo dictus est, quia vini Deus, quo animus curis liberatur. Vel à libertate lingua, qua benè poti vti solent. Vel quia priscis libertatis Deus est habitus.

Venus ex cali pudendis & spuma maris progenita fertur. ideo à ποδὶτιω Græci appellant. Amoris dea est & libidinis: ideo vita præses, eademq; mortis: sed tunc libitinam vocant.

Friget] remissa est, languida & ignaua.

Iandudum ætatem] id est, iam longo tempore. τὴν ætatem Linacer inter aduerbia temporis enumerat.

Nisi abiens] Nisi, sed.

Id dicere] innuere.

Correxit miles] Méne an Thaidem? Vult fortè dicere. me increpauit, quòd Thaidis nutum non intellexerim: Aut Thaidem correxit, quòd mihi innuerit, sed id non intellexi.

Quod intellexi minus] id est, verba corrigentis non audiui, quia me foras expulit.

Vbi ego huic anteuertirim] præcurrerim, præuertirim. *Je m'esbahi ou ie lui ay passé deuant.* Anteuertere

eere dativo iungitur. Præuertere frequentius accusatiuo. Vergil.

Volucrem q; fuga præuertitur Habron.

Alioqui significatione conueniunt.

ACTVS IIII. SCENA VI.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.



REDO equidem illum iam affuturum esse, vt illam à me eripiat: sine vt Veniat: qui si illam digito attigerit vno, oculi ilico effodientur.

Vsque adeo ego illius ferre possum ineptias, & magna verba.

Verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.

c. Thais, ego iam dudum hinc adsum. τ. ò mi Chreme, te ipsum expectabam:

Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? & adeo ad te attinere hanc

Omnem rem? c. ad me? qui? quasi isthuc. τ. quia dum tibi sororem studeo

Reddere, & restituere, hæc atque huiusmodi sum multa passa.

c. Vbi est? τ. domi apud me. c. hem. τ. quid est?

Educta ita, vti teq; illa q; dignum est. c. quid ais? τ. id quod res est.

Hanc tibi dono, neque repeto pro illa abs te quidquam pretij.

c. Et habetur, & refertur à me Thais tibi, ita vti merita es, gratia.

τ. At enim caue, ne prius, quàm hanc à me accipias, amittas

amittas Chreme,
 Nam hæc ea est, quam miles, à me vi nunc ereptum
 venit.
 Abi tu, cistellam Pythias domo effer cum monu-
 mentis?
 c. Viden' tu illum Thais & p. vbi sita est. r. in risco,
 odiosa cessas?
 c. Militem secum ad te quantas copias adduceres?
 At at. r. num formidolosus obsecro es mi homo?
 c. apagesis,
 Ego formidolosus & nemo est hominum, qui viuat,
 minus.
 r. Atque ita opus est. c. hau metuo, qualem tu me
 esse hominem existumes.
 r. Imò hoc cogitato, quicum res tibi est, peregrinus
 est,
 Minus potens, quàm tu, minus notus, amicorum
 hinc habens minus.
 c. Scio isthuc. **S E D T V Q V O D** cauere possis, stul-
 tum admittere est.
 Malo ego nos prospicere, quàm hunc vlcisci acce-
 pta iniuria.
 Tu abi, atque ostium obsera intus, ego dum hinc
 transcurro ad forum,
 Volo ego adesse hinc aduocatos nobis in turba hac,
 r. mane.
 c. Melius est. r. mane. c. omitte, iam adero. r. nihil
 opus est istis Chreme.
 Hoc dic modò: sororem illam tuam esse, & te par-
 uam virginem
 Amisisse, nunc cognosse; signa ostende. p. adsunt.
 r. cap

r. cape.
 Si vim faciet, inius ducito hominem, intellexin' & c.
 probè.
 r. Fac animo hæc præfenti dicas. c. faciam. r. attolle
 pallium.
 Perij, huic ipsi est opus patrono, quem defensorem
 paro.

COMMENTARIA.

*Thais à milite rediens, adeo commota est, ut etiam-
 num in absentem inuehatur. Aduersus hunc Chreme-
 tem confirmat, seq. ad pugnam parat. Chremes vero ti-
 midus abijt quæsiturus aduocatos sibi.*

*Credo equidem illum] De personis notis loquens.
 Relatiua sine antepositis posuit, quod iratis peculiare est.*

*A me eripiat] præter accusatiuum, ablatiuum etiam
 cum præpositione à vel ab, &c. συγκατανοηµατικῶς
 suscipiunt actiua, quæ ablationem separationemue signi-
 ficant. Qui etiam ablatiuus in datiuum mutari potest,
 ut mihi eripiat.*

*Sine ut veniat] Permissio comminantis. Et in hac lo-
 quendi figura, sapius ut, suppressum videas.*

*Atqui si illam digito vno, &c.] Amplificat per
 extenuationem.*

*Oculi ilico effodientur] eruentur, fœminea commi-
 natio.*

Vsq. adeo] sanè, profectò.

*Ferre possum] innuit difficilem Vanitatum ipsius
 patientiam esse, adeo ut vix ab amica ferri possit, nedum
 à ceteris.*

*Magnifica verba] odiosè, id est, sui ipsius iactatio-
 nem.*

nem. Aut minas.

Verba dum sint] dummodo verba tantum sint;

Verum enim] τὸ enim ornativa est.

Si ad rem conferentur] id est, si præstare quæ dixit nitatur, si opere tentet exequi, s'il les rapporte en effet, s'il les veut mettre en execution.

Scin' tu turbam hanc] Transfert causam iurgij in adolescentem, & ab ijs quæ passa est propter illum, sibi benevolentiam parat. Est autem velut quædam πρὸτασις exordij.

Et adeo] etiam, Aut valde significat.

Ad te attinere hanc omnem rem] attentionem captat.

Ad me?] Admirantis.

Quis?] quomodo?

Quasi istuc] supple, curem aut norim.

Quia dum studeo] κατασκῶν ἢ προαίσεως.

Reddere ac restituere] οὐνονομία, nisi quod in posteriore ἔμφασίς est maior. Redduntur enim plerunque deteriora quàm accepimus: Restituuntur integra. Reddi potuit soror corrupta, aut vitio aliquo deformata, non autem restitui nisi sana, & virginitate integra, qualis à prædonibus capta est. Significat itaque studuisse, illam non solum fratri reddere, sed etiam virginem, & intactam.

Hæc atque huiusmodi sum multa passa] rem epithetis reddit grauiorem. Hæc non pauca, sed multa, & istiusmodi.

Hem] timentis pudicitia sororis quæ apud meretricem est.

Quid est?] interrogatio intelligentis metum adolescentis,

scientis, cui occurrit statim & suspicionem diluit.

Educta ita ut teq̄ illa] hæc cum pondere pronuntianda. Nam ideo coniunctionis repetitio tardam grauemq̄ efficit orationem.

Dignum est] desideratur οὐλλυπτικῶς illam eductam esse,

Quid ais?] miratur verum esse.

Id quod res est] Confirmatio ad suspicionem tollendam. id est, quod verum est.

Hanc tibi dono do] ἀπόδοσις quædam.

Neque repeto] expositio eiusdem sententiæ, sed cum magna emphasi.

Quicquam] quantulumcumq̄ sit pretij.

Abs te] qui potens es & locuples.

Pro illa] Germana, pro qua redimenda tuis facultatibus minime parci oporteret.

Et habetur & refertur] honesta & elegans gratiarum actio. Sed quæri possit, cur referendi verbo utatur, cum nullum pretium seu beneficium de restituta sorore rependat. Nam ut docet Valla elegan. lib. v. i. refertur gratia potissimum facta, sed etiam dicto nonnunquam. Et in eam rem Ciceronis exemplum citat in Sallustium. Non enim, inquit, sperasti me mutuum tibi gratiam relaturum, ut vicissim tuos interpellarem. Mihi autem videtur alludere ad rationes accepti & expensi, ac si diceret, se referre datam seu acceptam gratiam, & animo suo ascribere, se Thaidi permultum eo nomine debere, sicuti ratiocinatores dicuntur accepta referre, id est, scribere. In libro acceptorum se recepisse. Confesser & aduouer auoir receu, & l'escrire dans le papier de raison. Id enim referre quandoque Latinis significat. Est itaque sensus.

sensus. Hæc gratia refertur à me tibi accepta, id est, animo meo ascribitur, perinde ac in rationibus accepta scribi solent. *Ie vous en scay grand gré & confesse vous en estre tenu & redevable.* Verum Thomas Linacer ita hunc versum citat. Et habetur & referetur à me Thais, ita uti merita es gratia. ut prior annotavit Rivius.

At enim] *Aduersatiua post ἀπόδοσις, qua accedit ad causam, & pramonet futurae contentions cum milite. Enim post aduersatiuas, At, Verum, & c. ornate locatur.*

Priusquam hanc à me accipias, amittas Chreme] *Commiserationis affectum mouet, ad quem opportuna est nominis compellatio. Caterum quæ fieri potest. ut amittat quod nondum accepit? Fortè quia quodammodo acceptum est, quod promissum admittitur. Nam boni viri pollicitatio, quædam est acceptio. Est enim perinde certa ac si accepta foret.*

Nam hæc ea est] *ἀτιολογία aduersatiua, qua est vice expositionis negotij, atque adeo totius deliberationis. Sed rem exaggerans, Chremem in metum conijcit. Miles, pugnis assuetus. Venit ereptum, non iure, sed vi à me, muliere imbelli, & nunc, primo quoque tempore.*

Abi tu] *festinatio trepidationem arguens, & timorem.*

Cistellam] *id est, scriniolum, arcam. Quod nomen ex Hebraeo fluxisse videtur. Solent enim אָרְנַיָא appellare ut Græci ἀρρίχου.*

Cum monumentis] *id est, cum tabulis & reliquis testimonijs quibus probetur libera virgo. At monumenta sicut Græcis μνημεία & Hebraeis זְכוּרֹת à com-
monendo*

monendo dicta. Porro olim infantibus exponendis, ac ne expositis quidem, certa dabant indicia, ut armillas, bullas, millos, & annulos ceteraq; huiusmodi insignia, per quæ agnoscerentur à suis. Quare existimo ornamenta quæ ferret, cum rapta est virgo à prædonibus, seruata fuisse, ut si quando agnosceretur, maius redemptionis pretium haberent. Ea domo iubet efferi Thais, ne à milite præripiantur, quibus ablatis, deinde cuias sit puella nequeat agnosci.

Viden tu illum?] *militem. Continuandus est sermo cum sequentibus, militem secum ad te quantas copias adducere? Et est interrogatio metuentis & formidolosi. Sed non audit Thais propter Pythiæ interpellationem.*

In risco] *dicit Donatus nomen esse Phrigium, & cistam significare, pelle contactam. Vn bahu. fortè ab extensis laminis dictus est.*

Odiola cessas?] *accelerantis increpatio.*

Quantas copias] *hinc facile Chremetis pauorem colligit Thais, qui paucos militis comites, copias appellat.*

Num formidolosus obsecro es] *id est, formidans. Est enim formidolosus ex illis sic finitis, quæ pariter actiue & passiuè significant. Sallust. Regibus boni quàm mali suspectiores sunt, semperq; his aliena virtus formidolosa est, id est, formidatur.*

Mi homo] *Tacita est à sexu exprobratio timoris, ac si diceret. Tu ne homo, quem mihi defensorem parauit, formidolosus es?*

Apagelis] *Reiectio exprobrationis. Est autem Græcum origine ἀπάγω.*

Ego formidolosus?] *Valla lib. i. cap. xxi. videtur legisse*

legisse Egon formidolosus?

Nemo est hominum, &c.] Timidi praeter ceteris animosiores videri student.

Minus] supple, formidolosus.

Atque ita opus est] formidolosus ne sis, Propositio est totius orationis post negotij expositionem.

Hau metuo, &c.] Ridicule audaciam simulat, cum sit quavis dama timidior.

Metuo] curo & sollicitus sum.

Imo hoc cogitato] Confirmatio ex collatione personarum, epanaphora & enumeratione ornata, qua facilitatem defensionis aduersus militem probat.

Qui cum] qui ablatiuus est pro cum quo, nec ferè nisi cum hac propositione, & in anastrophe reperias.

Scio istuc] τῶ ἀπομολογία, qua refutationem inchoat à tuto per comparisonem: nimirum tutius esse & consultius sibi prouidere ante iniuriam, quàm deinde illam acceptam vindicare & vlcisci.

Sed tu quod cauere possis, &c.] Enthymema à repugnantibus, & secunda pro qualibet.

Admittere] recipere, Metaphora videtur à re militari. Solemus enim hostes aduenientes arcere priusquam castra metentur. Plus sanè negotij est in abigendo vbi resederint, quàm in arcendo cum adueniunt. Et facilius est, qua obsunt non suscipere, quàm semel suscepta expellere ac deponere.

Malo ego nos] Consequens enthymematis, & deest illatiua vox, vt saepe alias.

Hunc] militem.

Accepta iniuria] ablatiuus est consequentiae, id est, post acceptam iniuriam, quasi diceret. Satius est caue-

re ne fiat iniuria, quàm post acceptam occupari in vindicanda.

Tu abi] Consilium aperit ad vim militis vitandam. Et tu abi, inquit, quoniam stabat vterq; foris.

Obsera] sera, claudere.

Transcurro] loci vicinitatem indicat.

Volo ego] Ratio cur abire velit, & causalis vox desideratur.

Aduocatos] defensores, amicos, opitulatores. Cicero pro Cecinna. Qui ad possidendum praedium contulit se cum aduocatis, quorum praesidio ab aduersarij iniuria tutus esset. Qui & ipse venit cum aduocatis suis, sed armatis ad arcendum Cecinnam à praedio. Non absurde etiam hinc testes intellexeris. Nam & Plautus aduocatum pro teste rogato accipit in Penulo. Et aduocare pro testem vel aduocatum rogare, vt alibi ex Budeo diximus.

In turba hac] rixa & tumultu seu turbatione.

Mane] abeuntem alloquitur.

Melius est] aduocatos aduocem.

Mane] hac dicens pallio apprehendit Chremetem, & retinere conatur.

Nihil opus est istis] aduocatis.

Sororem illam tuam esse.] τῶ ἀποχαιρισίῃ & informationem defensionis praescribit meretrici rudi & inexperto adolescenti. Dic modo sororem illam, &c. Propositio est petitionis.

Et te paruam virginem, &c.] Informatio expositionis.

Nunc cognosce] Repetitio propositionis post narrationem.

Signa ostende] *Confirmatio seu probatio inartificialis.*

Signa] *quibus probetur & ciuis Attica, & libera.*

In ius ducito] *iudicium.*

Intellectin' ?] *stupidum adolescentem excitat, de illius ingenio diffusa.*

Fac animo hæc præsentis, &c.] *quasi dicat, cum defensionis informationem & argumentum habeas, superest ut audacter & animosè hanc pronuncies.*

Præsentis] *magno & forti. Nam præsens præter communem & tritam significationem, subitum significat, ut mors præsens, & venenum, quod subito interimit. Et medicina præsens, subitam sanitatem adferens. At quoniam quæ ita subitam vim afferunt, præ cæteris efficaciora esse solent, & præstantiora: inde fit, ut præsens pro præstante, efficaci, magnoq; accipiatur. Ut præsens animus, præsens remedium, præsens virtus, id est, potens, excellens, & imprimis efficax. Ut docet Valla libro 4.*

Attolle pallium] *Toga Romanorum est, pallium Græcorum, quod ab illis ἰματίου dici volunt: unde togata & palliata fabulæ. Porro trahere pallium, aut rusticana & inciuilis est negligentia, aut temulentia. Forte Pallium abeunti ceciderat, nec præ metu aduerterat. Nam sæpe metu percussis solet accidere, ut quippiam amittant, nec sentiant se amisisse.*

Patrono] *defensore. Est enim patronus, ut vult Valla, qui rei causam agit. Aduocatus hoc est generalis.*

ACTVS

ACTVS IIII. SCENA VII.

THRASO. GNATO. SANGA *seruus Thrasonis.*
CHREMES. THAIS.



ANCCINE ego ut contumeliã tam insignem in me accipiam Gnato:
Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.

Primum ædeis expugnabo. G. rectè. THR. virginem eripiam. G. probè.

THR. Malè mulctabo ipsam. G. pulchrè. THR. in medium huc agmen cum vecti, Donax.

Tu Simalio in sinistrũ cornu, tu Syrisce in dextrum. Cedò alios: ubi centurio est Sanga, & manipulus furum? s. eccum adest.

THR. Quid ignaue & periculo'ne pugnare, qui isthuc huc portes, cogitas?

s. Egone? imperatoris virtutè nouerã, & vim militũ: Sine sanguine hoc fieri non posse, qui abstergerem vulnera.

THR. Vbi alij? s. qui malum alij & solus Sannio seruat domum.

THR. Instrue: hinc ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.

G. Illhuc est sapere: ut hosce instruxit, ipse sibi cauit laco.

THR. Idem hocce Pyrrhus factitauit. CH. viden' tu Thais quam hic rem agit?

Nimirum consilium illud rectum est de occludendis ædibus.

THA. Sanè quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo

bulo magnus est.

Ne metuas. THR. quid videtur? GN. fundam tibi
nunc nimis vellem dari,

Vt tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent
fugam.

THR. Sed eccam Thaidem ipsam video. G. quam
mox irruimus? THR. mane.

CONSILIO OMNIA PRIVS EXPERIRI,
quam armis, sapientem decet.

Qui scis, an quæ iubeam, sine vi faciat? G. Dii vo-
stram fidem,

Quanti est sapere? nunquam accedo, quin abs te
abeam doctior.

THR. Thais, primum hoc mihi responde: cum tibi
do istam virginem,

Dixtin' mihi hos dies soli dare te? THA. quid tum
postea? THR. rogitas?

Quæ mihi ante oculos amatorem coram adduxti
tuum?

THA. Quid cum illo agas? THR. & cum eo clam
subduxti te mihi?

THA. Libuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi
vi mauis eripi.

C. Tibi illam reddat? aut tu eam tangas, omnium?
G. ah quid ais? tace.

C. Quid tu tibi vis? THR. ego non tangam meam?
C. tuam autem furcifer?

G. Cauè sis, nescis cui maledicas nunc viro. C. non tu
hinc abis?

Scin' tu, vt tibi res sese habeat? si quicquam hodie
hic turbæ coeperis.

Faciam

Faciam, vt huius loci, diciq; meiq; semper memineris.
G. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias
inimicum tibi.

C. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. G. ain'
verò canis?

Siccine agis? THR. quis tu homo es? quid tibi vis?
quid cum illa rei tibi est?

C. Scibis: principio eam esse dico liberam. THR. hem.
C. ciuem Articam. THR. hui.

C. Meam sororem. THR. os durum. C. miles, nunc
adeò edico tibi,

Ne vim facias vllā in illā. Thais, ego ad Sophronā eo
Nutricem, vt eam adducam, & signa ostendam hæc.

THR. tū' me prohibeas,

Meam ne tangam? C. prohibeo inquam. G. audin'
tu? hic furti se alligat.

C. Satin' hoc est tibi? THR. idem hoc tu ais Thais?
THA. quære qui respondeat.

THR. Quid nunc agimus? G. quin redeamus: iam
hæc tibi aderit supplicans

Vltro. THR. credin'? G. imò certè: noui ingenium
mulierum:

Nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltro. THR.
bene puras.

G. iam dimitto exercitum? THR. vbi vis. G. Sanga,
ita vti fortes decet

Milites, domiq; fociq; fac vicissim vt memineris.

S. Iandudum est animus in patinis. G. frugies. THR.
vos me hanc sequimini.

COMMENTARIA.

Furens miles accedit ad Thaidis domum oppugnandam.

dam, & ridiculè imperatorem agit in instruenda acie, quem tamen interim Gnato falsè irridet. Tandem pertimidus re infecta relinquit Thaidem.

Hancine ego, &c.] Exordium concitatum & indignitatis plenum. Aequum est, decet, aut quod simile desideratur, ac si diceret, an non indignum est me affici tam insigni contumelia?

In me] indignitatem auget à sua persona.

Mori me satius est.] Est hoc militaris decori mortis crepare, sed valde est ridiculum in hoc certamine meretricio, sibi gloriosam mortem aestimare, non secus ac si pro patria dimicaret.

Simalio, Donax] Hos omnes vno spiritu, sine vlla interpiratione aduocat ad pugnam.

Primum aedes expugnabo] id est, pugnando capiam. Ordinem vindicandi minaciter indicat, & militaribus verbis utitur: sed ridiculè admodum se iactat aedes expugnaturum, priusquam oppugnet. Est autem expugnare oppugnando vincere, nec de hominibus dicitur: sed de rebus ad defensionem paratis, ut sunt arces, castra, oppida, naues, aedes, cæteraq; id genus.

Virginem eripiam] Expugnationis præmium.

Malè multabo ipsam] Thaidè, uti rebelles & inobedientes solent, id est, acerbè puniam. Multa propriè pœna pecuniaria est, vnde Multare. Lex enim à Valerio Publicola lata est, ut inobedientes duarum pecudum aut bonis pretio multarentur à Consulibus. Sed de quacunq; pœna nunc dici solet.

Pulchrè] Attende copiam assentatoris ex ipso genere verborum, rectè, probè, pulchrè.

Agmen. In medium huc agmen] supple, accede. Agmen, seu acies,

Acies, trifariam diuidi solet. In primam, mediam, & postremam. In prima acie hi ferè locabantur, hastati, inde principes, postea scutati, & hi omnes antepilani vocabantur. Deinde in media acie erant, lorarij, hinc qui leuiore armatura vterentur: deinde accensi, tanquam supplementarij, qui in demortuorum locum accensebantur. In postrema acie Triarij & subsidiarij, qui vltimo discrimini sustinendo seruabantur, tanquam ferociores, & quibus plus confideretur, quiq; intra scuta subsidebant, ne stantes telis hostium obruerentur. Et cum necessitas vrgeret, tanquam requieti hostem inuadebant: & ab his partem saepe esse victoriam constat. Sed de his plura apud Vegetium, & Modestinum quare, qui de re militari iusta opera scripserunt. Tamen hic ordo, hæc q; nomina quàm variarint, satis notum est. Adhuc tamen Agminis huiusmodi diuisio seruatur. Primum enim priorem custodiam appellant, l'aduantgarde. Medium verò, bellum, la bataille. Postremum posteriorem custodiam, l'arriergarde. Instruere aciem, ordonner ses gens. Explicare aciem. Educere cohortes, les mettre en campagne. Conferre castra seu signa, se ioindre & assembler pour se battre. Preeffe aciei, exercitui, estre coronal. Acie decernere, vuidèr le different par bataille. Ducere ordinem, estre sergent de bende, ou conduire & auoir charge de gens. Supplere exercitum, accomplir & parfaire sa compagnie. Castra mouere, leuer le camp. Facere incendium & populationem effusè lateq; faire gast, bruler & piller. Incurrere in agrum hostium, courir les terres de son ennemi. Sistere aciem, arrester la gendarmerie. Elicere prædatores, attirer au fourrage les ennemis pour les surprendre sans espoir de butin. Classi-

cum canere, sonner à l'assault. *Signum receptui dare*, seu receptui canere, sonner à la retraite. *In tutum cedere*, se retirer en seureté sans perte. *Referre pedem*, retrocedere, reculer. *Comparare auxilia*, chercher secours. *Hostem agere ad castra*, chasser son ennemi jusques dens son camp. *Hosti trepudationem injicere*, donner allarme & frayeur à l'ennemi. *Colligere milites è cursu dissipato*, reassembler ses gens de la fuite. *Equo campo certare*, iniquo loco pugnare, *Tutari fines suos*, decernere seu delectum habere militum, *Lustrare exercitum*, faire monstres. *Statua habere*, ad manum venire, huiusmodi orationes ad rem militarem spectantes, ex *Liuis caterisue scriptoribus excipere*, & ad nostra tempora accommodare *utile est pueris & frugiferum*. *Quorum gratia hac paucula*, tametsi præter rem, ascripsimus exempli causa.

Cum vecti] *pertica*. Est enim vectis lignum teres & oblongum, quo quidpiam vehitur, *vn pal*, *vneganche*. Est etiam lignum, quo ostium clauditur, *vnegbarre d'huis*. Præterea instrumentum ferreum & militare, quo perfodiuntur parietes, *μὲν λ* & Græcis appellatum. *Habrai vno nomine וַיָּ וַיָּ* & *וַיָּ* virgam, vectem, perticam & palum significant. Interim obseruent *pueri hoc nomen ex illis esse quæ bifariam ablatiuum terminant in e, & in i*.

Tu Simalio in sinistrum cornu] *Rursum accede*, aut *verbum simile desideratur*. Et pronomen *discretionem* notat. *Cornua* verò appellant latera seu alas aciei, in quibus stabant equites claudentes vtrinq; latera aciei pedestris, & aliquando procurstantes, & irrumpentes in hostium agmen, vt ordines dissipent, & perturbent. *Liuis Decad. 111. lib. 11. Duces cornibus præerant, sinistrum*

strum Asdrubal, dextrum regebat Maharbal: medianiaciem Annibal ipse cum fratre Magone tenuit, &c. *Interpres Aristophanis ait μέτρωπον*, in acie medium appellari, & ea parte maximas esse copias, vtrinq; autem nominari *δεξιόν* & *ἀριστερόν*; quæ sunt *κέρματα*, id est cornua, vt notat *Camerarius*.

Cedo alios] *Latinam vocem cum apocope Gall. ferè imitatur. ça, les autres.*

Vbi Centurio est Sanga?] *Centurio dicitur manipuli præfectus. Manipulus verò erat centum militum aut circiter, vnde & centuria quoque dicitur: cuius tamen numerus postea variavit. Qui verò turma præerat, id est, triginta duobus militibus, Decurio vocabatur, autore Cicerone & Vegetio cap. XIIII. lib. XXI. Caterua apud Gallos & Celtiberos, senis milibus militum constabat: vt Phalanx apud Dardanos & Macedonas Græcos octonis milibus. Sed Legio apud Romanos, antiquitus quatuor millium erat: vnde quadratum agmen dicebatur. Postea, duo milia & ducentos adiecit *Marinus*, adeo vt constaret sex milibus & ducentis militibus, vt scribit *Pompeius*.*

Et manipulus furum] *Manipulus tametsi propriè centuria est, tamen pro multitudine militantium sub eodem signo accipitur. Vne enseigne. Et à re rustica videtur hac significatio duci. Manus enim mensura est. Et manipulus quantum herbarum manu comprehenditur *δράμα*. Quod signum in militia fuit priscis Romanis. *Ouid.**

Pertica suspensos portabat longa manipulos.

Vnde manipularis nomina miles habet.

Vide Donat.

Furum] *seruorum*. *Fures enim pro seruis nonnunquam accipi scripsit Seruius. In illud carmen Verg.*

Quid domini facient, audent cum talia fures?

Fortè effossores intelligit & cuniculos agentes ad evertendâ mania & arces. pionniers. Hæbræi sic utuntur nomine furis פורץ Græcis quoque κλέπτης transfertur ad occultationes & dolos, deceptiones atque fallacias, etiam in re bellica, quæ κλέμματα vocant. Sicut & Verg.

Furta paro belli.

Thucyd. lib. v. ἢ τὰ κλέμματα τᾶντα καλλίστω δόξαν ἔχει, ἃ τὸν πολέμιον μάλιτ' ἀντις ἀπατίσας τὸς φίλους μέγιστ' ἄρ' ὠφελήσασιν, id est, interprete Camerario. Hæc furta in primis laudantur quibus frustratus aliquis hostem, maximam utilitatem conciliauerit suis. φῶρ antiquiore lingua dicebatur Fur. autore Gell. & Bud. id nomen Latini sunt imitati.

Eccum adest] de se loquitur in tertia persona, pro adsum.

Quid ignaue] militare est conuitium. Gall. couard.

Peniculone pugnare, &c.] id est, panno lineo quo circundantur coqui, ab umbilico ad genua propendente, ad manus & patinas extergendas. Est autem diminutivum à pene, id est, cauda. fiebant enim olim peniculi ex caudis animalium teste Festo. & etiamnum nugiuendi aliq̄, institores, cauda vulpina puluerem officinarum & mercium excutiunt. Quare & adhuc panni ad vasa tergenda, etiam linea & canabea peniculi appellantur: illi etiam quibus vulnus alligatur, quiq̄ vulneri ne obducatur, à medicis induuntur. drappeaux & fourbillons à torcher la vaisselle, souliers, & autre choses.

Aussi

Aussi dequoy on fait bandes pour lier playes, & charpie ou tentes pour mettre dens icelles, à fin quelles ne se clouent trop tost. Lugdunenses nomine ad Latinum proximè accedente vocant. Vne panouce.

Hic] peniculum. Nam peniculus & peniculum utroque genere efferimus.

Egone] querit quid respondeat.

Imperatoris virtutem noueram] salsè irridet & duces & milites.

Virtutem] fortitudinem, robur. Argumentum est à causis. Fortis est imperator, strenui quoque milites. Certamen igitur futurum est cruentum.

Sine sanguine] repete, noueram.

Qui abstergerem vulnera] Verbum est coniugationis secundæ. Nam abstergo & abstergeo dicimus, sic legit Priscian. Ut notat Ruvius: nec aliter constat ratio carminis nisi, abstergerem penultima longa legatur. Videtur autem desiderari sensus, huc portavi peniculum. Et τὸ qui pro ut accipitur, nisi maus auferendi casus esse.

Qui (malum) ali] Attende ingeniorum dissimilitudinem, Sanga militis Iactantiam non potest ferre, nec assentari nouit. Malum, vicem interiectionis irascentis sustinet, ut infandum Terent. in Adolph. Quid malum, bone vir mihi narras?

Seruat domum] Donatus domi legisse videtur. Vide Ruvium.

Tu hosce instrue] Verg.

Socios simul instruit omnes.

Hic ero post principia] id est, post principes in acie milites, ut Vegetius de re militari lib. 11. exponit. An-

tiqua

tiqua ordinatione (inquit) legionis exposita principium militum, & ut proprio verbo utar, principiorum nomina ac dignitates secundum presentes matriculas indicabo. *Liuius ab Vrbe cond. lib. I.* Quia à tergo erant elisi in eos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. Sed ut hic locus melius intelligatur, ipsius *Liuij* verba subiiciam: quibus & instruendi aciei rationem priscam discere possumus, & qui sint principes milites seu principia in acie. Hic sub finem octauo libri primæ decadis. Postea, inquit, manipulatim structa acies cepit esse: postremo in plures ordines instruebatur. Ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum habebat. Prima acies hastati erant manipuli quindecim, distantes inter se modicum spatium: manipulus leuicis vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat. Leues autem qui hastam tantum, gæsaq; gererent vocabantur. Hæc prima frons in acie florem iuuenum pubescentium, ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen. Hos sequebantur scutati omnes insignibus maximè armis. Hoc x x x. manipulorum agmen antepilanos appellabant: quia sub signis iam alij quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat. Earum unamquamq; primum pilum vocabant. Tribus ex vexillis constabat. Vexillum CLXXXVI. homines erant. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum spectatæ virtutis. Secundum lorarios minus roboris ætate factisq;. Tertium accensos, minime fiducia manum: eo & in postremam aciem reiciebantur. Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent,

pede

pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant. Tum principum pugna erat. Hastati sequebantur. Triarij sub vexillis considebant sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas sub erecta cuspi de in terra fixas, haud secus quam Fallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prosperè esset pugnatum, à prima acie ad triarios sensim referebantur. Inde rem ad Triarios redisse cum laboratur, increbuit. Triarij consurgentes, vbi interualla ordinum suorum principes & hastatos recepissent, ex templo compressis ordinibus velut claudebant vias, vnoq; continente agmine, iam nulla spe post relicta in hostem incedebant. Id erat formidolosissimum hosti, cum velut victos insequuti, nouam repente aciem exurgentem, auctam numero, cernebant. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinibus milibus peditum, equitibus in singulas legiones trecentis, &c. Nec vexilla cum vexillis tantum, vniuersi hastati cum hastatis, principes cum principibus, sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebat. Hæc *Liuius*. Caterum *Homerus* *Iliados* v. laudat *Diomedem*, & pro summa laude tribuit, quod inter principes, prima acie pugnaret. Sicuti *Vergil.* *Homerum* imitatus *Aeneam*, de fortitudine laudat.

Se quoq; principibus permixtum agnouit *Achiris*. Significat *Aeneam* non post principia, ut hic miles *Thraso*, versatum esse, sed in media acie inter principes vtriusque exercitus, quem locum *Græci* *μετάχουρον* appellant. Nam qui primi sunt vtrinque, iunctis aciebus inter pugnandum medij esse videntur. Significat itaque miles se post primam aciem, in media aut postrema staturum,

turum, qui locus est tutissimus. Quare proverbialiter. Post principia significat in tuto, & citra periculum. Vide Eras. Chiliad.

Inde] ex media acie.

Omnibus signum dabo] ineundi certaminis. Sallu. in Iugurth. Signo dato castra hostium inuadunt. Porro signa castrentia triplicia sunt. Alia vocalia, quae imperator vigilibus & excubias agentibus exhibet: Alia semiuocalia, ut tuba, cornua, classica: Alia muta, ut vexilla, symbola, &c.

Vt] quomodo.

Cauit] prospexit, consuluit.

Loco] ordine & situ. Aut vice aduerbij ponitur, velut cum dicimus, loco quidpiam agere & dicere, id est oportune.

Idem hocce Pyrrhus factitauit] ab exemplo se defendit. Verum cum priscis illis temporibus principum locus esset in prima acie, ut dictum est, Quibus pugnam capessere honestum erat & gloriosum, ut ex Homero. Verg. & Liuius apparet, qui de pugna Bruti & Aruntis scribit lib. 1. ab Urb. cond. Factum est tamen postea, ut principi ultimo aciei loco caueretur: ut re incerta aut perdita primus esset ad fugam expeditior, & ad ceteros omnes prius quam ad illum, periculum accederet. Id ex militari disciplina Pyrrhi fluxisse videtur sentire Donatus, qui scribit illum ordinem aciei instruenda tradidisse, per lusum calculorum & latrunculorum: quem nostrate lingua, le ieu des dames & des eschets appellamus. In quo quidem lusu videas regem reginamque ultimo agmine & postremo ordine statui. Nunc vero solent reges medio agmine stare, ut vndique ab suo exercitu

exercitu sepiantur, sineque ab hostibus tutiores. Fuit autem Pyrrhus Rex Epirotarum paterno genere ab Achille, materno, ab Hercule oriundus. Apollinis oraculo deceptus, bello Romanos adortus est, quos insigni clade affecit. Tandem a Curio & Fabritio superatus, retrocedere coactus est in Graciam ubi cum Argos oppugnaret, tegula à muliere ex mœnibus in caput deiecta occisus est. Vide Plutarch. Orosum, Florum & Strabonem.

Factitauit.] Iteratiuum verbum vim exemplo addit.

Consilium istuc rectum est] directum ad obsidendas ades.

Sanè quod tibi, &c.] Confirmat metuentem adolescentem. Ordo est. Ne metuas quod tibi nunc videatur esse vir, hic nebulo magnus est. & pronomen emphasim habet, aut intelligendum est, Nihil est; aut non est. ut vult Donatus. Nihil est quod tibi nunc hic vir esse videatur &c. Et loco quod, frequenter cur ponitur. Nihil est cur, &c. Singula sanè rem exaggerant. Non sit (inquit) sed videatur. Vir strenuus, fortis, vaillant homme.

Nunc] comitatus multis.

Fundam tibi nunc] Urbanè illudit militem. Fundam à fundendis hostibus dictam volunt. Est autem instrumentum canabeum quo lapides torquentur. Vne fonde.

Hinc] eminus & ex occulto, quod utrunque ignauia est.

Cæderes] percuteres, occideres.

Facerent fugam] periphrasis vim habens ioci ex ambiguo, significat enim tam fugere quam fugare.

Sed eccam Thaidem] preparatio ad sequentē rixā.

Quam mox irruimus?] impetum damus? donnerons nous tantost dedens? Quam mox, dici à combien de tem-

poris breuitate interrogat, *Quam mox coena parata erit?*

Omnia prius experiri] *Prudens sententia, sed ad palliandam timiditatem elata. Donatus ἀνακόλῳτῳ esse putat, pro quam arma, aut ἐκλειψίῳ Verbi agere. Est autem ἀνακόλῳτῳ autore Linacro, cum ab ea quae ponitur in protasi, dissidet vox quae adhibetur in apodosi, ut hic: cum enim praecesserit accusatiuus omnia, redditur in apodosi ablatiuus, quam armis. Ceterum si geminam verbi significationem attenderis, nulla erit inconsequentia. Est enim experiri probare, & tentare, quae significatione accusatiuum postulat. Cum vero significat disceptare & contendere, ablatiuo iungitur, qui causam, instrumentum, aut modum actionis significet. Ut armis experiri, conuitijs, pecunia, legibus. Cicero pro Quintio. Siquid in controuersiam uenerit, aut intra parietes, aut summo iure experiretur, id est, litigaret. Cum itaque hoc loco sit Zeugma, & experiri, sit repetendum, in priori sensu tentare, in posteriori contendere significat. Quare non mirum si pro uarietate significationis diuersi casus per quam, connectantur.*

Qui scis an, &c.] *accommodatio sententiae.*

Di uestram fidem] *Assentatio parasitica.*

Thais primum hoc mihi, &c.] *Res suas repetiturus miles interrogatione conatur meretricis confessionem extorquere. & colligit à loco causarum ad hunc modum: Virginem dedi tibi pollicenti mihi soli hos dies daturam: at promissis non stetiisti, igitur virginem mihi restituere debes. sed initio blandè compellat & attentionem captat.*

Cum tibi do istam] *Maior est syllogismi.*

Quid tum postea?] *interrogatio concessionis vim habens,*

bens, sed cum contemptu. Gall. & prius?

Rogitas? quae mihi ante oculos.] *Assumptio syllogismi per interrogationem cum exaggeratione. Non uenit, sed hunc adduxti, mihi riuali, & coram.*

Ante oculos] *pleonasmus rem exaggerans.*

Quid cum illo agas?] *modus potentialis, & personae heterosis.*

Illo] *amatoréne, an cum illa re? Gall. qui faire à cela? ou que ferois tu avec lui?*

Cum eo clam] *amorem à signo arguit.*

Subduxti] *summonuisti.*

Clam] *à modo rei.*

Cum eo] *amatore.*

Libuit] *superba responsio.*

Pamphilam ergo huc, &c.] *Conclusio syllogismi.*

Hucredde] *pro hic. soliophanes, nisi uelis in uerbo esse latentem motum.*

Tibi illam reddat] *inficiatio & recusatio figurata postulationis militis, quae cum fuerit hypothetica, Tibi illam reddat, ad Pamphilam huc redde: aut, tu eam tangas, ad nisi vi manus eripi, respondet.*

Omnium] *Aposiopesis maledicentis, supple, sceleratissime aut flagitiosissime. & Tapinosus est in uerbo tangas.*

Quid tu tibi vis?] *Increpatio satagentis, quod sua nihil refert.*

Ego non tangam meam?] *Inest argumentum in pronomine. Vult dicere. Mea est, nemo igitur prohibebit tangere,*

Tuam autem?] *Inficiatio antecedentis, & autem Ironiam respicit.*

Furcifer] *seruile est conuuium. Nam moris erat, seruos furcam gestantes per viciniam circumagere, ut iam ex Plutarcho docuimus. Liuius libro I. ab Urb. cond. Mane seruum quidam pater familiae nondum commissis spectaculo, sub furca casum, medio egerat circo.*

Hinc abis] *videtur parasitum alloqui.*

Scin tu ut tibi, &c.] *Apostrophe ad militem qua attentionem parat grauiam minaturus.*

Faciã ut huius loci, &c.] *Cominatio perpetui mali.*

Ain' verò canis?] *Conuuium est in impudentes, hij enim κυνὸὶ appellantur. Unde Diogeni nomen Cynici datum est ab impudentia. Homero quoque κύνων ἀναιδῆς conuuij loco dicitur.*

Quis tu homo? quid tibi vis? quid cum, &c.] *πρόμας commoti. Scibis] attentio.*

Principio eam esse dico liberam] *Expositio defensionis puellae cum auxesi.*

Os durum] *nulli cedens pudori & honestati, id est, insigniter impudens, qui omnes, quibus cum iurgatur, cadere cogit quamlibet bene linguaces. Liuius II. III. Decadis. Illud etiam, inquit, in tali consilio animaduertendum vobis censeam P. C. si tam duri oris esse velitis, quod nullo nostro merito faciatis, cui nos hosti relinquituri sitis. Quo loco, duri oris esse, videtur significare, asperum, implacabilem, & inclementem esse, nullis precibus & lacrymis flecti posse.*

Miles nunc adeo edico tibi] *propositio, atq; adeo conclusio ex superiori expositione collecta.*

Ego eo ad Sophronam nutricem] *Quoniam tota expositionis probatio inartificialis est, nempe testibus & monumentis constans, ut breuitati studeat, virginis agnit*

agnitionem non spargit in personas.

Signa ostendam] *id est, monumenta agnitionis quae in cistella ipsi dederat Thais.*

Hic furti se alligat] *Viam dissoluendae rixae quaerit Gnato, & innuit iure & legibus experiri satius esse, illum enim tanquam furem & rei alienae vendicatorem puniendum. Plautus in Penulo. Hic furti se astringit. Et ibidem. Ita eum furto alligat.*

Satin' hoc est tibi?] *ad puellam liberali causa manu asserendam? Aut si Gnato loquatur, postulat silentium. Potest etiam sine interrogatione legi, ut videtur innuere Donat.*

Ais Thais] *Rusticus sermo ob paronomasiam.*

Quære qui respondeat] *Contumacia meretricis.*

Quid nunc agimus?] *interrogatio iam contentionem remittentis.*

Quin redeamus] *age, redeamus.*

Noui ingenium mulierum] *Confirmatio à sexu & natura muliebri, quam scite exprimit.*

Nolunt vbi velis] *iucunda antithesis.*

Iam dimitto exercitum] *magnifice ad risum.*

Vti fortes decet milites] *supple, meminisse. Nam fortes milites pro penatibus & patria bellum gerunt, & horum praeter ceteris sunt memores.*

Domi] *culina.*

Foci] *cibi, synecdochicos quia in foco parantur.*

Animus est in patinis.] *Nunc iactatur proverbium in gulosos.*

Frugies] *vtilis, mesnagier.*

ACTVS V. SCENA I.

THAIS. PYTHIAS.

PERGIN' scelestā mecum perplexē lo-
qui?
Scio: nescio: ab hęc audiui: ego non adfui.
Non tu isthuc mihi dictura apertē es,
quicquid est?

Virgo conscissa veste lacrumans obticet,
Eunuchus ab hęc: quamobrem? quid factū est? taces?
P. Quid tibi ego dicā misera: illum eunuchū negant
Fuisse. T. quis fuit igitur? P. iste Chærea.

T. Qui Chærea? P. iste ephebus frater Phædriæ.

T. Quid ais venefica? P. atqui certō comperi.

T. Quid is obsecro ad nos? aut quamobrem addu-
ctus est? P. nescio,

Nisi amasse credo Pamphilā. T. hem misera occidit
Infelix, si quidem tu ista vera prædicas.

Num id lacrumat virgo? P. id opinor. T. quid ais
sacrilega?

Isthuccine interminata sum hinc abiens tibi?

P. Quid facerem? ita vt tu iusti: soli credita est.

T. Scelestā, ouem lupo commisisti. dispudet

Sic mihi data esse verba. quid illic hominis est?

P. Hera mea tace, tace obsecro, saluæ sumus:

Habemus hominem ipsum. T. vbi is est? P. hem ad
sinistram, vidēs

Nec? T. video. P. comprehendī iube, quantū potest.

T. Quid illi faciemus stulta? P. quid faciam rogas?

Vide amabō, si non, cum aspicias, os impudens

Videtur, T. non est, P. tum quæ eius confidentia est.

COMM

COMMENTARIA.

Regressio ad epitasin. Nam cognito Virginis vitio,
Thais cum ancilla expostulat: quæ se criminis remotio-
ne defendit & interuentu Chærea latatur, sperans ho-
minem se nactum ad vlciscendū, ad quod heram quoad
potest, instigat.

Pergin' scelestā.] Exordium concitatum per indi-
gnationem.

Mecum] *emphaticos*. quasi dicat, quæ hera sum tua.

Perplexē] *obscure*, & *intricate*, sicuti solent timidi,
& sibi malè conscij.

Scio: nescio] ἐμνησθε καὶ μνησθη. At τὸν ὀμνῶντι-
κὴν compositio bilem expostulantis appositè indicat. Scio
stere Virginem. Nescio cur streat.

Audiui] Vitium illi oblatum. Non adfui cum vitia-
ta est.

Non tu istuc, &c.] Ordo est. Num tu dictura es mi-
hi quicquid est, pro quicquid sit. At hæc interrogatio
vice est propositionis.

Virgo conscissa veste] Coniectura ab enumeratio-
ne signorum, quibus ancillam ad facti confessionem adi-
gere conatur. Sed mira breuitate colligit quæ ante Py-
thias latius recensuerat, ad tedium rei toties repetitæ
lenandum.

Quamobrem & quid factum est?] Consequens argu-
mentationis habitu orationis variatum.

Quid tibi ego dicam?] *coacta rem fatetur*, sed timi-
dè & obliquè. Recta enim & aperta responsio esset. Ab
Eunuchō vitrata est Virgo. Sed loco actus, subiecti &
adiacentis tantum meminit. Ille, inquit, non fuit Eunu-
chus.

K 4 chus.

chus. Et honestius variauit orationem dicens.

Illum Eunuchum negant] Nam ille non fuit Eunuchus si dixisset, videretur hunc experta, & ipsius pudenda attrectasse.

Iste Chærea] odium quoddam præ se fert pronomen.

Qui Chærea?] prouocabulum loco interrogatiui.

Iste Ephebus] ἀγένης imberbis, impuber, ἄβη inuenta est, & veteribus, iuuentus etiam huius ætatis dea quædam, nupta cum Hercule, filia Iunonis quæ nectâr Dijs propinat. Id. d. & Ouid.

Nectâr & ambrosiam, latices epulasq; Deorum

Det mihi formosa gnaua Iuuenta manu.

Veteres enim ἄβης nomen de hilaritate conuiuiorum dixisse perhibentur, & ἐφύβου vas vinarium quod ἀφύβουον vocarunt, vt scribit Camerarius. At in epitheto fallendi facultas inest.

Quid ais venefica?] Interrogatio non credentis, quæ depulsionis vim habet.

Atqui certo comperi] hoc verbo diligentiam suam commendat. Id enim compererat ex Doro Phædræ Eunuchus cum quo vestem mutarat. Certo comperi fratrem Phædræ esse.

Quid is obsecro ad nos?] Refutatio à causis, quæ dicat. Non erat cur ad nos veniret, aut adduceretur. Non igitur id fuit.

Nisi amasse credo Pamphilam] Vide quàm breuiter Chærea factum probet. Cum enim voluntatis duo sint loci, qualitas personæ, & causa inducens ad suscipiendum facinus, illam paulò antè expressit dicens iste Ephebus

Ephebus frater Phædræ: Hanc modò, amasse credo Pamphilam.

Infelix] de se, & de virgine loqui potest.

Si quidem tu, &c.] siquidem duæ sunt dictiones.

Istæc vera prædicas] Enallage prima, vera pro vere.

Num id lacrymat virgo?] hæc ad commendationem pudicitie coniugis futura. Et id pro ideo positum videtur.

Istuccine interminata sum] incusatio ab antegressa præmonitione.

Istuc] ne vir quisquam ad eam adeat?

Abiens] temporis circumstantia ad culpæ exaggerationem.

Quid facerem?] interrogatio à se culpam remouentis, quæ vulgò etiam vtimur. Qu'y feroye ie?

Ita vt tu iusti, &c.] defensio per criminis remotionem.

Soli credita est] dixit Chærea Antiphoni. Edicit vt maneam solus cum sola.

Lupo ouem commifisti] Prouerbialis Allegoria in infidum custodem.

Quid illic hominis est?] Preparatio ad sequentem scenam, & interrogatio admirantis Chærea habitum.

Comprehendi iube] tanquam fugitiuum seruum.

Quid illi faciemus stulta?] Recusatio cõsiliij ab inutili.

Non est] Conspetto adolescente, mox ipsi conciliatur Thais.

Tum quæ eius confidentia est?] repetendum vide, & quæ est pro qualis. At fiducia est in bonis rebus Confidentia in malis.

ACTVS V. SCENA II.

CHÆREA. THAIS. PYTHIAS.



PVD Antiphonem vterque, mater, &
pater,
Quasi dedita opera, domi erant, vt nul-
modo

Introire possem, quin viderent me, interim
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obuiam
Venit. vbi vidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum: inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed est ne hæc Thais, quam video? ipsa est: hæreo.
Ah, quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
τ. Adcamus. bone vir Dore, salue. dic mihi,
Aufugisti n? c. hera, factum. τ. satin' id tibi placet.
c. Non. τ. credin' te impune abiturum? c. vnam
hanc noxiam
Mitte: si aliam vnquam admisero vllam, occidito.
c. Num meam sæuitiam veritus es? c. non. τ. quid
igitur?
c. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
τ. Quid feceras? c. paululum quiddam. p. cho, pau-
lulum impudens?
An paululum hoc esse tibi videtur, virginem
Vitiare ciuem? c. conseruam esse credidi.
p. Conseruam? vix me contineo, quin inuolem in
Capillum, monstrum, etiam vltro derisum ad-
uenit.
τ. Abi hinc insana, p. quid ita verò? debeam

Credo

Credo isti quidquam fureifero, si id fecerim
Præsertim cum se seruum fateatur tuum?
τ. Missa hæc faciamus, non te dignum Chærea
Fecisti: nam si ego digna hac contumelia
Sum maximè, at tu indignus, qui faceres tamen.
Neq; ædepol, quid nunc consilij capiam scio
De virgine isthac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, vt eam non possim suis,
Ita vt æquum fuerat, atq; vt studui, tradere,
Vt solidum parerem hoc mihi beneficium Chærea.
c. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore Thais. sæpe ex eiusmodi re quapiam, &
EX MALO PRINCIPIO magna familiaritas
Confiata est. quid si hoc quispiam voluit Deus?
τ. Equidem pol in eam partem accipioq; & volo.
c. Imò ita quæso. vnum hoc scito, contumeliæ
Non me fecisse causa, sed amoris. τ. scio.
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
Non adeò inhumano ingenio sum Chærea,
Neq; tam imperita, vt quid amor valeat, nesciam.
c. Te quoque iam Thais ita me Dij ament, amo.
p. y. Tum pol tibi ab isthoc hera cauendum intel-
ligo.
c. Non ausim. p. nihil tibi quicquam credo. τ. desi-
nas.
c. Ego me tuæ commendo, & committo fidei.
Nunc ego te in hac re mihi oro vt adiutrix sies:
Te mihi patronam cupio Thais: te obsecro:
Emoriar, si non hanc vxorem duxero.
τ. Tamen si pater. c. quid? ah volet, certò scio,
Cuius modò hæc sit, τ. paululum opperier

Si

Si vis, iam frater ipse hinc aderit virginis:
Nutricem accersitum ist, quæ illam aluit paruo-
lam.

In cognoscendo tute ipse aderis Chærea.
c. Ego verò maneo. τ. vis ne interea, dum is venit,
Domi opperiamur potius, quam hinc ante ostium?
c. Imò percupio, p. quam tu rem actura obsecro es?
τ. Nam quid ita? p. rogitas? hunc tu in ædeis co-
gitas

Recipere posthac? τ. cur non? p. crede hoc meæ fi-
dei,

Dabit hinc aliquam pugnam denuo. τ. ah, tace ob-
secro.

p. Parum perspexisse eius videre audaciam.
c. Non faciam Pythias. p. non pol credo Chærea,
Nisi si commissum non erit. c. quin Pythias
Tu me seruato. p. neque pol seruandum tibi
Quicquam dare ausim: neque te seruare. apage te.
τ. Adest optimè ipse frater. c. perij hercle: obsecro
Abeamus intrò Thais, nolo me in via
Cum hac veste videat. τ. quam obrem tandem? an
quia pudet?
c. Id ipsum. p. id ipsum? virgo verò? τ. I præsequor.
Tu istic mane, vt Chremem introducas Pythias.

COMMENTARIA.

*Reddit causam Chærea cur habitum non mutarit
apud Antiphonem. Oportuit autem id fieri, vt ab Thai-
de & ancilla agnosceretur. Ne ipsi vlla esset negandi
facinoris facultas. Siquidem potuisset ornatu mutato, se
illum esse negare. Cum eo Thais expostulat, ioco quidem
primum*

*primum de fuga: deinde serio de stupro virginis. Ca-
terum ipsi virginem petenti uxorem facile conciliatur.
Est autem finis epitaseos huius partis fabula, & initium
catastrophes. Porro status iuridicialis est assumptiuus per
concessionem criminis. Et quod ad fugam attinet, de-
precatione vititur. Stuprum verò excusat comparatione
utilitatis.*

Apud Antiphonem] *Metonymia frequens.*

Vterque pater & mater] *vulgaris generum sylle-
psis.*

Dedita opera] *consultò. Hac Stomachans dicit.*

Vt nullo modo] *desideratur ita, aut adeo, similisue
particula, quæ eclipsis Horatio est peculiaris, & eius
amatori Quintiliano.*

Ante ostium sto] *pro stabam. Magna sanè est affini-
tas presentis cum imperfecto. Ideo tam Græcis quam La-
tinis, participia presentis, imperfecti quoque significatio-
nem habent.*

Ego me in pedes] *supple, conieci, id est, fugi.*

Quantum queo] *supple, velociter.*

In Angiportum quoddam] *Angiportus, us, &
Angiportum, ti, via est inter domos in recessu posita, ca-
rens exitu.*

Inde in aliud] *geminatio energetica.*

Ita miserimus fui] *Epiphonema. Quomodo? Fugitan-
do. Quare? Ne quis me agnosceret.*

Sed est ne hæc Thais?] *parascene ad colloquium.*

Hereo] *dubito. Cicero in Tuscul. Itaque dubitans,
circumspectans, hesitans, multa aduersa reuertens, tan-
quam in rate in mari immenso, iterum vehitur oratio.*

Quid faciam?] *deliberatio subita.*

Quid

Quid mea autem?] *supple, refert.*

Quid faciet mihi?] *Hac confidentia idonice Chærea conueniebat.*

Bone vir salue] *Ironica salutatio.*

An fugistin?] *intentio accusationis.*

Hera factum] *Concessio criminis. Subseruit adolescens orationi meretricis.*

Satin' id tibi placet?] *num displicet? num pœnitet facti?*

Credin' te impune abiturum] *habiturum reponit Riuius. Est autem impune habere, inultum auferre. Porro crimen confitenti nihil nisi supplicium superest.*

Vnam hanc noxiam mitte] *Tota hæc deprecatio ironiam sapit. Noxa pœna est: noxia culpa, ut vult Cornelius Fronto.*

Num meam sæuitiam] *duritiam, asperitatem.*

Hanc metui] *parascene ad stupri mentionem.*

Hanc] *Pythiam.*

Criminaretur] *deferret, accusaret.*

Paululum quiddam] *Verecunda facti extenuatio. Nam ut inquit Fabius, Patrono si fieri potest, id agendum est: ut obiecta, vel neget, vel defendat, vel minuat.*

Eho paululum impudens?] *Reprehensio acerba per εὐμνοσίη.*

Virginem vitare ciuem?] *Exaggeratio criminis à conditione personæ.*

Conseruam esse credidi] *Excusatio per imprudentiam & ignorantiam qua culpam imminuit.*

Conseruam?] *Irascitur ancilla, quia se seruum mens*

mentitur.

Monstrum] *ἀτιολογία indignationis plena.*

Monstrum] *qui Eunuchum esse simulat.*

Quid ita veros?] *abeam?*

Debeam credo isti quicquam] *satisfactionis & pœna. Et τὸ credo, ut & vero ἐρωτιδὸν est. Pœna autem debebatur iniuria affecto, aut re, & pecunia, aut verbis & iureiurando: quam posteriorem nostri emendam honorariam vocare solent.*

Furcifero] *crucem merito.*

Præsertim cum se seruum, &c.] *Ratio à conditionis confessione.*

Missa hæc faciamus] *Præteritio transitionis vim habens ad sequentem seriam obiurgationem.*

Non te dignum Chærea] *Propositio querelæ.*

Nam si] *Occupatio per παραμολογία, quam soluit à personarum differentia. Et τὸ si, pro composito tametsi, vel etsi sumitur.*

Digna] *quia meretrix.*

Tu indignus] *quia frater Phædræ amatoris mei. In pronomibus est ἐμφασίς.*

Conturbasti mihi rationes] *Conturbare Budæo autem Conturbare. tore, est decoquere, & dissipare pecuniam suam. Et proprie de seruis dicitur, qui cum rationibus dominicis paria non faciunt. Et conturbare rationes, est ob acceptæ pecuniæ confusionem nescire quo pacto rationes referantur. Embrouiller si bien ses contes, qu'on n'en peut sortir ne rendre reliqua. Et conturbare fortunas dicit Cicero, pro consumere, dilapidare, ac oppignerare pluribus creditoribus. engaiger & embrouiller ses biens.*

Vt eam non possim] *à consequentibus incommo- dum*

dum amplificat qui locus ad conuersionem spectat, ad misericordiam puellae conciliandam.

Ita] talem id est, intactam & virginem, ἐτέρωσις per partis commutationem.

Vt æquum fuerat] tradere supple.

Vt solidum] integrum, perfectum.

At nunc] defensio ex comparatione utilitatis, & spe resarciendi incommodi.

Inter nos] omnes, me, illam, & te.

Gratiam] amicitiam, beneuolentiam.

Sæpe ex huiusmodi, &c.] Confirmatio à communiter accidentibus per γνωμολογία, qua de nuptijs puella Thaidi coniecturam offert, & subaudienda est rationalis particula, nam, aut similis.

Et malo, &c.] & in epexegeſi est.

Magna familiaritas] coniugalis necessitudo. Hæc sententia quam vera sit, permulti parentes experiuntur, maximè qui gratia & opibus valent. Quorum filia à plagiarijs quibusdam et sæpe pauperioribus in mutuum amorem pelliciuntur, ut postea factas grauidas uxores ducant. Deberent sanè publica exempla in istos edi, qui alieno dedecore & malo suam inopiam subleuare student.

Conflata est] arctum necessitudinis vinculum hoc verbo scite expressit. Est enim Metaphora ab operibus fusorijs, quæ solida, sine iuncturis ac commissuris esse solent. proinde non sunt ad dissoluendum facilia.

Quid si hoc quispiam voluit Deus] Excusatio à necessitate & fato. Videtur autem ex Stoicorum sententia loqui, Qui cum omnia providentia Dei tribuerent, ita ut dicerent nihil fieri posse Deo inscio, imprudente,

&

& ignorante: Omnia tamen quoque fato fieri existimabant. Sed plena erroris est hæc sententia. Nam rerum contingentiam tollit, & libertatē humani arbitrij in actionibus bonis ac malis, & electionem in rebus medijs, in virtutibus, & vitijs homini datam à Deo & natura. Nec temerè interrogatione usus est. Nam mirabiliter sollicitauit Philosophos omnes, sed & scholasticos scriptores quaestio de fato. Aut tantum amoris successum Deo tribuit, sicut singulares euentus & inexpectati solent.

Accipioq; & volo] altera coniunctionum abundat. Caterum (que) copulatiuam medio loco poni bifariam Grammatici notant. Vno modo cum geminatur. Verg.

Mulciberis capti Marsq;, Venusq; dolis.

Altero cum ἀμείψως & sequitur. Idem.

- Dixitq; & prælia voce diremit. Tacitus.

Transire Rhenum tutorq; & classicus.

Ita hoc loco. Accipioq; & volo, sed hoc planè est poëticū.

Imo ita quæſo] Benè precantis formula, id est, precor ut ita eueniat: aut Thaidem rogat, ut ita accipiat velitq;.

Vnum hoc scito] formula captanda attentionis, qua utimur cum quidpiam dicturi sumus quod alienæ memoriæ cupimus herere. Cicero. Sic habeto, hoc vnum dico, scito. Hoc scito, dicere solet.

Contumeliæ non me fecisse causa, &c.] Respondet ad obiectionem Thaidis quæ dixerat. Nam si ego digna hac contumeliâ sum maximè, at tu indignus qui faceres eam. Est itaq; ipsius obiectionis inficiatio & translatione utitur causam in amorem transferens ad crimen eleuandum. Nam cum omnis coniectura aut de re, aut de animo sit (autore Quintiliano) re cōcessa, superest ab ani-

mo defensio, cum queritur qua mente quis fecerit. Sed & alia causa voluntatis à patronis afferuntur & honestiores, & iustiores quàm dixerit aduersarius. Sed hac culpa est imminutio potius quàm defensio.

Magis nunc ignosco tibi, &c.] Quacumq; agunt homines, quatuor generibus continentur. Nam facta aut laudantur, si honesta sint: aut vituperantur, si contraria: aut non laudantur, sed veniam impetrant, ut quod amore impulsus fecit Charea: aut nec laudantur, nec veniam impetrant, ut turpia & flagitiosa consulto, & mala mente admissa. E re quidem sua meminit amoris Charea; quo maxime mouetur & delectatur meretrix: ideo ad veniam est paratior.

Inhumano ingenio] fero, inclementi, & ab omni humanitate alieno. At in epitheto latet argumentum: amor humanus est affectus, igitur veniam meretur. Sed plus intulit meretrix significans non hominem esse qui amoris vim nesciat.

Valeat] possit.

Te quoq;] non solum virginem.

Iam] nunc. Nam dixerat futuram inter ipsos ex ea re gratiam, nunc iam esse dicit, idq; iureiurando confirmat.

Tum pol] Pergit insultare Pythias, ut hac varietate delectetur spectator. Tum, etiam.

Tibi] ne quod virgini, tibi faciat. Aut ne simulato amore apud te introductus, iterum comprimat virginem.

Non ausim] propter fratrem, etiamsi velim.

Nihil tibi quicquam] pleonasmos ad rei exaggerationem.

Ego me commendo] amatoria imploratio auxilij
ad du

ad ducendam puellam. Commendamus verbis. Committimus re ipsa.

Tuae fidei] auxilio & defensioni. Alludit ad patronorum & clientum morem. Hi enim se fidei committere vel in fidem se conferre dicebantur. Illi, hos in fidem recipere. Vide Bud. in Pandect.

Nunc ego te] Expositio implorationis, in qua commoratur ad suum de nuptijs desiderium indicandum.

Te mihi patronam cupio] ideo eius se fidei comisit.

Tamen si pater] eclipsis dubitantis.

Ah quid?] Indignatio aduersus dubitantem.

Cuius modo sit] Excipit quod ad nuptias promouendas tantum supererat scire, quo patefacto completur huius partis catastrophe.

Quam tu rem actura obsecro es?] tu, quae ab eo illusa es, emphasin habet.

Nam quid ita?] pro quidnam ita.

Dabit hic aliquam pugnam] Est hoc Plautinum. supra ludos dare, turbam facere, dixit de virgine, verita, ne iterum vitietur.

Parum perspexisse] Argumentum ab adiunctis. Audax est, igitur iterum puellam comprimet.

Nisi si commissum non erit] Commissum pro commissa. sed odij causa neutro genere usus est.

Apage te] Iracundè remouet Chaream. Et separatim sine ironia lego. Est autem ἀπάγε imperatiuum à Graecis sumptum cui te accusatiuum addit more Plautino. In Amphitrione. Apage te à me. Idem in Casin. Apage te à dorso meo. Et alibi. Apage illum à me.

Nolo me, &c.] ἀπιλογοῖα à loco & habitu.

Quamobrem tandem?] Donatus vult tandem accipi

cipi pro tamen, sed videtur habere aliquid vrgens & accelerans.

Id ipsum virgo verò] *Indicat de stupro multo magis pudendum, & verò Ironiam videtur significare.*

Pythias] *Vocatiuus præter analogiam Latinam.*

ACTVS V. SCENA III.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHONA nutrix.



VID, quid venire in mentem nūc possit mihi,

Quid nam? quæ referam illi sacrilego gratiam,

Qui hunc supposuit nobis? c. moue verò ocyus
Te nutrix. s. moueo. c. video, sed nihil promoues.

p. Iam ne ostendisti signa nutrici? c. omnia.

p. Amabò, quid ait? cognoscit ne? c. ac memoriter.

p. Bene ædepol narras: nam illi faueo virgini.

Ite intrò: iandudum hera expectat domi.

Virum bonum eccum Parmenonem incedere

Video: vide vt otiosus sit, si Dñs placet.

Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo,

Ibo intrò, de cognitione vt certum sciam:

Pòst exhibo, atq; hunc perterrebo sacrilegum.

COMMENTARIA.

Preparatio ad Parmenonis ludificationem, ne sceleris autor sit periculi expers.

Quid? quid venire, &c.] *Repetitio cogitabunda & querentis fallaciam.*

Quidnam?] *acerrimam cogitationem innuit.*

Sacri

Sacrilego] *Parmenoni.*

Qui hunc supposuit] *falsum pro vero adduxit.*

Hunc] *Chaream.*

Moue verò] *idest propera, festina, & τὸ verò stomachantis est.*

Sed nihil promoues] *progredieris. tu n' aduances rien. incunda resposio ob paronomasiam.*

Bene ædepol narras] *gratulandi formula, vt bene factum.*

Virum bonum eccum] *ἐπιρρωεῖα.*

Incedere] *odiosè dictum. Ex modo eundi eius securitatem colligit. Incedere est cum fastu & grauitate ambulare, Verg.*

Ast ego quæ diuinum incedo Regina Iouis q̄

Et soror, & coniux. Seneca.

Tenero ac molli passu gradum suspendimus, nec ambulamus, sed incedimus.

Vide vt otiosus sit] *securus. Securitas enim otium parit. Et rectè otiosus, vt subita mutatio perturbatiorem reddat.*

Si Dis placet] *indignantis Ironia. Spero] credo.*

Me habere] *supple, aliquid. Qui] quo ablatiuus est.*

Meo modo] *arbitratu & voluntate.*

ACTVS V. SCENA IIII.

PARMENO. PYTHIAS.



REVISO quidnam Chærea hñc rerum gerat.

Quòd si astu rem tractauit, Dñj vòstram fidem,

Quantam, & quàm veram laudè capiet Parmeno?

L 3 Nam

Nam ut omittam, quod ei amorem difficillimū, &
 Carissimum ab meretrice auara: virginem
 Quam amabat, eam confeci sine molestia
 Sine sumptu, sine dispendio. tum hoc alterum,
 Id verò est quod ego mihi puto palmarium,
 Me repperisse, quo modo adolescentulus
 Meretricum ingenia & mores posset noscere:
 Mature ut cum cognorit, perpetuò oderit.
 Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
 Nec magis compositum quidquam, nec magis ele-
 gans:

Quæ cum amatore suo, cum coenant, ligurunt.
 Harum videre ingluuiem, sordes, inopiam,
 Quam inhonestæ solæ sint domi, atq; auidæ cibi,
 Quo pacto ex iure hosterno panem atrum vorent:
 Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.
 P. Y. Ego pol te pro istis dictis & factis, scelus,
 Vlciscar: ut ne impune in nos illuseris.

COMMENTARIA.

Cur redeat Parmeno docet. Et de suo consilio exultat, quod pertinet ad augendam ipsius perturbationem: meretricum etiam ingluuiem notat. Porro exorditur à propositione, quam mox confirmat à difficili, iucundo & utili, qui loci sunt laudationis factorum.

Quod si] quod discretionem innuit, cuius loco provocabulum apponere posses, qui st.

Astu] astutia & calliditate. Est autem astu monoptoton, tametsi astus apud Ciceronem & Tacitum reperias.

Tractavit] executus est.

*Di vestram fidem, quantam, &c.] Propositio per
 excla*

exclamationem.

Et quam veram] æquus multis enim falso laus aseribitur.

Capiet Parmeno?] heterosis persona, pro ego capiam.

*Nam ut omittam] Ratio à difficultate per παρά-
 λαίψιν cum amplificatione per incrementum.*

Amorem] à iucundo prima rei circumstantia.

Difficillimum] secunda.

Charissimum] tertia.

*Ab meretrice] quarta conditionis. Et τὸ ab, pro τὴν καὶ
 videtur accipi. Auara] quinta à studio.*

Virginem] sexta. Quam amabat] septima.

Eam confeci] octava circumstantia actus. Et verbo gravi usus est ad rei difficultatem exprimendam. Nam conficere magno labore & industria quidpiam agere & consummare significat, ut amplius nihil eo nomine sit laborandum. Metaphora à gladiatoribus sumpta, ut docet eleganter Donat. Qui dicuntur proprie conficere, id est, consauciando trucidare. Confektionem virginis appellat deflorationem, & quasi expugnationem virginitatis & consumptionem.

-Nulla, enim, reparabilis arte.

Lasa pudicitia est, deperit illa semel.

Inquit Ouid. τὸ eam potest tantum indicationis significationem habere, ut sit ordo: Eam virginem quam amabat, confeci. Aut si relatiuum facias, erit quedam epanalepsis, plusculum sanè vehementie habitura, quod mihi probatur magis. Sine molestia] nona circumstantia, sine labore. Sine iumptu] decima. Sine dispendio] à tuto, id est sine iactura, & damno, undecima circumstantia. At dispendium, tam rei quam hominis damnū significat.

Tum hoc alterum] *Tum, præterea, deinde.*

Hoc alterum] *secundum.*

Palmarium] *gloriosum, & palma dignum. Perstat in Metaphora pugnae gladiatorum, qui sæpe pro gloria, nedum pro vita certabant. Is autem honos victori habebatur, ut coronatus palma laudes ferret. Aut alludit ad corollas, quæ actorum præcipuis dabantur in scena. Plautus. Sanè ambissent qui palmam histrionibus, siue quos artificii seu perscriptas literas.*

Id verò est] *id id superfluit, aut in resumptione est positum, ut supra.*

Quomodo adolescentulus] *ab utili. Hic sanè est fructus comædiarum. Adolescentium enim refert nosse meretricum fraudes & imposturas, & quasi in speculo alienam vitam intueri, ut imitentur quæ recta sunt, & fugiant, quæ sunt improba, ut eleganter memorat Lucianus in Anacharside καὶ μὲν τοὶ καὶ ἐς τὸ θεῖα ἔργα σιωπῶντες αὐτῶς δημοσίᾳ παιδύομεν ἐπὶ κωμωδίας καὶ τραγῳδίας, ἀρετὰς τε ἀνδρῶν παλαιῶν καὶ κακίας δεωμένους, ὡς τὸ μὲν ἀπὸ θεῶν ποιοῦντο, ἐπὶ ἐκείνῃ ἢ ἀπὸ δούλων, id est, quin etiam ciues in theatro cogentes, publicè erudimus, comædijs & tragædijs, dum illi spectant virtutes & vitia veterum, ut ab his se auertant, ad illas festinent, &c.*

Et mores] *σιωπυμία. Nisi quod ingenium naturalis est habitus, & potentia seu quedam proclivitas, inclinatio & impetus animi ingenuus, qui deinde usu & consuetudine cõfirmatus fit habitus, & in mores transit. Itaq; in ingenio est, διώαμις καὶ ἀδιώαμις, & ut generatim dicam, cõplectitur σύμφορα, καὶ ἐπιπόδα, id est, ingenua, non aduentitia, & ἡ ἀναίρετα πάντα πασι, id est, nec extirpanda omnino. In moribus est ἔξις. Ingenium moribus*

moribus est prius, tanquam causa suo effectu. Mores enim ingenium sequuntur, & quale est vniuscuiusque ingenium, tales sunt ipsius quoq; mores. Atq; ex his duobus, omnes propè hominum actiones manant.

Maturè] *tempestiuè, de bonne heure & à temps.*

Vt cum cognorit] *destinata.*

Oderit] *eas meretrices.*

Quæ dum foris sunt] *inuidiosa contentio. Dum foris cœnant cum amatoribus, simulant mundiciem: sed domi nihil est illis sordidius.*

Mundius] *tersius, honestius.*

Magis compositum] *ornatum. Enumeratio per annexum, & epanaphoram. Et suo more periphrasi circumloquitur comparatiuum, quæ mauult vti, quàm illo.*

Nec magis elegans] *Ordine progressus est. Eleganti enim mundiciæ & compositione rerum constat, nec quicquam est elegans, quin mundum sit & bene compositum.*

Quæ cum amatore suo] *heterosis numeri, multis enim meretricibus vnum amatorem reddidit.*

Cum cœnant] *epulantur. species pro genere. Cœna enim non tantum serotinus esus est, sed sæpissimè pro conuiuio, quocunque id tempore fiat, accipitur.*

Liguriunt] *non vorant significat, sed lentè ac delicatè & quasi cum fastidio suauiora quæq; mandunt, perinde ac si nullo cupediarum desiderio tenerentur. elles mangent sagement & en espousees. Alias vorare hoc verbum significat. Horat.*

-Puer vnctus.

Tractauit calicem manibus dum furta ligurit.

Harum videre ingluuicem] *voracitatem. Altera*

pars ἀντιδέσως per congeriem. Ingluuias, liguritionis: sordes, mundicie et elegantia. sordes non tantum immundiciam corporis, sed inopem miserumque victum significat, quasi dicat. Cum foris sunt, nihil videtur mundius nec magis elegans. At domi sine illo vitæ nitore lauticiaque viuunt. At, ut scribit. Gell. lib. XII. cap. I. Erat elegans lautus, et splendidus, et qui nimis lato amœnoque cultu victuque esset. Ut annotat Riuus.

Quam inhonestè solæ sint domi] Expolitio per commorationem. Nam videre illorum sordes et quam inhonestæ sint, sunt Isodynamia. Item videre illarum ingluuiem, et quam sint auida cibi. Auidos dici vult Crinitus à non videndo. præ nimia cupiditate: sicut inuidos ex nimia videndi cura, quod posterius probat Cicero. At potius ab aueo dici existimem, ut à liuendo liuidus.

Quo pacto] Alia posterioris membri expolitio à re ipsa, modo et tempore.

Ex iure hesterni panem atrum] ἀντιπρωϊσ elegantius genitiui loco, pro panem iuris hesterni, quam familiarissimum esse diximus Terentio.

Hesterni] pridiano autore Linacro, sicuti Crastinus pro postridiano. Apud Verg.

Nunquam te crastina fallat

Hora, id est, postridiana.

Vorent] foris liguriunt. Domi vorant.

Nosse omnia hæc] Clausula enumerationem summam complectens.

Salus est] non vtile modo, sed salutiferum, amplificatio verbi.

Ego pol] verbis Parmenonis irritatur Pythias. Attendo

tende quanta sit hæc personarum varietas. Thais clemens est et placabilis: Pythias iracunda et odij tenax: ut in ea muliebri ingenium agnoscas.

ACTVS V. SCENA V.

PYTHIAS. PARMENO.



RO fidem Deum, facinus foedum: et infelicem adolescentulum:

O scelestum Parmenonem, qui istum huc adduxit. P. quid est?

P. Y. Miseret me: itaque ut ne viderem, misera huc effugi foras.

Quæ futura exempla dicunt in eum indigna? P. O Iuppiter,

Quæ illæc turba est? num nam ego perij et adibo, quid isthuc Pythias?

Quid ais? in quem exempla fient? P. Y. rogitas audacissime?

Perdidisti istum, quem adduxti pro eunuchis, adolescentulum,

Dum studes dare verba nobis. P. quid ais? aut quid factum est? cedo.

P. Y. Dicam: virginem istam, Thaidi hodie quæ dono dota est,

Scin' eam hinc ciuem esse? et eius fratrem adprime nobilem?

P. Nescio. P. Y. atqui sic inuenta est: eam iste vitiauit miser.

Ille ubi rescivit factum frater violentissimus.

P. Quidnam fecit? P. Y. conligauit primum eum miseris modis. P. hem.

Conlig

Conligauit? P. Y. atque equidem orante, vt ne id fa-
ceret, Thaide.

P. Quid ais? P. Y. nunc minatur porro sese, id quod
mœchis solet:

Quod ego nunquam vidi fieri, neque velim. P. qua
audacia

Tantum facinus audet? P. Y. quid ita tantum? P. an
non hoc maximum est?

Quis homo pro mœcho vnquam vidit in domo
meretrícia

Deprehendi quenquam? P. Y. nescio. P. at ne hoc ne-
sciatis Pythias.

Dico, edico vobis, nostrum esse illum herilem fi-
lium. P. Y. hem,

Obsecro an is est? P. ne quam in illum Thais vim fie-
ri sinat:

Atque aded autem, cur non egomet intrò eo? P. Y.
vide Parmeno

Quid agas, ne neq; illi profis, & tu pereas. nam hoc
putant,

Quicquid factum est, ex te esse ortum. P. quid igitur
faciam miser?

Quid ue incipiam? ecce autem video rure redeun-
tem senem.

Dicam huic, an non? dicam hercle, etsi mihi ma-
gnum malum

Scio paratum: sed necesse est, huic vt subueniat. P. Y.
sapis.

Ego abeo intrò: tu isti narrato omnem rem ordine,
vt factum fiet.

ACTVS

COMMENTARIA.

*quantum valeant in neſtendis dolis mulieres docet
hæc ſcena. Eſt autem perſaceta hæc ludificatio.*

Proh fidem] *ἐπιφώνησις ſimulantis neſcire præſen-
tiam Parmenonis.*

Facinus foedum] *crudelis. τὰ δὲ ὅτι à re ipſa.*

O infelicem adoleſcentem?] *rurſum pathos à per-
ſona adoleſcentis. & eſt exclamatio miſerantis, potius
quàm irascentis, vt ſibi facilius credatur.*

O ſceleftum Parmenonem?] *Irascentis exclamatio.
In qua grauiore verbo uſa eſt, quàm cum de adoleſcen-
te loquitur. Eſt enim tantum infelicitatis paruiffe malo
conſultori, At impuliffe ad facinus ſceleris eſt & mali-
tia. Ideo ſceleftum ſeruum appellat, tanquam facti au-
torem primarium.*

Qui iſtum] *paulatim ad notiora labitur, & eſt cau-
ſa facti ſummam continens.*

Quid eſt?] *admirantis trepidatio.*

Miseret me] *facilius miſerenti, quàm irascenti cre-
ditur.*

Itaque vt ne] *Color, quo parat aditum ad technam
explicandam.*

Effugi] *non dixit exiui, ſed effugi ad auxesin commi-
ſerationis.*

Quæ futura exempla] *id eſt, pœna & ſupplicia. Ta-
citus de Chriſtianis loquens. Vnde, inquit, quanquam
aduerſus fontes & nouiſſima exempla meritos, miſeratio
oriebatur.*

Quæ illhæc turba eſt?] *turbatio. quel trouble y ha il?*

Rogitas audaciſſime?] *conuitio auget Parmenonis
perturbat*

perturbationem. & hæc terribiliter sunt proferenda.

Perdidisti istum quem, &c.] Propositio facti cum exaggeratione. Et apte à verbo incipit effectum rei continente.

Adduxti] vide ut his verbis perdidisti, adduxti, culpam soli Parmenoni tribuat.

Pro eunucho] πᾶσι & à qualitate personæ ad augendam indignitatem.

Adolescentulum] commiseratio ab ætate.

Dum studes, &c.] id est, præ nimio studio nobis imponendi, quasi dicat, tam paruulam ob causam, nempe ut nobis verba dares.

Studes] conaris.

Dicam] quasi magna quædam, & ex animo dictura, attentionem captat.

Virginem istam, &c.] narratio qua miro compendio refert, quæ toties iam narrata sunt, id est, sine ullo spectatoris tedio. Et cum gratia crimen auget, ad serui terrorem, à qualitate virginis.

Scin' eam] τὸ εὐαγγελίῳ tametsi πλεονάζειν videatur, aut quasi in epanalepsi poni, tamen non caret εὐφράσει.

Ciuem] auxesi rem auget virginem, ciuem, nobilem.

Hinc] atheniensem,

Atqui sic inuenta est] ἀτίον accusantis.

Sic] talis ἐτέρωσιν per partis commutationem.

Eam iste vitiauit] descripta virginis qualitate, actus verbum nouissimum subiunxit.

Miser] collectio quædam præcedentium est in epitheto. quia vitiauit virginem, ciuem hinc, & nobilem, itaque miser.

Ille ubi rescuuit] pronomen excellentiam significat.

Frater

Frater violentissimus] notatio ad sumpti supplicij verisimilitudinem.

Conligauit primum] pedetentim supplicium narrat ad dolorem ipsi augendum.

Atque orante, &c.] hoc ad iræ fraternæ vehemenciam augendam.

Sese id] facturum supple.

Mœchis] adulteris.

Solet] supple fieri. Honestâ periphrasis in re turpi, id est minatur se virilia amputaturum. Diodorus siculus scribit Bibliothecæ i. qui mulierem liberam violasset, ei virilia amputari, quoniam vno crimine tria scelera complectitur, iniuriam, corruptelam, & liberorum confusionem. Pœna hæc παρατίλιος vocabatur, ἀπὸ τῆ παρατίλιος. id est ab euellendo, quod mœchorum pudenda publicè vellentur. Horat. Serm. lib. i. Satyr. i. de adulteris loquens.

—Dedit hic pro corpore nummos,

Hunc perminxerunt calones. Quinetiam illud

Accidit ut quidam testes caudamq; salacem

Demeteret ferro.

Indicat Martialis mœchas mulieres Romæ coactas fuisse in publicum egredi togatas.

—Telim viderat in toga spadonem,

Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Neque velim] supple, videre fieri.

Quis homo pro mœcho, &c.] defensio per statum definitionis à differentia loci. Negat enim mœchum esse, qui in domo meretricia sit deprehensus. Porro deprehensus dicitur qui in ipsa facinoris turpitudine correptus est. pris sus le fait. Quem Græci ἀλόντα ἡδὲ τὸ ἀφροδισίωρ dicunt

dicunt, quemq; deprehenderunt, ut Solonis lex ait, ἀρ-
 ῥα ἢ ἀρῶ ποῖς ἔχοντα. Præterea deprehensi dicuntur
 qui exclusi omni defensione, non habent quid respon-
 deant, & magna consilij inopia laborant. surpris & eston
 neq; qui dubitatione æstuant & conturbantur. Quare à
 Quintilia. Testes deprehensi dicuntur, id est, titubantes in
 testimonio dicendo, id est, ut vulgò variantes.

Nescio] hoc verbo calidè affectum dissimulat.

Ac ne hoc nesciatis] Assèveratio μίμνησις respiciens.

Dico, edico vobis, nostrum, &c.] Confusa quadam
 ταραχῆς ἀσολή, ad serui turbationem indicandam. Nam
 rectus ordo sit. Dica, nostrum esse illum herilem filium.
 Edico ne quam in illum Thais vim fieri sinat. Sed inter-
 rumpit sermonem Pythias.

Hem] simulata admiratio.

Atque adeo autem cur non, &c.] Atticorum more
 Voces ad ornatum tantum coniunxit.

Vide Parmeno] Propositio dissuasionis per speciem
 attentionis in re magna.

Neque illi prosis] Clinia. dissuasio ab inutili.

Et tu pereas] à periculo.

Nam hoc putant] ἀτιολογία,

Quid igitur faciam?] διαπορήσις inopis consilij ge-
 minata.

Ecce autem] Parascene ad sequentem scenam. Inter-
 venit senex ut compleatur catastrophe.

Dicam huic an non?] Consultatio in utranq; partem
 elata.

Dicam herclè] priorem deliberationis partē sequitur.

Etsi mihi magnum, &c.] Occupatio, qua necessita-
 tem suo malo præfert.

Sed

Sed necesse est] Confirmat per ἀναγκάσιον.

Sapis] Ironica comprobatio.

Ut factum fiet] ἑλληρισμός, neutrum pro fœminino.
 & ut, pro quomodo.

ACTVS V. SCENA VI.

LACHES. PARMENO.



X meo propinquo rure hoc capio com-
 modi:

Necq; agri, necq; vrbis odium vnquam
 me percipit.

Vbi satias cœpit fieri, commuto locum.

Sed est ne ille noster Parmeno? & certè ipse est.

Quem præstolare Parmeno hîc ante ostium?

P. Quis homo est? chem, saluum te aduenire here
 gaudeo.

L. Quem præstolare? P. perij: lingua hæret metu.
 L. hem,

Quid est, quod trepidas? satis ne saluè? dic mihi.

P. Here, primum te arbitrari id quod res est, velim:

Quicquid huius factum est, culpa non factū est mea.

L. Quid? P. rectè sanè interrogasti. oportuit

Rem prænarrasse me. Emit quendam Phædria

Eunuchum, quem dono huic daret. L. cui? P. Thaidi.

L. Emit? perij hercle, quantis? P. viginti minis.

L. Actum est. P. tum quandam fidicinam amat hîc

Chærea.

L. Hem quid? amat? an scit iâ ille, quid meretrix fiet?

An in astu venit? aliud ex alio malum.

P. Here, ne me spectes: me impulsore hæc non facit.

L. Omitte de te dicere, ego te furcifer,

M

Si

Si viuo. sed isthuc quicquid est, primum expedi.
 P. Is pro illo Eunuchō ad Thaidē hanc deductus est.
 L. Pro Eunuchō ne? P. sic est. hunc pro mœcho postea
 Comprehendēre intus, & constrinxēre. L. occidi.
 P. Audaciam meretricum specta. L. nunquid est
 Aliud malū, damni ue, quod non dixeris,
 Reliquom? P. tantum est. L. cesso huc intrō irrūpere?
 P. non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit
 malum,
 Nisi, quia necesse fuit hoc facere: id gaudeo,
 Propter me hisce aliquid esse euenturum malū:
 Nam iam diu aliquam causam quærebat senex,
 Quamobrem insigne aliquid faceret: is nunc rep-
 perit.

COMMENTARIA.

Nimia credulitate sua & dolo ancilla deceptus Parmeno, inconsultē se Phædriam, & Chæream, hero prodit, & hac occasione conficiuntur nuptiæ adolescentis.

Ex meo propinquo] Exordium à commendatione utilitatis sui ruris. Oportuit autem Vrbe senem abesse, dum ex amore sic insanirent filij.

Oidium] τάδιον μετρωμῆνός, effectus pro causa.
Percipit] Valde capit.

Vbi satias] satias vetustum nomen, cui tantum præterea ablatiuum satiate Grammatici tribuunt. Huius loco etiam saties dici potest. Desideratur autem rationalis coniunctio.

Quis homo est?] Obuererat dorsum seni Parmeno ne agnosceretur, sed agnitus & ab hero vocatus respicit, quasi ipsum non prouidisset.

Quem

Quem præstolare?] Hic, ante hostium meretricis. locus seni mali quidpiam sufficandi præbet occasionem: ideo responsum Vrget.

Lingua hæret metu] supple, palato, qui metus effectus est. solet enim Vocem intercipere. Id accidit, quod in formidine, calore ad præcordia recurrente, lingua refrigerascit, ac stupens & attonita redditur. Nam vino aut longo sermone incalescentes, expeditius & promptius loquuntur. Quare Græcos & Persas aiunt disputaturos meratius bibisse, ad hesitantiam linguæ vitandam. Ut scribit Calius lib. xvii. lect. At solus homo lingua hæsitat. Est enim hoc solum animal sermonis particeps. Cætera omnia Vocem edunt non sermonem.

Quid est, quod trepidas?] Coniectura ex habitu corporis.

Satis ne saluè?] domi est?

Here primum te, &c.] Culpam deprecatur, priusquam accusetur, quod est argumentum perturbati animi, & malè sibi conscij. Itaque hæc defensio accusatio est suppositus. Hinc discas licet callidissimos quosq; alijs sapere, sibi non item.

Oportuit rem, &c.] Corripit se de ordine præpostero, ne is Poëtæ vitio tribuatur, quod in fabulis aduersariorum idem in huius fabulæ prologo damnauit.

Emit quendam, &c.] Narratio Poëtæ copiam indicans, qui eandem rem iterum breuiter sic narrat, ut nullum tamen spectatori tedium pariat. Et proprijs verbis utitur, ad molestiam senis augendam.

Emit] narrationem incipit à verbo seni auaro satis odioso.

Eunuchum] conditionis nomen seni coniectandum
 M 2 relinq

relinquit, magno fuisse emptum. Nam his sola utebantur Regina.

Quem dono huic daret] Rursum indignitas à destinatis & personæ circumstantia. quasi dicat, Emit, non ut sibi seruet, aut vendat, sed ut donet, & Thaidi meretrici.

Emit?] Acerbum est seni, qui magis de sumptu, angitur, quàm de filij corruptione. Itaq; repetitio hac indignitatem respicit.

Quanti?] Vide ut de sumptu est sollicitus.

Tum quandam] altera pars narrationis de Chærea.

Fidicinam] indignatio à studio, nam id meretricibus erat proprium.

Hic] apud Thaidem.

Amat?] Repetitio admirantis.

Astu] Urbem, id est, venit ne Chærea in Urbem de Paræo? Nam ἀστὴν Urbis Græcis dicitur unde astuta, id est Urbana, ut scribit Asco. Pedia. Sic autem Athenienses Urbem suam appellasse indicat Cice. de legib. Theseus, inquit, eosdem migrare ex agris, & in astu quod appellatur, omnes se conferre iussit. Vide Castigat. Riuij.

Aliud ex alio malum] supple, oritur, proficiscitur, aut simile. Voici mal sus mal. Est hoc nostratibus vulgare prouerbium, vn mal iamais ne vient seul, ut eleganter Mimus, Fortuna obesse nulli contenta est semel.

Here, ne me spectes] ne me. intentis oculis ita intueare, tanquam corruptionis eius autorem, & magistrum.

Me impulsore] quàm incautè hac repetita deprecatione sibi culpam ascribit. Te ne lui fais pas faire.

Ego te furcifer si viuo] ἀποσιώωντις comminantis.

Deductus est] non dixit deduxi, ne se accusaret.

Pro

Pro Eunuchon?] obstupescens.

Audaciam meretricum [specta] Adhortatio admirationem respiciens, qua in meretrices iram Senis oratorie auertit, & numero multitudinis usus est, ad maiorem inuidiam.

Nunquid est] quisquis flagitium admisit inuitus fatetur, & inter narrandum grauiora praterit: ideo diligenter à Sene rogatur, suo filio metuente. Nam comprehenso & constricto, quid nisi supplicium superest?

Aliud mali damniue?] ἀνώγειοις præpostera. Malum enim hominis est, damnum rei. Malum est quod Chærea accidit, damnum quod seni, ob Eunuchi emptionem.

Tantum est] quod dixi, supple, il n'y ha autre chose.

Irrumpere] apta festinanti Verbi amplificatio.

Nisi quia] more Græcorum, nisi pro sed.

Necesse fuit hoc facere] κατὰ χρεὴν ἰκῶς facere pro dicere, Seni. Et est defensio repetita per ἀπαυνοῖοι. Nam paulò antè dixerat. Sed necesse est huic ut subueniam.

Id gaudeo propter me, &c.] malè affectus in meretrices à Poëta inducitur Parmeno, cum ut velit & audeat ipsas fallere, tum ut magis in illum irritetur Pythias, quæ & suprà dixerat. Ego pol te pro istis dictis & factis scelus vlciscar.

Nam iandiu] Ratio illusoria in senem.

Quamobrem] hic vides speciali posito, generale quod ei subiectum est, repeti per relatiuum. Quod contra etiã fieri docet Linacer. lib. v. 1. Insigne aliquid faceret, pour faire quelque vaillance.

Is nunc reperit] permissio obliqua, insultanti familiaris.

M 3

ACTVS

ACTVS V. SCENA VII.

PYTHIAS. PARMENO.



UNQUAM ædepol quicquã iandiu
quod magis vellem euenire,
Mihí euenit, quam quod modo senex
intra ad nos venit errans.

Mihí solæ ridiculo fuit, quæ quid timeret, sciebam.
P. Quid hoc autem est? P. Y. nunc id prodeco, vt con-
ueniam Parmenonem.

Sed ubi obsecro est? P. mène quærit hæc? P. Y. atq;
eccum video: adibo.

P. Quid est inepta? quid tibi vis? quid rides? per-
gin'? P. Y. perij.

Defessa iam sum misera te ridendo. P. quid ita? P. Y.
rogitas?

Nunquam ædepol hominem stultiorem vidi, nec
videbo. ah,

Non possum satis narrare, quos ludos præbueris
intus.

At etiam primò callidum, & disertum credidi ho-
minem.

P. Quid. P. Y. illicône credere ea, quæ dixi, oportuit te?
An pœnitebat flagitiij, te autore quod fecisset
Adolescens, ni miserū in super etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tū fuisse, ubi vestē vidit
Illam esse eum indutum pater? quid est? iam scis te
perisse.

P. Hem, quid dixi pessuma? an mērita es? etiã rides?
Itane lepidum tibi visum est scelus, nos irridere? P. Y.
nimium.

P. Si

P. Si quidem isthuc impunè habueris. P. Y. verum? P.
reddam hercle. P. Y. credo:

Sed in diem isthuc Parmeno est fortasse quod mi-
nitare:

Tu iam pendebis, qui stultū adolescentulū nobilitas
Flagitijs, & eundem indicas: vterque in te exem-
pla edent,

P. Nullus sum. P. Y. hic pro illo munere tibi honos
est habitus: abeo.

P. A. R. Egomet meo iudicio miser, quasi forex, ho-
die perij.

COMMENTARIA.

*Pythias egreditur Parmenonem irrisura, quem de cre-
dendi lenitate obiurgat, itaque illud Menandri subinde
oportet meminisse μη τάλια τειδῶ τῶσι τισὶν ἀεί.*

Nunquam ædepol] letatur de tanto fallaciæ successu.
Errans] falsò existimans filium esse constrictum.

Solæ] vetustè pro soli.

Quid timeret] nimirum ne filio virilia amputaren-
tur.

Quid hoc autem est?] interrogatio admirantis.

Nunc id prodeco] præparatio ad sequens colloquium,
& τὸ id abundat, aut pro composito ideo est positum.

Sed ubi obsecro est?] obsecro, magnum rei deside-
rium subinde indicat.

Quid est inepta?] Conspetto seruo, cepit ancilla pro-
rumpere in risum, adeo vt sibi temperare non posset.

Quid tibi vis? quid rides?] hæc longo intervallo
dicuntur ridere non desinenti.

Pergin'?] supple, ridere.

M 4

Perij

Perij] vox defessa ridendo, mulierculis familiaris, cum ipsis ob risum nimium venter dolet.

Nunquam ædepol. &c.] Obiurgatio vehemens, qua Parmenoni insultat, & huius factum exaggerat. Est autem hac propositio, quam mox sequitur confirmatio cum magna amplificatione. Tandem brevissimè concludit, & Parmenonem in magnum angorem conijcit.

Nunquam] à tempore exaggerat.

Ædepol] à iureiurando.

Stultiozem] à comparatione.

Vidi nec videbo] à temporum varietate, & differentia, cui repetitio verbi pondus addit.

Ah non possum] Confirmatio ab effectis per ἀδυνατοῦ cum indignatione.

Quos ludos] An risus ex errore Senis, an turbam & rixam, ut metum seruo incutiat?

At etiam primo] à sua de illo antegressa opinione amplificat, ad indignitatem & pudorem. Dicit enim non potest quantus peccantibus sit pudor, cum nos de illis meliora semper expectasse dicimus, ipsiq; arbitrantur nos de illis bonam opinionem prorsus abiēcisse.

Credidi] supple, te esse.

Callidum] fallacias intelligentem.

Disertum] prudentem & acutum. Nam qui disserit, id est, quo ordine, loco, modo & apud quem, ac quatenus oporteat, is disertus appellatur. Sed hac omnia parum aduerterat Parmeno, patri adolescentē cum indicaret. Omnino disertū veteres dixerunt eum, qui vi animi & celeritate, quiq; consilio, prudentiaq; præstaret. Huic M. Antonius, satis esse putat dicere quæ oporteat. At ornatè & splendidè dicere, proprium esse eloquentis. Itaq; diceb.

dicebat disertos se vidisse permultos, eloquentem verò neminem. Porro eleganter à Fabio dictum est, nunquam factum aut futurum esse, ut stultus bene dicat, cum petus sit, quod disertos faciat. Denique prudentia inueniendi ac disponendi, disertus est propria. At eloquentis decor & pulchritudo oratoris, qui ab ea eloquens appellatur.

Illico ne credere] hac obiurgatio credulitatis ad stultitiam, quam in propositione obiecit referenda.

An poenitebat] num satis erat tibi, an parum tibi videbatur? &c. Est exaggeratio facti à circumstantijs.

Te autore] impulsore.

Indicares] proderes.

Patri] exaggeratio à persona.

Nam quid illi, &c.] rursus rem attollit per hypothiposin ab habitu.

Credis] putas.

Quid est?] silentio culpam confitenti insultat.

Iam scis te perij] se] brevis conclusio per comminationem, ne affectus evanescat.

An mentita es?] supple mihi?

Etiā rides?] risu ancillæ magis angitur.

Lepidum] facetum, & ridiculum.

Scelus] sunt qui syntheticos scelus pro scelestis accipiant, vocandi casu. Nonnulli coniunctè legunt lepidum scelus, id est irrisio, & impostura acuta, elegans, & subtilitate placens.

Nos] graniter, id est, herum & heriles filios.

Nimium] valde supple, visum est lepidum.

Si quidem] disiunctæ voces. Et est ἐνδεῖσις comminantis, ac si dicat, si certè id impune tuleris, tum demum

id nimium lepidum tibi videri dicas.

Verum?] Ironica interrogatio illudentis comminationem. Gall. oui.

Sed in diem istuc Parmeno, &c.] contemptus minarum per contentionem.

In diem] in huius diei spatium, ut sit sensus. Quod mihi minitaris, est in diem, id est, spatium saltem huius diei differetur, accidet fortasse intra spatium diei huius. Sed tu pendebis iam nunc, & primo quoque tempore. Gall. Ce que tu menasses aduindra peult estre dens le iour. Peult estre que l'auray relache pour ce iour de ce que tu me menasses. mais toy? tu seras pendu tout maintenant sans aucun delay. In diem nonnunquam in spatium vnus diei tantum significat, ut hoc loco. Gall. pour vn iour. Ouid. Metamor.

—Currus petit ille paternos.

Inq; diem alipedum ius & moderamen equorum.

Nonnunquam verò significat, ipsius diei tantum habitatione ut in diem viuere. Viure du iour la iournee. Panem mercari in diem. acheter le pain d'un iour à autre. In dies verò, est per singulos dies. tous les iours. Sed ferè cum incremento aliquo, itaque ferè comparatiuis vel verbis incrementum significantibus iunctum reperias.

Pendebis] suspendèris patibulo.

Qui stultum adolescentem] ἀτιολογία per repetitionem criminis.

Adolescentulum] πᾶθ' ab atate.

Stultum] ab imprudentia.

Nobilitas] notum & conspicuum reddis. Id autem verbum in vtranque partem accipitur. Cicer. de officijs. Testis est Phalaris, cuius præter ceteros nobilitata est crud

crudelitas.

Et eundem] etiam.

Vterque] senex & gnatus.

Edent] Synthesis nominis & Verbi edent, publicè dabunt.

Exempla] pœnas, quæ ceteris seruis sint documento, ut suprâ.

Hic pro illo, &c.] sarcasmos, & hic pro talis aut huiusmodi.

Honos] alludit ad Parmenonis dictum, qui palmariam doli inuentionem sibi fore dixerat.

Pro illo munere] Eunuchum quem dono Thaidi adduxisti.

Egomet meo indicio, &c.] Prouerbialis comparatio in eos qui propria culpa deprehenduntur. Nam Sorices aut occentu aut strepitu arrodentes friuola se nobis felibusq; produnt. At Soricum occentu dirimi auspicia scribit Plin. lib. VII. cap. LVII.

ACTVS V. SCENA VIII.

GNATO. THRASO.



VID nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid cœptas Thraso? TH. Egone? ut Thaidi me dedam, & faciam, quod iubeat. d. quid est?

TH. Qui minus quam Hercules seruiuit Omphale? G. exemplum placet.

Vtinam tibi committigari videam sandalio caput. Sed fores crepuere ab ea. perij. TH. quid autem hoc est mali?

Hunc ego nunquam videram; & iam hic quidnam prope

properans profilit?

COMMENTARIA.

Miles turpiter amori succumbens, vltro ad Thaidem accedit, vt eam sibi reconciliet, faciatq; quod iubeat. Sopererat autem ipsius catastrophe, vt finem haberet fabula.

Quid nunc? qua spe, aut quo consilio, &c.] hæc interrogaciones indicant quàm inuitè à mensa trahatur parasitus.

Quid] cur venimus huc?

Nunc] cum irata est, & tibi succenset Thais.

Qua spe?] qua tibi spes est, quod consilium, vt venias?

Huc] ad Thaidem.

Egône?] verba sunt quasi ex longa cogitatione euigilantis.

Vt Thaidi me dedam] militaribus verbis suo more vtitur.

Dedam] tanquam victus.

Thaidi] victrici.

Et faciam quod iubeat] conditiones pacis accipiam, vt solent dediti.

Quid est?] admiratio reprehendentis consilium.

Qui minus] supple, seruiam Thaidi.

Omphalæ] Lydorum reginæ, cuius amore adeo captus est Hercules, vt apud hanc inter ancillas veste muliebri amictus neret. Lydorum gentis mollities multorum literis celebrata est. Hi enim alienas vxores ac virgines in lupanar, quod à re ipsa Agneona appellabant, producentes, constuprabant: quare Omphale stupratorum

vna,

vna, deinde gentis regina facta, hanc suam iniuriam ita vltima est, vt in eo ipso loco dominas seruis ad libidinem prostitueret. Lydos cum deuicisset Cyrus, ademptis armis, talares vestes ac muliebres gestare iussit, in molliciei argumentum. Et interim cauponariam artem, mercaturam, ac lusus talorum ac tesserarum reperisse feruntur. vt scribit Calius Antiq. lect. lib. x i.

Exemplum placet] mihi gratum est.

Vtinam tibi, &c.] ἐὺχὴ infidam Parasiti amicitiam indicans quia se nolente Thaidem adierat, & à mensa tractus fuerat.

Commitigari] demulceri. Ironia pro contundi.

Sandalio] calceamento. Est autem σαυδαλιον & σαυδαλιον delicatum calceamentum et muliebri quasi σαυδαλιον, vt videtur. Turpilus. misero mitigabat sandalio caput. hunc Terentius est imitatus.

Sed fores] preparatio sequentis scenæ.

Ab ea] pro eius posuisse videtur, vt saepe aliàs.

Qui hoc autem elicit?] videns Chaream exeuntem nouum amatorem suspicatur.

Properans profilit?] gestum loquenturi & vehementer letantis indicat.

ACTVS V. SCENA IX.

CHAREA. PARMENO. PHAEDRIA.
GNATO. THRASO.



Populares, ecquis me viuít hodie fortunator?

Nemo hercle quisquam. nam in me plañe Dii potestatem suam

Omnem ostendere, cui subito tot congruerint commo

commoda.

P A. Quid hic lætus est? c. ð Parmeno mi, ð mearum voluptatum omnium

Inuentor, inceptor, perfector, scis ne, in quibus sim gaudijs?

Scis Pamphilam meam inuentam ciuem? P A. audiui. c. scis sponsam mihi?

P A. Bene, ita me Dñj ament, factum. G. audin' tu illum? quid ait? c. tum autem Phædriæ

Meo fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: vna est domus:

Thais patri se commendauit, in clientelam & fidem Nobis dedit se. P A. fratris igitur Thais tota est? c. scilicet.

P A. Iam hoc aliud est quod gaudeamus: miles pellitur foras.

c. Tum tu, frater ubi ubi est, fac quam primùm hæc audiat. P. visam domum,

T H. Nunquid Gnato dubitas, quin ego perpetuò perierim? G. sine

Dubio, opinor. c. quid commemorem primùm? aut quem laudem maximè?

Illum qui mihi dedit consilium, vt facerem, an me, qui ausus sim

Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit?

Quæ tot res, tantas, tam opportunè in vnum conclusit diem?

An mei patris festiuitatem & facilitatem? ð Iuppiter,

Serua obsecro hæc nobis bona. P H. Dñj vostram fidem

dem, incredibilia

Parmeno modo quæ narrauit: sed ubi est frater? c. præsto adest.

P H. Gaudeo. c. satis credo. nihil est Thaidæ hac frater tua dignius

Quod ametur, ita nostræ est omni faulrix familiæ. P H. hui, mihi

Illam laudas? T H. perij, quanto minus spei est, tanto magis amo.

Obsecro Gnato, in te spes est. G. quid vis faciam? T. perface hoc

Precibus, pretio, vt hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem,

G. Difficile est. T H. si quid collibuit, noui te: hoc si effeceris,

Quoduis donum & præmium à me optato, id optatum feres.

G. Itane? T H. sic erit. G. si hoc efficio, postulo vt mihi tua domus,

Te præfente, absente, pateat: inuocato vt sit locus Semper. T H. do fidem ita futurum. G. accingar. P H.

quem hinc ego audio?

O Thraso. T H. saluete. P H. tu fortasse quæ facta hic fient,

Nescis. T H. scio. P H. cur te ergo in his ego conspicio regionibus?

T. Vobis fretus. P. scis quam fretus? miles edico tibi, Si in platea hac te offendero post vnquam, nihil est quod dicas mihi,

Alium quærebam, iter hæc habui: peristi. G N. eia, haud sic decet.

P. H. Dictum est. G. non cognosco vestrum tam sit-
perbum. P. H. sic erit.

G. Prius audite paucis: quod cum dixerō, si pla-
cuerit,

Facitote. P. H. audiamus. G. tu concede paululum istuc
Thraso.

Principio: ego vos credere ambos hoc mihi vehe-
menter velim,

Me, huius quicquid facio, id facere maxime causa
mea:

Verum idem i vobis prodest, vos non facere, insci-
tia est.

P. H. Quid est? G. militem rivalem ego recipiendum
censeo. P. H. hem,

Recipiendum? G. cogita modo tu hercle. cum illa,
Phædria,

Et libenter vivis (etenim bene libenter vivitas)

Et quod des, paululum: & necesse est multum acci-
pere Thaidem,

Vt tuo amori suppeditare possit, sine sumptu tuo.

Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex
usu tuo

Nemo est, principio, & habet quod det, & dat ne-
mo largius:

Fatuus est, insulsus, tardus: stertit noctesque & dies.

Neque istum metuas ne amet mulier, facile pallas,
ubi velis.

P. H. Quid agimus? G. Præterea hoc etiam, quod ego
vel primum puto,

Accipit hominem nemo melius prorsus, neque pro-
lixius.

P. Mir

P. Mirum, ni illhoc homine quoquo pacto opus est.

C. H. idem arbitror.

G. N. Rectè facitis. vnum etiam hoc vos oro, vt me in
vestrum gregem

Recipiatis: satis diu hoc iam saxum volo. P. recipimus.

C. H. Ac libenter. G. N. at ego pro isthoc, Phædria, &
tu Chærea.

Hunc comedendum & bibendum vobis propino.

C. H. placet.

P. Dignus est, G. Thraso, vbi vis, accede. T. H. R. obse-
cro te, quid agimus?

G. N. Quid? isti te ignorabant: postquam eis mores
ostendi tuos,

Et collaudavi, sed secundum facta, & virtutes tuas:

Impetraui. T. H. bene fecisti, gratiam habeo maximam,

Nunquam etiam fui vsquam, quin me omnes ama-
rent plurimum.

G. Dixi ego in hoc esse vobis Atticam eloquentiam?

P. H. Nihil prætermisum. G. ite hæc omnes. Vos va-
lete, & plaudite.

COMMENTARIA.

Chærea iuueniliter exultat de sibi sponsa virgine, &
spectatorem simul docet, quid intus actum sit. Miles pa-
rasiti precibus nonnulla in parte recipitur apud Thaidem,
& ita absolvitur catastrophe vtriusque partis fabula.

Opopulares] Exorditur per subiectionem, & suam
felicitem prædicat. Deinde sequitur narratiuncula eo-
rum, quæ apud Thaidem acta sunt, & commemoratio
suorum commodorum, quæ sibi obuenisse latatur: mox re-
dit ad felicitatis suæ prædicationem, & hanc breui

N præca

precatiuncula concludit.

O populares] *supple, viri.* Popularis dicitur qui ex populo est. Aliàs qui populi partibus fauet, qui si publico bono, non suis priuatis comodis gratiam populi capret, citra vim & ambitionem, is demum verè est popularis: qualis fuit Valerius Publicola, qui populo charus gratusq; fuit, propter suam probitatem. At qui malis artibus & honoris cupiditate auram popularem venatur, malè quidem popularis est, quin potius hostis populi & inimicus, vt scribit Cic. in Agraria I.

Viuat] *grauius quàm est.*

Hodiè] *nunc, pour le present, pour le iourd'hui.*

Nemo hercle quisquam] *subiectio, quæ est πρότασις huius exordij.*

Nam in me] *καταουσιήν propositionis à Deorum beneficentia.*

Potentiam suam] *facultatem.* Potentia ad facultatem rerum magnarum pertinet, cuiusmodi est regnum, principatus, magistratus & populi seu militum imperium. Potestas verò ad vires nostras, quare dicimus potestatem facere, non potentiam, & filium in patria potestate esse.

Ostendère] *contulerunt, id est, specimen suæ potestatis hominibus in me præbuerunt.*

Cui tam subito] *τὴς καταουσιῆς probatio cū exaggeratione.*

Tot commoda] *bona à numero.*

Congruerint] *simul & cumulatè contigerint.* Videtur autem hoc verbum à gruibus ductum esse, quæ gregatim volant.

Tam subito] *à modo rei.*

quid

Quid hic lætus est? Huic verbo accusatiuum similiter iunxit Cicero ad Marium. Vtrunq; inquit, lator, & sine dolore corporis te fuisse, & animo voluisse.

O mearum voluptatum, &c.] *Ridicula laudatio ob impotens adolescentis gaudium.*

Inuentor, inceptor] *ἀνοιδετῶς epitheta ad laudem congerit per incrementum.*

Inuentor] *quia dedit consilium.*

Inceptor] *quia ad Thaidem deduxit.*

Perfector] *quia amoris consummationis & perfectionis causa fuit.*

Scis me, &c.] *Præparatio ad expositionem eorum, quæ intus gesta sunt. Estq; ἀντίπρῶσις ἐλλωκῆ, de qua alibi diximus. Scis me, pro scis ne ego, &c. Vide Lincrum in Hellenismis. Ἐμπατικῶς autem dixit in gaudys esse, vt commodorum cumulum notet.*

Scis Pamphilam] *Expositio qua sua commoda enumerat, & incipit ab eo quod est maximum, quodq; magis ad se pertinet. Inuentam ciuem] primum commodum.*

Audiui] *à Pythia.*

Sponlatum mihi] *alterum commodum, sponsam promissam participium à spondeor.*

Bene ita me] *gratulatio latantis.*

Audin' tu illum quid ait?] *Rursum illum pro ille.*

Tum autem] *tertium commodum. Et ex industria huic loco immoratur, vt terreatur miles ad promouendam catastrophem.*

Meo fratri] *ἄθρ & dulcissimam εὐδοκίαν præ se ferens.*

In tranquillo] *μεταφορά à mari. significat enim à rivali agitatam antea fuisse.*

Vna est domus] *familia μετανομιῶς.*

In clientelam & fidem, &c.] *expolitio per σωκου-
μλαρ, id est, in patrocinium & tutelam nostram. Hic vi-
des clientelam priuatam quandam fuisse, non tantū pu-
blicam. At clientes à καλῆρ dicti sunt, quod patrono-
rum opem inuocarent, ipsi autē à patronis vocati ad offi-
cia, & obsequia, presto esse deberent. Itaq; produtionis lege
tenebatur patronus, si clientem, & cliens, si patronū ac-
cusaret, contra'ue testimonium diceret, priuatim de causa,
aut suffragium ferret. Dicebantur autem Clientes con-
ferre se in fidem ac clientelam patronorū: hi Verò in fi-
dem clientes recipere. Caterum Gell. lib. v. Massurij Sabi-
ni Verba citat de clientari necessitudine. In officijs (in-
quit) apud maiores ita obseruatum est, primū tutela, de-
inde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini.*

Dedit se] *se contulit.*

Fratri igitur] *Argumentum à consequentibus in
odium militis.*

Miles pellitur foras] *videtur subesse sorites hypothe-
tica ad hunc modum. Si Thais est cliens patris, nostra est,
si nostra est, fratris ipsa & tota: si fratris tota est, ergo non
militis, miles igitur foras pellitur.*

Nunquid Gnato dubitas?] *consternati interroga-
tio.*

Sine dubio opinor] *Confirmatur in desperatione, ut
ad preces conuertatur.*

Quid commemorem?] *commemorare debeam: Re-
gressio ad commemorationem sua felicitatis per διαπο-
ρησις. Incipere] aggredi, entreprendre.*

An fortunam?] *Hac tria in factis hominum insigni-
bus concurrant necesse est, consilium, labor in exequendo
consilio, & successus: priora duo à nobis sunt, tertium ex-*

tra

tra nos est, & fortuna arbitrio regitur; iuxta vulgare
dictum, vitam regit fortuna non sapientia. Et ex Epicuri
dogmate loquutus est, nihil non fortuna tribuentis.

Quæ tot res] *amplificatio beneficij à circumstantijs,
similis superiori.*

An mei patris festiuitatem] *comitatem. Nam fe-
stiuum à ferendo dici volunt, eum qui statim offert quod
habet, sicut contra infestum qui cuiquam commodare
nolit, seu nocere.*

Et facilitatem] *ὁρμητικῆ prioris nominis.*

O Iupiter] *Epilogus per deprecationem aduersus mis-
tabilitatem fortunæ.*

Incredibilia Parmeno] *se omnia de seruo audiuisse
spectatori significat, ut compendio studeat, ne eadem Chæ-
rea cum tadio sæpius narrare cogatur.*

Presto adest] *personæ ἐτέρωσις.*

Gaudeo] *breuis congratulatio.*

Nihil est Thaide] *omnibus collaudatis non oportuit
Thaidem præterire.*

Hac tua] *pronomen ad commouendum militem facit.*

Ita nostræ, &c.] *Ratio est ab adiacentibus. sic enim
colligit, fautrix est nostræ familiæ: igitur digna quæ
ametur.*

Quanto minus spei est] *Ardere facit amore mili-
tem, ut ad abiectam supplicationem demittat sese, & ca-
tastrophe compleatur.*

Tanto magis amo] *Ad eo verum est illud Poëtæ
verbum.*

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.

Obsecro] *precatorem sibi parat miles, & petiturus
benevolentiam sibi parat.*

27 3

Perfice

Perfice hoc precibus] *propositio petitionis.*

Vt hæream in parte aliqua, &c.] *abiectio militie indigna. Nam serui & verna, & omnia quæ iure hereditario possidemus hæere propriè dicuntur: quod personæ quodammodo innixa sint, unde & ab hærendo, hæredem dici volunt.*

Vt hæream] *id est, ut me tanquam suum hereditario iure possideat, ut me in parte aliqua eorum quæ possidet esse sinat, vel ut aliquo loco seu numero me habeat, ut saltem aliqua in parte amoris me recipiat. Vide Riuium.*

In parte aliqua] *ταπεινωσις elenantis quod petitur. Difficile est] Recusatio à difficili. Nam verè iactatur, Nec regna parem, nec Venus ferre potest.*

Siquid collibuit] *supple, perficis. Instat & refellit difficultatem à proprietate personæ, & est argumentum à genere. Quicquid placet, inquit, perficis, ergo hoc si libeat perficis.*

Nouite] *probatio antecedentis.*

Quoduis donum, &c.] *à pollicitatione & premio, qui locus est vtilitatis.*

Optato] *postula, prius pro posteriori. Nam quæ optamus solemus postulare.*

Id optatum] *emphasis. non petitum, sed tantum optatum.*

Feres] *auferes, & totum hoc militariter. Victores enim premium ferre dicuntur.*

Ita nec] *paulatim assentientis.*

Postulo ut mihi] *petitio parasitica.*

Te præsentem absente] *anthesis omnem exceptionem excludens, & sunt verba in contractibus solennia,*
qua

qua sic ἀουθετῶς efferi solent.

Accingar] *aggrediar, experiar. Metaphora ab his qui arduum quidpiam moliuntur, aut iter aggrediuntur. Nam vestimenta ad manus & pedes diffluentia retrahunt & cingunt, ut expeditius agant.*

Quem hinc ego audio?] *aditus ad sequens colloquiū.*

Saluete] *salutatione præuertit ad emerendum fauorem.*

Cur in his ego te conspicio regionibus?] *id est, cur te conspectui meo offers, cur non hinc abis?*

In his regionibus] *in his vrbis partibus, seu nox quarters icy. Nam vrbis in regiones, Regio in vicos, vici in ades diuisa sunt, & regionatim aduerbium, per singulas vrbis regiones. par les quarrefours.*

Vobis fretus] *si ad verbum conspicio prius positum referas, insignis erit solæcismus. Nam dici debuit vobis fretum. sed respicit ad isodynamam orationem, per hanc satis intellectam. Nam perinde est ac si dixisset. Cur tu es in his regionibus? Itaque verbum synonymæ orationis retulit, sum in his regionibus vobis fretus. Præterea vitiosa est ratio, Non enim manet maleuolis suis confisus. sed totum hoc ad decorum infantia & ruditatis illius pertinet.*

Scin' quàm fretus?] *supple scis, id est, esse debeas.*

Miles edico tibi] *superba comminatio. Et verbo grauiore vtitur ad ipsius comminationis pondus, quasi innuat eam ratam fore, tanquam prætorum & magistratum edicta.*

Nihil est] *supple, causa. Interpositio occupationem habens, per μίανου. Hic pueri sunt monendi, in hac sermonis figura, Nihil est quod, non est cur, tametsi exemplum*

fit copiosa orationis, quae decurtari possit citra sensus iacturam, hoc modo, ne dicas mihi, &c. Tamen appellativum causa desideratur, Nihil causa est. Non est causa cur. Cicero. Continuòue causa fuisset, cur à pratore postulares, ut bona possideres? Idem. Et docui quod primum sum pollicitus. C. Aquili causam omnino cur postularer non fuisse. Rursum. Et quid est causae quod nunc mea defensio audiatur tanto silentio? Id anno. Camera-rius in suis in primam Tusculanam Commem. vijs.

Iter hac habui] aut, vel similis est audienda.

Peristi] Vides ut post parenthesin, verbum orationis proprium in fine collocet, ad gravitatem comminationis, ut magis animo militis hæreat. Præterea temporis est enallage, pro peribis. ut Annibal apud Livium. Si tales animos in prælio habebitis, quales hæc ostenditis, vicimus.

Eia haud sic decet] supple, facere. Blanda correctio ab iniusto.

Non cognosco vestrum tam superbum] dicturus non satis placitura, benevolentiam prius ab audientium laude conciliat.

Non cognosco] non existimo, prius pro posteriori: non enim nisi nota probe estimamus.

Vestrum] supple quenquam, ut sit primitivum, aut vestrum genus seu ingenium, ut vult Donat.

Prius audit] attentionem captat.

Paucis] à breuitate.

Quod cum dixerò] Non rei odiosa injicit mentionem initio, ne ab audiendo refugiant: sed quasi aliud sit dicturus quam putent, occultè audientiam sibi facit. qui locus est insinuationis. Nam rem pro re subijcit.

Si placuerit facitote] securi ac negligentis inisponn, qua suum de milite affectum dissimulat. Videt enim se multum promovisse si attentionem conciliet.

Tu concede] id facit ne miles se vituperari audiat, utq; de eo liberius quæ vult loqui possit.

Principio] Oratio est generis suavorij. genus causa inhonestum, status coniecturalis, An miles rivalis sit recipiendus. Partes quinq; Exordium, propositio, confirmatio, refutatio & conclusio.

Principio ego vos credere] exorditur per insinuationem rem auditoribus inuisam suasurus. Et personam suam pro militis persona subijcit, futuramq; rei utilitatem proponit.

Quicquid huius] de hoc milite, aut de hac re.

Verum idem, &c.] aduersativa amissionem utilitatis illis exprobrans, à suo ipsius exemplo, quasi dicat. Stultitia est si meo exemplo vestra utilitati non consulatis.

Militem rivalem] Propositio est consilij. & militem dicit non Thrasonem, ad contemptum.

Censeo] Senatorum in ferendis sententijs verbo usus est, quasi personam induat consulentis, quæ ipsorum interesse putet, potiusquam agentis causam militis.

Tu herclè] Phædriam alloquitur, cuius negotium agebatur & verbo cogita, attentum reddit ad confirmationem.

Cum illa Phædria & libenter vivis, &c.] vult dicere, mensam paternam ac domesticam, quamlibet lautam, deseris, ut cum ea edas. Est autem confirmatio ab utili, quæ per ratiocinationem à loco causarum colligitur.

Et enim libenter victis] correctio minuendi gratia.

Vicitas] non ad plenum vivis, sed tenuitur & parce.

Et quod des, &c.] amplificatio per contentionem.

Necesse est] propositio est maior syllogismi. Magno sumptu Thaidi opus est, ut tuo amori suppeditari possit, Miles abunde suppeditat, & ad id est opportunus: igitur est retinendus. Sed attende ut omnem utilitatem non ad Thaidem, sed ad Phædriam ipsum deriuat.

Ut tuo amori suppeditare] absolute pro suppetere, & non deesse. Gall. Il faudroit que Thais eust bien de quoy, pour en iouir, sans qui te contaist rien.

Ad omnia hæc] Assumptio ratiocinationis.

Opportunus] aptus.

Nec magis ex usu tuo] Utiles & unvicia.

Principio & habet] Confirmatio assumptionis à facultate.

Dat nemo largius] profusius. Ac si diceret, potest & vult libenter dare. Nam breuiter voluntatem & facultatem indicat.

Habet quod det] in eo est facultas.

Dat nemo largius] voluntas. At conclusionem ratiocinationis tanquam satis notam præterit.

Fatuus est] refutatio per occupationem à qualitate personæ. Posset enim vereri Phædria, ne tam diues & liberalis amator sibi Thaidem eriperet. Huic suspicioni breuiter occurrit.

Fatuus] infans, indisertus, προσηγορία militis, ex cuius vituperatione, adolescentibus adularur.

Insulsus] sine sale & gratia.

Tardus] stupidus & habes ingenio.

Stertit noctes, atque] ignauus est ad rem ve-

meream.

meream. Huiusmodi amatores à mulieribus non appetuntur.

Neque istum meruas] Conclusio argumentationis. Nam ita ratiocinatur, fatuus est, insulsus, tardus, & ad venerem ignauus. Itaq; ne time, ne hunc mulier plus quam te amet. Sed vox illatina desideratur. Et neq; simplicis ne locum obtinet.

Facile pellit] Expositio consequentis.

Quid ag. aus? labascit Phædria & penè assentitur.

Præterea hoc etiam] alia ratio, sed parasitica.

Accipit] conuiuio excipit. Est enim accipere in conuiuium ducere & pascere. Plautus in mercatore. Magnificè volo summos viros accipere, ut mihi rem esse reantur.

Neque prolixius] liberalius, benignius. Cicero pro Flacco. Id non solum fecit, sed etiam prolixè cumulateq; fecit. Idem ad Plancum. Tamen, inquit, interest nostra Plancum hoc animo libenti prolixoq; facere. Vide Castigationes Ruy.

Mirum ni illoc homine] Orationem concludit Chærea, cuius assensum frater sequitur.

Mirum ni] pro nimirum.

Vnum etiam] sui non obliuiscitur parasitus.

Satis diu hoc iam saxum voluo] Aut ad adolescentes refertur, ut sit sensus, iandudum id conor, ut me in vestrum gregem recipiat: Aut notat militem, quasi velit dicere: Satis diu iam hunc militem stupidum instar saxi voluo, & quo libet impello. Est autem proverbium in frustra laborantes, & parum proficientes, sumptum à fabula sisyphi, & li filij: qui cum Isthmus latro

latrocinij infestaret, à Theseo est interfectus. Et nunc ea pœna plectitur apud inferos, ut saxum ingens ex imis radicibus montis ad ipsius cacumen voluat, quo statim ad ima ruente, iterandus est ipsi labor assiduus & inutilis.

Ac ego pro isthoc, &c.] *scurrile premium & parasito dignum.*

Hunc comedendum] *μετῶνιμια non in is, sed eius bona comeduntur.*

Propino] *faceta Metaphora alludens ad conuiuia, ut in parasitico decoro perstet. Græcus quidē mos fuit in conuiujs bibendi, priusquam poculum alteri traderetur: Unde προπίναξ dixere. Propinantes autem sublatum poculum ostentabant, ac nominare solebant, cui erant illud tradituri. Ut ex Homeri Iliados v i i. discas. Simili translatione videtur uti Demosthe. Olynth. γ. προπέποται τῆς παραυτίκα ἰδονῆς καὶ χάριτ' & τὰ ἄωδους πράγματα, id est. Propinatur Respub. presenti voluptati & delectationi.*

Isti te ignorabant] *Totus hic locus est ironicus.*

Secundum facta & virtutes tuas] *Amphibolica laudatio sed assentationis plena.*


Bene fecisti] *agentis gratias formula, potius quam approbantis, quasi dicat, benè fecisti mihi, benè es de me meritis.*


Nunquam etiam fui] *superborum iste mos esse solet, ut se laudantes adiuent, & verissima de se dici putent.*

Atticam eloquentiam] *Ironia. id est, facundiam emunctam, pressam, limatam, nihil inanè ferens, aut redundans. Est autem Atticæ dicendi genus orationis primum,*

primum, atque optimum. Quare quicquid est in oratione sanum, sincerum, venustum, rotundum atq; perfectum, id siue humile, siue sublime, siue medium sit, ab Atheniensium lepore vocatur Atticum.

F I N I S.





Handwritten text, possibly a signature or address, written vertically.

María Sánchez de Medina